





Sereniss. quondam Bojemiæ

REGIS

FRIDERICI

filiis

Illustrissimis ac Celsissimis Principib.

RUPERTO & MAURICIO,

fratribus Germanis

COMITIBUS PALATINIS RHENI

Bavariæ utriusque Ducibus &c.

Ddnn. Ddnn. suis gratiosissimis,

VITAM VIVACEM,
HONORIS INCREMENTA,
FELICITATEM OMNEM

Humilime ac ex animo precatur



On modo excultarum literis, verum & barbararum gentium complurium, typis non ita pridem descriptæ, ac in publicum emissæ Respub. in-
mihi etiam obnixeque reluctanti,
osuerunt interea dum exulo quondam
si necessitatem de Repub. gentis meæ

vel præterita sunt penitus, vel descripta, quam oportebat, tenuius: candidi tamen pectoris judicem neminem existimo fore, qui voluntatis conatus meæ probos, vi-[illegible], quas ad scribendum attuli, imbe-[illegible]ate metiri, vel temeritatis propterea [illegible]emnare me velit. Feci ego hic quantum potui, non quantum volui, non quantum debui. Voti omnis est summa, ut patriæ crescat honor, & ut ne opella hæc mea cujusquam, accuratius Bojemiam ac plenius ornare volentis ποιλειώτε *luminibus, ullo modo officiat. Quæ post Albo-Montanam cladem nostram invaluerunt, nec nisi locis quam paucissimis attigi, nec adumbravi Rempub. Bojemam ea facie in quam belli hactenus flagrantis iniquitate est transformata, sed quâ eam velut picturam aliquam insigniter elegantem, cum jam olim, tum sedente adhuc ad ejus clavum patre Vestro beatæ memoriæ Rege, ornatissimam vidimus, quaque eam reflorescentem, à nobis & posteritate videri, cum lacrymis optamus.*

Hanc, Illustrissimi, atque cum ob vestram ipsorum in homines nostros animi propensionem clementissimam, tum ob ἀνεπίληστα *patris in primis majorumque merita, obsequiis gentis Bojemæ fidelibus, veneratioque & amore immortali omnium dignissimi* PRINCIPES; *hanc,*

(:) 3 *inquam,*

inquam, Reipub. Bojemæ adumbrationem qualis qualis eſt, ſupplex Vobis ac venerabundus conſecro, dedico, offero; perquam humiliter ac enixe orans, ut eam gr[illegible] habere, meque adeo ipſum, vel in ul[illegible] clientulorum veſtrorum ordine connumerare velitis. Opt. Max. Pater, probro hoſtium ſempiterno, Vos ambos, cum ma[illegible]e Regina, fratribusque ac ſororibus omnibus generi noſtro in multam ſenectutem conſervet ſoſpites, virtutibus exſuperanter coronet, collocatoſque in excelſo majeſtatis cubili, florere cum poſteritate omni jubeat FELICITER. *Dab. Nonis Novembr. anno Chriſtiano* cIↄ Iↄ cxxxiii.

Deditiſs. patria extorris
cliens

M. Paulus Stranſky.

CAPI-

CAPITVM

In hoc Reipub. Bojemæ libello

Inſcriptiones.

Lectuuro

REMPVB. BOIEMORVM.

QVÆ quondam nostri sparsim scripsere Bohemi,
Hæc Paulus Stransky cuncta Magister habet.
Ecquid habet? patrii quæ sunt in viscere regni,
Quæque in eo spectas, omnia solus habet.
Hic legem Regemque vides, hic munia plebis,
Ac Euripeas, ut solet esse, vices;
Hic Lunæ eclipsin, Solis radiosq; videre est,
Vtque utrumque Fides relligiosa refert!
Laudo tuos Stransky calamos, patriæque labores,
Postera quos gratum vita vocabit opus.
Perge diu patriæ jugi prodesse labore;
Nam pius est patriæ res recitare labor.
Si nunc labenti poteris succurrere, demum
Et pius & fortis, res erit illa, labor.

Aliud.

Sixtus ab Ottrsdorff, Cocin, Cutthenus, Adamus,
Bis duo Bojemæ lumina gentis erant.
Si spectes patriæ rerum linguæq; peritum,
Me Paulus Stransky judice quintus erit.

Suo longe dilectiss.
Dn. Propatri
M. Georgius Collinius.
Bohemus.

R E I-



REIPVBLICÆ BOJEMÆ,

à

M. PAVLO STRANSKY

recens conformatæ,

CAP. I.

De situ qualitatibusque Bojemiæ.



EVROPAEI orbis ea regio, quam (quemadmodum Chorographis placet) inter longitudinis gradum trigesimum quartum & quintum aliquanto ultra trigesimum octavum, & inter latitudinis gradum quadragesimum octavum & nonum ad quinquagesimum primum, gens Czechorum mea colit, usitato jam nomine Bojemia, seu Bohemia, & Boemia, itemque Czechia vocatur. Est autem illa ab Ortu ad Occasum lapides (miliaria vulgus vocat) quadraginta longa, ab Austro ad Septentriones triginta quinque lata,

ita ut ambitu ſuo amplectatur lapides paululo plus quàm centum viginti tres. Inſignia ejus provincialia, non quę nunc ſunt, olim fuerunt. Nam cum inde ab ipſis gentis incunabulis Aquilam nigram in ſcuto albo geſtaſſet, Imp. Cæſ. Frider. Barbaroſſa pro ea Leonem album bicaudem, diademate aureo caput cinctum in ſcuto rubeo uſurpare juſſit. Fabulæ id relinquimus, quod de præcingente aquilæ pectus ſive aheno, ſive calice quidam commentantur. Figura regio ipſa eſt ovali, & cingitur undique montibus ac Hercynii ſaltus portione ſylva continua. Montes Sudeti vocantur, ſilva Gabreta, vel (ſicut noſtri eam nonnulli idiotiſmo vernaculo à ventorum agitatione cognominant) [1] *Sſumavva*. Peramœni ergo cujuſdam amphitheatri formam ill. repræſentat. Clauditur ab Ortu Sleſia & Moravia, ab Occaſu Norico ſive Palatinatu Bavariæ, à Meridie Auſtria, à Septentrione Miſnia & Luſatia. Aer ejus temperatus eſt, purus, ſalubris, quique perrarò contagioni peſtiferæ cauſam præbeat, tametſi Thraſcias Coruſque eam plerumque ſoleant perflare. Aquas non niſi domeſticas bibit, quæ om[illegible] intra regionis fines ex fontibus limp[illegible] ſimis,

[1] *Bonfin. hiſt. Vng. decad.* 1. *lib.* 1.

ſimis, paſſim per montana ſcaturientes, in rivulos, amnes, ac fluvios coeunt. Sunt pleræque omnes piſcibus fœcundiſſimæ, quæ ſuis ſingulæ alveis longas per ambages vagatæ, minores à majoribus, diverſis in locis abſorbentur, donec univerſæ in omnium tota regione famoſiſſimum Albim ad Vſtam, vel potius ad Dieczinum collectæ, in vicinam Miſniam evolvantur.

II. Princeps in his eſt, qui à nobis lingua vernacula *Labe*, à Latinis vero, per literarum metathesin, quaſi ab allabendo, Albis vocatur. Hic in plaga regionis, quæ Sleſiam & Cæciam ſpectat, (ut Xiphilini [2] verbis utamur) ῥεῖ ἐκ τῶν Οὐανδαλικῶν ὀρῶν, hoc eſt, ex præruptis, Sleſiæ confinibus, & quidem mirificis Ribenſali dæmonis præſtigiis jam olim infamibus montibus duobus, (*Krkonoſſe* noſtrum vulgus, accolæ Germani alterum *Schneekippe*, alterum, ab arbuſculis quæ in eo humiles ſunt, *Kniebolz*, quidam verò montes gigantum appellant,) modico fonte erumpens, moxque perpetuantium iis in locis nivium colliquiis ſcaturiginibuſque di[illegible]is, utcunque auctus, verſus meridiem vadit, & ſuis quemque rivulis pau-

2 *Lib. 55. Epitomes Dion.*

latim excrescentes amnes cæteros, Vpam nempe (ex iisdem montibus, alio tamen in loco ortum) supra, Metugen vero infra Iaromierzam; Worlicen, hoc est Aquilam, Laucznâ margaritisque nobili Chrudimca aliquanto prius auctum, ad Hradecium-Reginæ exhaurit. Inde converso ad Aquilones itinere, Cydlinam ad Libicen, Mrlinam ad Nymburgam; Gizeram itidem ex *Krkonoßiis* montibus profluentem, infra Taussinium, obvios excipit, atque ita inter compascuos lætosque saltus, quasi exsultabundus, Vultavæ, qui ab eo dignitate est secundus, supra Mielnicum occurrit. Et vero istic, ut & parvo, brevibus interstitiis illinc disclusо amne Beßovca, recepto, Chablovcam ad Nuczniicias, Ohrzen seu Oegram, à plaga Occidentali, ex quatuor fluviorum parente Pinifero monte longis erroribus venientem, ad Litomierziceam, Bilinam ad Vstam, Plaucznicen denique & Badebacham ad Dieczinum combibit; indeque onustis annona, & rebus quodvis genus aliis, incolarum pariter & Misniorum navigiis, ut & artificiose in longam congeriem coagmentatis asserum, tignorum, oportunorumve foco lignorum, struibus dicam, an ratibus, usque & usque fatigatus, per saxis rupibusque horridarum conval-
lium

lium fauces, in Misniam eluctatur.

III. Vultava verò sive *Hltavva*, cujus inter amnes proxima est ab Albi dignitas, in plaga flatibus Africi obversa, ex Lunæ silva oræ Passaviensi finitima, paulo supra callem, quem aureum vocant, ebulliens, præter Zehnavam Zelnavamque vicos, ad Ortum iter meditatur, sed ob obstantia Rosenbergæ montana ad Septentriones conversus, Crumlovum, & mox Cœnobium S. Coronæ dexter præterlabitur, receptoque Malcza, quem nostræ linguæ homines *Malice* vocant, Budiegovicium adit. Progressus inde aliquantulum, Luznicen, sive à saltibus, sive à lixivio dictum, sinuosum retroque ab opido Tabor ad meridiem flexum amnem, paulo infra Tynam excipit. Zvvicoviæ vero propugnaculo, à Germanis, voce nobis peregrina *Clingenberg* dicto, propinquans, absorbet Blanicæ mixtum Varavam, cum quo communi, lignatoribusque Pragensibus familiariter notoalveo nonnihil viæ emensus Brsynæ ad Zrubcum, Cotsàbæ sub Stechoviciis, Sazavæ verò ex Moravo limite venienti propter Davulen, non procul ab aurifodinis Gilovianis, Mizæ denique seu Mzæ ad cœnobium Zbraslavinum (Aulam regiam Latine vocamus) junctus, & omnis generis frumento, insuper piscibus, caseis,

 sale,

ſale, & cætero commeatu onuſtis, ædificando aptarum arborum ratibus plerumque tantum non coopertus, Pragam Vrbium cæterarum matrem, medius interluit ac ſcindit. Inde vero ob lapideum, duodeviginti arcubus, & utrinque præaltis turribus inſignem, octingentos ſexaginta duos cubitos longum operis mirandi pontem, quo ſtratus ibi eſt, cum fremitu indignatus, per confragoſa ruit, tantiſper dum (quemadmodum paulo ante dictum eſt) ſupra Mielnicum in Albim exoneretur.

IV. Fluminibus iſtis ac fontibus, addidit natura, regionemque beavit; non tantum calidis, verum & medicinalibus aquis. Thermas valetudinariis perutiles, ei eſt largita in locis, quæ Teplicium à calore, & à fervore *Wary* vel Caroli balneum vulgus vocat. Illas anno Chriſti 762. ſuum volutabro, has 1335. canis venatici caſu, ac pilorum ἐν τῷ ἐξαναζέματι ambuſtione, hominibus perhibent fuiſſe detectas. Cz'erna Hora, Landeccumque ſimiliter, & *Tepla* tepidas habent undas. Acidis quoque fontium, Oegrani, Comorzanianique aquis multorum valetudinem eſſe adjutam eſt compertiſſimum. Talis olim [3] non longe

à Praga

[3] *Bohuſl. Haſſenſt. Epiſt. ad Martinum Pollichium Med. D.*

à Praga fuit fons miræ ſalubritatis ad Stechovicium. Talis etiamnum eſt Beneſſovo ad Caplicen propinquus, ad locum, eà de cauſſà *Dobra Woda*, h. e. ad Bonas-Aquas vocatum, balneariium nempe frequenti valetudinariorum concurſu celebre. Lacus & ſtagna (exceptis non adeò celebribus uno vel altero, videlicet prope Moſtam ſeu Pontem Vrbem, itemque prope Montem-Angelicum, & Teplam opidum,) vix ulla ſunt. Piſcinæ tamen, quarum pleræque magnitudine lacus repræſentant, permultæ paſſim habentur, commendatiſque ab exquiſita bonitate cyprinis, luciis, percis, & piſcibus id genus variis, abundant. Teſtis ejus rei eſt Pardubicena, Chlumecena, Trzebonæa, Rozdialovicena, Copydlana ditio, ubi, locorum dominis pecunioſa, temporibus ſtatis ſolet accidere piſcatio.

V. Ager Bojemus cultus eſt omnis, gleba pingui, & non niſi perpaucis in locis arenoſa, clivis, apriciſque collibus, ſilvis, nemoribus, ſaltibus, pratis, lætiſſimus, frugum omnis generis tam ferax ac dives, ut eas cum vicinis Norici & Miſniæ incolis, luculento indigenarum emolumento, quotannis communicet. Vini ea terra nequaquam eſt ſterilis, id

quod ad Pragam, Litomierziceam, Mielnicum, Launam, Vſtam, Chrudimam, aliiſque aliquot in locis haud infeliciter, nec palato inſuave provenit, ita ut, dummodo ejus ne ſimus prodigi, & uſibus neceſſariis ſufficiat, & bonitate Moravico antecellat, Auſtriaco vero æquipolleat, niſi quòd ætatem ferre nequit. Nam qui poſt Silvium Munſterumque rei inexploratæ ſcriptores, de ejus auſteritate nugantur, vappa ut ſe proluant, probe commeruerunt.

Lupuleta humulo præſtanti nobilia cum alibi paſſim, tum præcipue ad Zatecium, Launam, Clatoviam, Vſſtecam, ſolertia ſingulari coluntur. Hinc eſt quod & cerevifia, alba (ut vocant) ſeu triticea, Pragenſis cognomento *popeniczni*, Brodenſis, Strzibrenſis; Acerba ſive hordeacea, Zatecenſis cognomento *Sameck*, Racovnicenſis, Slanenſis, Boreccenſis, Chomutavienſis, magnopere commendatur, & humulus in Bavariam, Voitlandium, Miſniam, Luſatiam, exportatur.

Hortorum interea pomariorumque cura neutiquam habetur neglectui. Nam quia læta hîc, ac non infructifera eſt plantarum hortenſium & ſativarum æq; ac ſilveſtrium propagatio, læta luxurianſque omnis generis grata ſucci boni-

tate

tate præstantium pomorum, pirorum, nucum, leguminum, olerum, herbarum medicinalium, odoriferarum, coronariarum, complurium etiam non ita pridem peregre allatarum germinatio ac fertilitas, incolæ, suo quisque loco operam dant, ut pomaria, hortos, viridaria, non modo ad usus, sed & ad delicias habeant quam instructissima. Aromaticas inter herbas, crocum non est herba ignobilis. Optimum id succo, odore, colore, fert hæc regio, cultura tamen ejus, utpote operosior, non est apud quosvis promiscua. Oleastros raros, sed oleum, quod domesticum esset, nec dum ullum hîc vidimus.

Cæterum in pratis & saltibus videre est pascentem pecoris pecudumque generis cujusvis multitudinem ingentem, in silvis nemoribusque permagnam ferarum ac volucrum abundantiam, ita ut nec pecuarios, nec venatores, nec aucupes, collocatæ in eam curam operæ possit pœnitere. Vnde fit ut servandis equis generosioribus, apris, cervis, capreis, melibus; cygnis, pavonibus, phasianis, perdicibus; murænis, trutis; cyprinis, luciis, cæterisque id genus animalibus, θηριοτροφεῖα perampla, septoque egregiè clausa, Rex, & Proceres non pauci habeant, in idoneis ditionum suarum

locis, nec utiquam vulgaria.

VI. Salem ſane regioni huic natura in facili eſſe noluit. Quamvis enim nec is prorſus ei ſit negatus, ut ætatis ſuperioris experientia ad Reginæ Curiam, olim vero ad Slanam Bilinamque docuit, quia tamen vel fontes juges non erant, vel impenſæ reditibus inveniebantur majores, diſturbatæ ſunt officinæ, ac ceſſarunt operæ, ita ut partim ad Bavarici Auſtriacique, partim ad Saxonici ſalis uſum reverti, ſatius fuerit viſum. Defectus tamen hic compenſatur divite foſſilium cæterorum, metallorumque ubertate. Nec auri, nec argenti, nec ſtanni, nec cupri, nec plumbi, nec ferri, nec argenti vivi, nec ſulphuris, nec aluminis, nec chalcanthi, nec nitri, nec vitri nobis deſunt fodinæ ac officinæ. Eruitur autem aurum ex fodinis Gilovianis & Cninenſibus, eluiturque ac eliquatur ex ſabulo in aquis Tetinianis, Vatavæque amnis volutato; argentum inprimis Cutnæ, Ioachimi-valle, Prziſeznicii, Greſlicii, Ratiborziciis montibus, Rudolphopoli, & aliquot Suſſicæ vicinis locis, quandoque etiam Przibramæ; ſtannum, Crupecæ & Slavcovi, ſeu Slaccowaldi, ferrum Zdechoviceis, ComarovI, Nyzburgi, & alibi: Cuprum vero, ut & plumbum, plerumque etiam inter argenti ſtannique

venas

venas reperitur. Aluminis officinas Borecum, vitri Krzivocladena ditio, Heralecium, Cragevicium, Bircosteinum habet. Silvosus præterea quidam locus est in Bechynensi tractu, *na Mizauric* vocatus, in quo habemus operis frequentes ac singulares, apud Noribergenses pariter & Gedanenses, aliosque, jam dudum famâ celebres speculorum & perspicillorum officinas. Habemus domi marmoris, molariumque latomias; habemus calaim, amethystum, smaragdum, sapphirum, jaspidem, qui cum alibi, tum in primis in montibus Krkonossis passim inter cotes metallicas inveniuntur; habemus varias, easque raræ elegantiæ gemmas, & margaritas, quæ ex conchis propter Sedczium in Chrudimcæ, quandoque ad Crumlovum in Vultavæ, in primis verò propter Horadzdegovicium in Vuatavæ amnis profluente collectis, eximuntur; habemus flammam scintillatione imitantes carbunculos, (vulgo *Granaty*) qui exportatæ è puteis Podsedicianis ac Strzebivlicianis saburræ glareæque permisti, crebris percolationibus aqua elavantur ac perpurgantur. Nonnihil etiam referri posset de ea regionis dote, quod à venenatis animalibus, raptoque viventibus beluis, multo quam regiones cæteræ est securior ac expurgatior.

tior. Vrſi enim ac lupi ſævæque id genus beſtiæ non adeo ſunt in ea multæ: ſerpentes & ſcorpiones rari, dracones nulli. Quæ quoniam ad rem non magnopere faciunt, in iis percenſendis, animum ad alia vertenti mihi eſſe prolixiori nec libet, nec expedit.

CAP. II.

De Bojemiæ Diſtrictibus, Opidiſque & locis potioribus.

I. QVanquam Moravia, Sleſia, & Luſatia ſunt provinciæ coronæ regni Bojemiæ jam olim concorpores, & quamvis non ſimus neſcii, quod in Bavaria, ut & in Franconia ac Miſnia, perquam multæ ſunt ditiones quæ ad clientelam regni Bojemiæ pertinent, quarum nihilominus Vſurpatores ac Inſeſſores contra quam Vaſallos decet, fidem ac reverentiam Majeſtati Principum Bojemiæ debitam, jam dudum vel prorſus negligunt, vel parum comiter colunt: de iis tamen plene diſſerere nec hujus loci, nec noſtri inſtituti eſſe judicamus. In ſola ergo Bojemia commorabimur. Ejus autem ſupra memoratis finibus circumſcriptæ, aliam quam nunc eſt, apud veteres

teres fuisse divisionem, pauci inter nostrates sunt qui nesciant. Veteres eam aliquando in Przedlabianam & Zalabianam, seu quod idem est, in Cis-Albinam, & Trans-Albinam, & utramque in aliquot Czudas, h. e. territoria, sunt partiti: aliquando in dynastias sive toparchias, Caurzimanam, Boleslaviensem, & Lucensem, seu Zatecensem dividebant. [4] Wyssehradum tamen gentis totius principi cum imperio supremo reservabatur semper. Carolina tandem partitio, quæ longo post tempore, Carolo Regi, Imp. ejus nominis IV. placuit, publicè est approbata, ea quæ hactenus obtinet. Dispertitus is eam est in provincias, seu, ut usitatè loquimur, in districtus quindecim, eosque, suo quemque cognomine, majorem partem à primariis istic urbibus cognominavit, videlicet

1. *Pragensem*, 2. *Kaurzimensem*, 3. *Hradecensem*, 4. *Chrudimensem*, 5. *Czaslaviensem*, 6. *Bechynensem*, 7. *Vultaviensem*, 8. *Podbrdscensem*, 9. *Prachensem*, 10. *Plznensem*, seu *Pelznensem*, 11. *Racovnicensem*, 12. *Slanensem*, 13. *Zatecensem*, 14. *Litomierzicēsē*, & 15. *Boleslaviensem*.

His

[4] *Martin. Borecus hist. Boj. parte* 1. *p.* 24.

His nihilominus superadditi jam ante Caroli ætatem fuerunt, peculiaribus viventes institutis, ab Ortu solstitiali Comitatus Cladscanus sive Glacensis, ab Occasu æquinoctiali territorium Hebanum seu Egranum vel potius Oegranum, à solstitiali Loctense seu Cubitanum, ita ut districtus omnes duodeviginti sint numero. Omnium in his (ut res humanæ sunt) urbium, arcium, castellorum, opidorum, vicorum, variæ, me hercle possent notari, nunc blandientis, nunc sævientis fortunæ vicissitudines, varia nunc incrementa, nunc decrementa, quæ tamen ego disertiori, & à re libraria instructiori inter populares meos alicui voluminis magni scriptori, relinquo post me memoranda: compendio tantum, Minervaque rudi, quæ ad manum, & in hominum ore sunt, quæque instituto huic meo conveniunt, luci committere connitar.

II. Pragensi districtu nihil amplius quam totius regionis caput Praham, seu, quod perinde est, Pragam, ob ejus tum magnitudinem, tum prærogativas non vulgares, tum populi multitudinem, complecti placuit. (*Comit. Ann.* 1569. 1579.) Nomen Urbi primi conditores à Slavica voce *Práh*, quod limen sonat, dederunt. Libussa enim vates ac princeps

Bojemiæ,

Bojemiæ, cum animi caussa ut perhibent, Wyssehrado egressa, celso quodam in monte consedisset, & in Vultavæ sinuosum inter rupes profluentem despectans aptum Vrbi condendæ locum circumspiceret, de mariti Przemysli Ducis assensu, veteres Casurgis solo olim æquatæ Vrbis ruinas instaurare constituit; ambigensque de indendo ei nomine, nonnullos ex ministris, qui tum aderant, amandat, &, *Ite*, inquit, *per saltus istos ad villam quam videtis, cumque veneritis ad locum quo Brusca rivulus à Vultava absorbetur, lignatores quos habebitis obvios, quid agant, aut quid fabricent, interrogate, quodque responderint ad me referte.* Obsequuntur principis dicto ministri, duosque sive fabros, sive lignatores securibus eo in loco arborem sternentes offendunt, quos humaniter alloquuti, ecquidnam moliantur, rogant? Respondentibus iis, limen se fabricaturos; ad Libussam revertuntur, eique quod à fabris responsum fuit, renuntiant. Vertit in omen nuncium Libussa, &, *Felix id*, inquit, *faustumque sit, quod de limine nuntiatis. Vrbs quam statuimus* Praha *vocator. Plerumque enim fit, ut in domum ingressuri, nisi proni caput inclinent, in limine ipso impingant. Sic si quis Vrbis hujus nostræ hostis olim, quam amicus*

cui esse malit, nec eam pronus veneretur, suo ipsius malo id attentabit. Iacta ergo sunt Pragæ fundamenta in læva Vultavæ crepidine, ad pedem Petrzini Suillique montium, Przemyslo medias inter operas ad opus maturandum singulos cohortante. Et omnes quidem principi gratificaturi, certatim

——— *instant operi regnisque futuris;*

sed rudis tamen ex limo maceriaque fuit ista substructio, quæ nihilominus solertibus principum commonefactionibus tempore posteriore ab incolis & augebatur, & communiebatur, & nitidior, splendidiorque reddebatur, usque dum in eam, qua nunc conspicitur, tum amplitudinem, tum pulchritudinem paulatim assurgeret. Tres enim, quæ nunc sunt, ejus Vrbes, neque vni omnes tempori, neque uni principi accepta ferunt vel originis suæ primordia vel incrementa. Nam cum prior illa, cujus conditores Przemyslum cum Libussa fuisse docuimus, quæque postea Minor vocari cœpit, capiendæ omni populi multitudini non sufficeret, nec hinc aquis, inde montibus clausus Vrbis locus dilatationem ferre commode posset, Mnata princeps exstructam ab avia in Suillo monte ligneam domum amoliri, & subvecto ex Petrzino monte lapide, Vxori Strzezy-

slavæ,

flavæ, ejusque gynæceo arcem peramplam pariter & nitidam eodem in loco erigi jussit, quam nostra adhuc ætate, sacris æque ac profanis ædificiis ornatissimam, Hradczanisque pereleganti opido locupletiorem factam, in subjectam triurbem Pragam despectantem cernimus. Magnam etiam populi partem in adversam Vultavæ ripam transtulit, & exciso nemore, condendæque Vrbi majori fundamentis, (anno 723.) ascendente (si M. Nicolai SSudi observationi credimus) Scorpionis signo in plano positis, primus Vultavam ponte ligneo junxit. Modicam tamen vidit multitudinis istius in ædificando industriam, donec ab ejus excessu Vogeno filio rerum potiente, accita ex Minore Vrbe major populi turba, manum operi admovit, & ductis in obliquum, inde ab amnis crepidinibus, per mille fere & ducentos passus, profundissimis ex parte meridionali fossis, eam brevi & capaciorem, & munitiorem, & populosiorem, ac ædificiorum frequentia splendiorem fecit. Ab eo tempore ætas hominum omnis Majorem hanc Vrbem nunquam destitit excolere, ædificiisque cum publicis tum privatis, sacris & profanis, incrementa ei nitoremque majorem addere. Krzezomyslus princeps,

exſtructa intra ejus muros verſus Orientem magnifica Corte, frequens ipſe quoque, ut & poſt eum principes plerique omnes, uſque ad Vladiſlai II. tempora eam incolebant.

Carolus tandem rex, Imp. Romanorum ejus nominis IV. (præterquam quod eam ſtudiorum liberalium Univerſitate exornavit) volens Wyſſehrado alteri regis palatio, propiores habere cives, de aſſenſu Senatus Pragæ Majoris, ductis prius inde ab arce verſus Orientem uſque ad Porzicio villæ proximam Vultavæ ripam, validis & per certa intervalla turres præaltas ſuſtentantibus portis ac mœnibus, Vrbem quæ Nova vocatur, cœpit condere, Ann. 1348. Quæ ut maturius exſurgeret, multis propoſitis immunitatibus, poteſtatem publice quibuſvis fecit in Vrbe à ſe fundata, quam Carolinam vocari voluit, ædes novas conſtruendi, ac eadem propemodum, qua Praga Major gauderet, libertate legibuſque vivendi. Allecti ergo cum alia loci oportunitate, tum inprimis hortorum frequentium amœnitate plerique, præſertim materiarii, ferrarii, & id genus vicinos pulſibus aſſiduis inquietantes opifices, quin & non pauci quietioris vitæ homines, lares iſtic ſibi ac domicilia figebant, ita ut non multos intra

annos

annos novæ istius Vrbis ea, quæ nunc conspicitur, facies apparuerit.

Hæc igitur fuit Minoris, Majoris sive Veteris, & Carolinæ seu Novæ, Vrbium Pragensium origo ac incrementa.

Quæ vero, cum secunda, tum adversa cujusque fuerit fortuna, quoties fuerint variis bellorum motibus concussæ, flammisque & Vultavæ eluvionibus fœdatæ, pestis, famisque calamitatibus afflictæ, differere esset longum, neque huic instituto ac loco fortasse magnopere congruit. Vnicum est, quod hîc libet adjicere, poetæ nostratis, Petri nempe Capellæ, editum de Praga epigrammatium, sic canentis;

Lignea *prima fuit, posuit cum limina* PRAGAE
Iam tum surgenti prima LIBVSSA *suæ:*
Marmorea *inde stetit, postquam super æthera turres*
Extulit, & magnas luxuriosa domos.
Iam non Marmorea est, non Lignea, at aurea *tota*
Continua facta est sede RODOLPHE *tua.*

Splendoris nihilominus istius non parum Vrbi huic detraxit, primum Passavini, (*ann.* 1611.) postea Bucquojiani,

ni, *(ann.* 1620.) & nuper Saxonici militis irruptio, *(ann.* 1632.) quarum prima fuit Vrbs Minor per menses duos vexata; secunda opes ditiorum expilatæ; tertia domus plusquam mille trecentæ, intra semestre vastatæ, armamentarium regium evacuatum.

III. Praga ad Ortum tendentibus, primus se offert districtus Curimensis, vel potius Caurzimanus, ab omnium hujus regionis vetustissima Vrbe Caurzima sic cognominatus. A vulgo vocatur *Kaurzimsko.* Limes ejus ab Occidente est Vultava, & ab eo cognominatus districtus; à Septentrione Albis, ab Oriente districtus Czaslaviensis; ab Austro districtus Bechynensis. Sunt in eo liberæ regni Vrbes Caurzima, Colina, & Broda cognomento Bojemica. Opida quæ cum omni vicino agro in Regis patrimonio censentur, sunt Gilovia cum aurifodinis, Brandeisum, sive Brundusium, cum arce Albi imminente, Costelecium ad Albim, locò à natura communito, Schelacovicæ, Zapæ, quæ me *ann.* 1583. nascentem prima vidit, vicinæ, Sadscaque. Nobilitatis autem ditione continentur cum agro suo, Libna, Cleczanum, Chwaterubæ, Cloninum, Przerovum, Cluczovum, Caunicæ, Cerhenicæ, Zasmuky, Colodegæ, Aurzinovesium,

vesium, Ratagæ, Sternberga, Vulassimum, Catsovum, Costelecium in edito colle supra silvam quæ nigra vocatur, Pysseli, Hradecum seu Castellum ad Sazavam, Lissno, arces partim solæ, partim cum opidis, Zdeslavicæ, Pravoninum, Domassinum, Naczeradecium, Benessovumque opida: Cœnobium hic unum est, Abbatia clarum monachorum Ordinis Benedictini, quod ad D. Procopii supra Sazavam vulgo vocamus, Brzetislai II. Ducis opus. Sacra in eo, inde à principio, Slavica, non Latina, vel ulla peregrina lingua peragi erant solita. Tractus hic silvis abundat, ex quibus recisæ arbores secundo Sazava Vultavaque Pragam, & ultra in cæteram Vultavæ Albique adjacentem viciniam subvehuntur. Est hìc silva per quam Praga Brodam euntibus iter habere est necesse, & quæ *Fidrolec* vocatur, latrociniis eo usque infamis, ut cum locum furibus obnoxium notare volumus, proverbio, *Gest tu co na Fidrolcy*, dicere soleamus. Inter regias seu regni Vrbes liberas est, ut dixi, Caurzima Vrbs cæteris vetustior, quæ à voce *Kaurziti*, quod Latinis est *fumare*, nomen accepit. Lechum enim fratrem Czechi Ducis, cui suam gens nostra originem fert acceptam, perhibent paulo post quam à no-

ſtratibus ora hujus regionis quæ circa Rzipum, ſeu Zrzitum montem eſt, coli eſſet cœpta, propterea quod ager is omni ſociorum fratris utriuſque multitudini neutiquam ſufficiebat, à fratre Duce feciſſe ſeceſſionem, converſumque ad Eurum cum ſuis, bidui itinere perveniſſe ad locum quem inter nemora, lari figendo jam ante deſignarat. Is ut ne frater ejus eſſet neſcius, ex compacto, tertio à profectione ſua die, Sole necdum orto, nemus proximum, quod in edito fuit ſuccendit, tanta excitata flamma, ut ejus fumum fratri ſociiſque in monte Rzipo conſpicuum eſſe neutiquam dubitarit. In nemoris ergo flamma fumante abſumpti ſolo, mox ædificari cœptam Vrbem ex eo Caurzimam vocari voluit; quæ quia in agro ſita eſt frumenti feraciſſimo, pomariiſque aptiſſimo, mature non ſolum domorum populique frequentia, ſed & vallo maceriaque, adverſus vim hoſtilem oportuna, inclaruit. Præfuiſſe illi fertur Lechus priuſquam in Polonia conſediſſet, per annos plus minus viginti. A cujus diſceſſu Borziſlaus Svogi filius, rerum iſtic de Croci principis aſſenſu potitus, ditionis fines quaquaverſus prolatabat, ideoque dynaſta Caurzimenſis audiebat. Hæredem is ac ſucceſſorem accepit Gehonium, & hic

Mſtibo-

Mstibogium, decessorum exemplo principum in Bojemia amicitiam reverenter, dum vixit, colentem. Mstibogio defuncto surrogatus est Rozhonius filius, vasti ac inquieti ingenii juvenis; Qui & Caurzimam munire, & principum Bojemiæ fortunæ in occulto invidere, nunquam destitit. Nec paterna contentus dignitate, princeps à suis, non dynasta, vocari voluit. Brevi etiam post, mota Nezamyslo principi de finibus controversia, quod jure nequiit, armis occupare tentavit, non contemnenda tamen suorum suaque clade. Captus etenim, Nezamysli victoris mandato, naso mancus domum redire, alienoque abstinere cogebatur. Cui sine prole decedenti à Caurzimanis Slavomilus frater successor est datus, qui ditionem, Moravorum irruptionibus aliquanto jam tempore obnoxiam, parumque securam Horzeslao filio reliquit. Horzeslaus homo abjecti animi & meticulosus, cum Moravi grassatores Caurzimæ aliquando imminerent, eique excidium minarentur, missis ad eos legatis, seque suaque eorum potestati permittebat. Quem ii postridie ad se in castra evocatum, supplicemque factum, exocularunt, vastatoque omni agro, in Wyssehradensem viciniam excurrerunt. Sed à Mnata principe magnis

animis rejecti, cladibusque multiplicibus affecti, ab inquietanda Bojemia abstinere & Horzeslao excæcato ditionum ejus possessionem pacatam relinquere sunt coacti. Et longæva certe ac diuturna fuit Horzeslai, sicut vita, ita & gubernatio. Qui tandem eam ad Dolisium transmisit. Dolisio res moderante, ingens Caurzimam invenit infortunium. Exorto siquidem ex negligentia incendio domestico, tota à fundamentis, una cum factis è maceria munitionibus omnibus, conflagravit. Ope tamen ac opera Dolisii, in alium locum translata, auspiciis melioribus instaurari, & *Zlicsko* vocari cœpit. Validus sane murus circum eam tum statim fuit inchoatus: verum ut ædium urbicarum substructiones, ob civium dissidia sive desidiam tarde assurgebant, ita & Dolisii, Zliciique filii mortibus

— pendebant opera interrupta, minaq;
Murorum ingentes.

Vix tandem Crasnico, ab obitu Dolisii patris rebus imposito, operæ sunt perfectæ, & urbs instaurata. Fuit autem Crasnicus vir supinæ temeritatis, & lingua quam manu promtior, qui ratus se jam in novis Caurzimæ suæ munitionibus infortunii omnis securum, Neclanum principem, alibi tum occupatum armatus

armatus lacessere, & ducatum ejus prædis abigendis percursare pro ludo habuit. Sed missa adversus ipsum à Neclano valida militum manus, ducibus Wssebogio & Coldogio (quorum ab illo pleraque ditionis ejus loca vastata fuerunt; ab hoc vero Caurzima ipsa expugnata ac direpta) fortunis eum omnibus evertit, fugaque latibulum apud Moravos quærere compulit. Venit ergo tum in Przemyslææ stirpis principum manus Caurzimana præfectura, quæ Leslao, ex proceribus uni, à Neclano fuit commendata. Eo sine liberis post decimum præfecturæ annum fatis concedente, ab Hostivito principe Mstibogio fratri concessa, ejus, Drzslai filii, ac Hostivodii nepotis imperiis annos fere octuaginta regebatur. Cum autem Hostivodius jam senex & improles, Moravorum grassatorum metu præfectura abiisset, vitamque, incertum quo in loco, finisset, dynastia omnis ad principes Bojemiæ recidit, ac cum Wyssehradensi ducatu penitus coaluit, *(ann. 959.)* Caurzima vero urbs semper pari cum cæteris liberis seu regiis urbibus dignatione fuit. Originem ei suam debent Viri patriæ utiles & docti, M. Briccius de Zlitsca Pragæ Cancellarius, Paulus Pressius Theologiæ Doctor, M. Ioh. Fortius Hebrææ, &

M. Matthæus Collinus Græcæ linguæ publici apud nos Professores.

Intra duos à Caurzima lapides abest urbs *Colina*, quæ à quibusdam Colonia nostra dicitur. Ædificarunt eam veteres ad sinistrum Albis latus, nomenque ei à sudibus, quæ *Koli* vocamus, indidisse videntur. Natus in ea fuit summo quondam *(ann. 1397)* in Academia Pragensi magistratu functus M. Stephanus dictus de Colonia, primus Verbi Dei in templo Bethlehemitico Pragæ Minister, qui M. Ioh. Hussum aliquanto post accepit successorem. Item M. Iohannes Colonius, qui Euangelici Consistorii Pragæ Administrator fuit, *(ann. 1555.)* Propterea autem quod à magna Iudæorum multitudine habitaretur Colina urbs, à plerisque per ludibrium Iudæorum nidus appellatur.

Ab hac occasum versus tertio, à Praga vero quarto lapide diremta, suborto que nuper per imprudentiam incendio, flammis tota cum tribus templi turribus, cumque curia prorsus absumta, *(ann. 1627.)* stat in plano *Broda* cognomento *Bojemica*. Tempus ejus conditæ est in incerto: sed nomen tamen ei ex eo datum esse ferunt, quod cum Wyssehradenses Caurzimanique istis in locis armis infestis non semel inter se concurrissent,

riſſent, fuſoque in ſanguine pedes equi pariter & homines merſaſſent (quod vernacula noſtra lingua *Broditi* dicimus) municipium iſtic inter Prziſtaupinam, Tuhorazã, Tuclacamq; vicos, ab eventu ſimili (nempe ab accedendo, acriter feriendo, genuflexioneque) nuncupatos, aliquanto poſt ædificatum, à merſatione iſta ſeu vadatione cruenta, Brodam vocari voluerunt. Fuit olim ſub poteſtate Archiep. Pragenſis. Cinxit eam muro Erneſtus Archiepiſcopus primus; cæteris urbibus regiis, diplomate ſingulari eam in rem dato, accenſuit Rex & Imp. Sigiſmundus, *Ann.* 1437. In ejus vicinia propter vicum Hrzibum, commiſſum olim fuit memorabile illud prœlium, quo hauſtæ ex M. Ioh. Huſſi concionibus ſcriptiſque, & indefeſſo ſtudio excultæ purioris Euangelii doctrinæ ſequax & tenax Taboritarum, vt vocabant, bellatorum multitudo, à Compactatorum ſociis, Pontificiis ac Calixtinis popularibus ſuis, ultima clade (*ann.* 1434) eſt deleta. Et quia venientibus ex Moravia, inferiore Auſtria, Vngariaque viatoribus, aſſidue, ut Colina, ita & hic locus teritur, ratio ipſa dictat, non pauca memoratu digna utrobique accidiſſe, quæ tamen ſive majorum incuria, ſive fortunæ iniquitas, mihi & poſteritati hactenus invidit.

IV. Di-

IV. Digressi ex Caurzimensi districtu ad Ortum hybernum, veniamus in peramplam situque admodum amœnam provinciam seu districtum Hradecensem, qui vulgo *Hradecsko*, à primaria similiter istic urbe Hradecio-Reginæ, cognomentum est sortitus. Circumscribitur autem is ab Occidente districtu Boleslaviensi, ab Aquilone montibus Krkonossis & silvis ad Slesiam pertingentibus, ab Ortu Comitatu Cladscano Moraviæque plaga septentrionali, ab Austro denique districtu Chrudimensi. Sitæ in eo sunt liberæ urbes, Hradecium, Iaromierza, Bydzovum, Trutnovum ad Vpam, & Dwurum seu Curia, quæ Reginarum Bojemiæ sunt dotales. De Regis patrimonio sunt Podiebradæ arx & opidum cum omni suo agro, vivario, multa silva ac piscinis. Has inter maxima per integrum fere milliare quaqua versum diffunditur, & *Blato* dicitur. Albis opidum id à parte occidua alluit. Vuladislaus II. Rex pacto cum Henrico decessoris sui Georgii R. filio, post simultates sopitas inito, ditionem hujus arcis totam acquisivit, *(ann. 1495.)* & Regum patrimonio adjecit; Henrico verò Ducatum Olessnicensem in Slesiâ feudali jure concessit. In nobilitatis bonis censentur cis Cydlinam Dymocuræ,

Copyd-

Copydlenum, Velissus, Chlumecium; ultra Cydlinam vero Giczinum, quod nuper à recens creato Fridlandiæ Duce dilatatum & mirifice exornatum, Cumburgum, Gilemnice Schatslerzum, Adrſpachum, Peczka, Gosta, Smirzicæ, Nachodum, Crulichum, Novo-Hradistium, Opocznum, Boruhradeca, arces, partim ſolæ, partim cum opidis: opida denique Tynecium, Zizelicium, Bohdaneczium, Horzicæ, Wrchlabium, à vicinis Albis ſcatebris vocatum, Hoſtinnæum, Police, Dobruſca, Trzebochovicium, Solnice, Rychnovum, Coſtelecium, Czaſtolovicæ, Potſteinum, Vuamberga, Zamberga, Zampachum, Kyſsberga & Vſta ſeu Oſtia, ſub Aquilæ fonte, & ſi qua ſunt alia.

Opulenta hîc quoque eſt Abbatia & Cœnobium monachorum ſectæ Benedictinæ ab Abbate Brzevnovienſi Paulo Bavaro ad limitem Sleſicum, Iohannis regis ævo fundatum, & Volframi cujuſdam nobilis patrimonio dotatum, cui Braumovio eſt nomen. Teutones jam pridem exterminarunt ex eâ orâ linguam Bojemam prorſus. Poſtremis Rudolphi II. regis temporibus, & quamdiu Matthias rex regno præfuit, gliſcebant in hujus cœnobii territorio, acerrimis Pontificiorum pariter & Euangelicorum regni

regni procerum disceptationibus nutritæ turbæ illæ perniciosissimæ, quæ bello flebili, nuperæque, nec unquam satis deplorandæ, puriorem doctrinam amplectentium Bojemorum, ab Imp. Ferdinando II. ad Pragam *(ann.* 1620.*)* acceptæ cladi caussam & principia dederunt. Earum incentor fuit hujus loci Abbas, cum ædificati in opido à Teutono-Lutheranis Braumoviensibus templi novi usu, ædificatores minaciter prohibebat, quique obloquebantur carceri tetro includebat.

HRADECIVM, Vrbs in hoc districtu primaria ad Albis & Vuorlices h. e. (si Latinè interpreteris,) Aquilæ confluentem loco editiore ac perquam amœno, à Dobroslao illustri quodam dynasta condita esse perhibetur, *Ann.* 782. Vrbs est ampla satis, elegans ac populosa, à Praga & Cutnâ (quantumvis ringente Pelznâ) ex Vuladislai Regis privilegio, dignitate proxima. Nomen traxit à muniendo, quod homines nostri *Hraditi* dicunt. Vocatur vero Hradecium Reginæ, tum quia Reginarum Bojemiæ est dotalis, tum ut ab alio Hradecio, quod Henrici vocamus, discernatur. Destinata ac in usumfructum olim fuit data, *(an.* 1055.*)* à Brzetislao I. filiorum natu minimo Iaromiro, jam tum Episcopo Pragensi à

Duce

Duce patre designato, à Vladislao vero I. Duce, Sobieslao fratri, *ann.* 1115. Sed posteriore tempore Reginis Bojemiæ dotis titulo attributa, nunquam inter Vrbes dotales connumerari esseque primaria desiit. Arx in ea fuit latere cocto non ineleganter ædificata, in qua Reginæ, Richsa-Elissa totos annos triginta, quibus marito Wenceslao II. Rudolphoque Regib. vidua supervixit, itemque Elisabeta Caroli Cæsaris vidua annos quindecim domicilium habuêre, & vitæ finem fecêre. Eam tamen arcem incendio aliquanto prius (*ann.* 1407.) deformatam, opidani ipsi tumultu excitato (*ann.* 1423.) diruerunt, ita ut ad hoc usque tempus nitori pristino nequeat restitui, & nisi judicum singulari tribunali, de quo suo loco [5] erit dicendum, nobilitaretur, jam dudum vasta desertaque in ruderibus jaceret. Schola in hac urbe semper frequens fuit, liberaliumque artium studis celebris, templa similiter intra & extra mœnia assiduo verbi divini præconio personantia, inprimisque primarium, quod Spiritui Sancto est consecratum, & Archi-Decanatu insigne. Viri docti nati hîc quoque sunt M. Marcus, & M. Petrus de Gretz, Acad. olim Pro-

[5] *Infra cap.* 15.

Professores Pragæ, Cyprianus Leovicius, & Sfindelius Mathematici, Ioh. Balbinus, & Vitus Orcinus Poetæ. Inter alia commendantur à bonitate pressi in hac vicinia versicolores caseoli. Sorores urbis hujus, ut dixi, sunt, *Iaromierza*, Demetrii Sanguscionis Russi, ex vulnere quod Novo-Lyssę ab insectatore Martino Zborovio lethale accepit, hîc *(an.* 1553.*)* mortui tumulus, in loco ubi Albis Vpam haurit, sive à Iaromiro principe, sive ab eo quod *Yaro mierziti* (Ver metiri) dicimus; *Bydzovum* similiter à Bydo conditore, Vrbs sub Rege Maximil. *(ann.* 1570. *)* libera facta; *Trutnovum* vel potius Trudnovum, ab eo quod *trudno* (ægrimoniam vel τὸ μοχθηρὸν) notat; *Dvvurum* denique, hoc est curia, à conventibus quos Reginæ olim istic cum suis agitare consueverunt, cognominatæ regni urbes liberæ. Distant illæ à Hradecio, Iarzomierza secundo, Bydzovum, ut & Dwurum tertio; Trudnovum fere sexto lapide.

V. Dici de se vellet, utpote his locis contiguus Comitatus Cladscanus sive Glacensis; sed quia singulare is quippiam sibi vendicat, de eo, loco demum quindecimo placet differere: nunc aggrediemur districtum Chrudimensem, quem Hradecensis provincia à Borea attingit,

quique

quiq; orientali ac australi suo limite Moraviam respicit, occidentali vero districtum Czaslaviensem. Vulgo *Chrudimsko* dicitur à Chrudima urbe. Sunt in eo liberæ eædemque Bojemiæ reginarum dotales urbes Chrudima, Alta Myta, & Policzka.

Chrudimam, Paumbergæ vitiferis collibus decoram, à Chrudo conditore, *Altam-Mytam* læto delicatisque opportuno loco sitam, ab altis cæduæ silvæ caudicibus, *Policzkam* denique à tendiculis vocatam nonnulli ferunt. Chrudima fuit M. Victorini Cornelii de Vusslehrd, Gabrielisque Suechini Iur. Doct.; hujus Consiliarii, illius Secretarii regii, patria. Alta-Myta M. Nicolai, M. Iohannis cognomento Sophistæ, Academiæ Pragensis olim luminum, Germanis collegis in disputationum palæstrâ formidabilium, itemque M. Wencesslai Crussinii, & M. Pauli Cubinii cunis memoranda. In qua nihilominus incola fuisse olim putatur Cugeba quidam, homo insigniter, atque eo usque stupidus, ut proverbio vulgari locum ineptiis fecerit, quo designaturi hominem insulsum, solent dicere; *Neni nez Kugeba z Meyta*. In patrimonio Regis hîc sunt, situm in monte, subjectamque quaquaversum planitiem ex alto despe-

C ctans

ctans propugnaculum *Kuneticska hora* sive Cunaci-Mons, itemque Pardubicæ arx ad Albim cum splendido post cineres *ann.* 1507. elaboratius instaurato, curaque Wilhelmi Pernsteinii egregie munito opido, ita ut nobis in proverbio sit: *Splendet instar Pardubicii.* Ditio est cum ob saltuum venatui aucupioque, tum ob piscinarum, quæ quadringentæ præterpropter numerantur, piscationi opulentæ juxta & voluptuosæ accomodatissimarum delicias, Rege haudquaquam indigna. Regiæ etiam huic ditioni paret Przelauczium opidum ad Albim, jam pridem ob litem quandam sententia iniqua perinde ac ridicula, ad XVI. Calend. Mart. (*ann.* 1598.) decisam, deridiculo vulgi obnoxium. A nobilitate tenentur arces Zdechovicæ, Miestecium-Hermanni, Slatinani, Stolani, Teynecium-Rochi, Chrastum, Cholticium, Chraustovicium, Cossumberga, Rychumburga, Chocena, Brandeisum ad Vorlicen, Novo-Hradæ, Cruceburga, Raubovicæ, Bystrus, Rosycæ, Ziumberga, Rosycæ, Worle, Aurzeczicæ, Svogesticæ, Morassicæ, Dobrzicovum, Zamrscus, Auherscum, Geleninum, Trzebova, Landscorona, & quæ Episcopa quondam fuit celebris, civitas etiamnum arxque non obscura, Litomyslæa. Vitri officinæ

hic

hîc quoque sunt ad Heraleciumꝛ& Wrziſtum. Tractus prætereà hic, ut & Hradecenſis totus, equorum fœtura cæteris anteit.

VI. Si ad Occaſum ex Chrudimenſi provincia eas, attingit ejus oram diſtrictus Czaſlavienſis, cujus fines obvertuntur à Septentrione diſtrictui Hradecenſi, ab Auſtro Bechynenſi ac Moraviæ parti, ab Occaſu provinciæ Caurzimenſi. Vernacula noſtra lingua *Czaſlavvſko*, vocamus ab urbe Czaſlavia. Regias hîc & liberas urbes habemus Cutnam ſive Montes Cutnæos, & Czaſlaviam.

Cutnæ nomen quæ dignitate poſt Pragam prima eſt urbs, plerique volunt origine eſſe Germanicum; id quod alii à voce *Gutt*, quod opes, alii à voce *Kutte*, quod Cucullum, alii à voce *Kutna*, quod malum Cotoneum notat, deducunt. Verum mihi M. Laurentii Sarcandri primariæ Cutnenſium ſcholæ quondam Anteceſſoris placet judicium, qui innixus fidei vetuſtorum quorundam monumentorum nomen hoc ex noſtrate voce *Kutiti* deducit, quæ ſignificatione ad id, quod Latini fodicando ſeu ſcalpendo veſtigare dicunt, aliquo modo accedit. Nam quia Cutna eſt urbs metallica, in qua ex repertis Wenceſlai II. Regis ævo fodinis argentum, cuprumque

 præ-

præstantissimum [6] permultis jam hominum ætatibus, ad hæc usque tempora magna copia eruitur, ita ut montis istius tricollis viscera, nunquam intermissis fossorum operis, noctes atque dies perreptentur, tundantur, fodiantur, scalpantur, ex eo *Kutna Hora*, scite admodum ac convenienter nomen invenisse est censenda. Tantæ olim fodinarum istarum erant divitiæ, ut Romanorum Imp. Albertum Wenceslao regi, ex amico necessitudinibus conjuncto, hostem fecerint, ac ingloria ad arma concitarint, (*ann.* 1304.) Henricum Carinthium *ann.* 1308.) ad expilandum regnum proritarint, à Zisca, cum eam Sigismundo Imp. præripere, eoque belli contra Hussitas gerendi nervum abscindere satageret, Anti-Christi crumena, [7] à Georgio rege pera saculusque suus, cognominatæ fuerint. Hodie quamvis non æque affluant, luculento tamen nihilominus cultores suos beant lucro ac emolumento. Vrbs Cutna est ab oneribus publicis immunis, & jam inde ab Iohannis regis temporibus, (*ann.* 1338.) percusso arctiori, ac ei quod Rhodios inter & Athenienses, olim viguit simili quodam

[6] *Michoviens. Polon. rer. lib.* 4. *cap.* 2.
[7] *Bonfin. hist. Vng. decad.* 3. *lib.* 2.

dam fœdere, cum Majori Praga in unam quasi civitatem coiit, ut nempe qui civis esset Pragensis, idem jus haberet civitatis Cutnensis, & qui esset civis Cutnensis, gauderet etiam jure & civitate Pragensi. Emendis vendendis hæreditariis seu allodialibus in regno fundis, possessionibus, ac solo cohærentibus id genus bonis, parem cum nobilitate impetravit (*ann.* 1501.) à Vladislao & (*ann.* 1541.) Ferdinando I. Regg. libertatem; nec urbium cæterarum more de tabulis regni inserendo contractu, Regis assensum specialem, aut qui de eo referant, Internuntios ex nobilitate procurare habet necesse. Mercatores Cutnenses à vectigali Francofurti ad Mœnum solvendo, prorsus immunes esse jussit (*ann.* 1359.) Imp. Cæs. Carolus IV. dato ad Aquas Granenses diplomate, pari jure ut Pragenses, Wratislavienses, & Sultzbachienses. Religionis urbs hæc, olim Pontificiæ, posthac repurgatioris Euangelicæ, perquam fuit observans, Ministerio sacro scholisque bene ac sapienter constitutis, ut & quodam quasi presbyterio, longo tempore floruit. Sumptuosissimum hîc ac mirandi operis templum est, quod ex sacra D. Barbaræ ædicula fossorum societas ædificavit (*an.* 1390.) & quotidianis fere sumptibus etiamnum

ornatius facit, quam in rem regia liberalitate in perpetuum donatæ unaquaque hebdomade, ex Italica corte (sic monetariam officinam vocant) duæ sexagenæ grossorum Pragensium pendi consueverunt.

Vno ab ea, sed prægrandi, lapide distat *Czaslavia*, urbs amœno planoque loco, à Czaslavo conditore, viro quodam opulento, magnæque apud Crzesomyslum principem authoritatis, cognomentum sortita, *ann.* 796. Vt autem principio adversus inopinatas Moravorum irruptiones fuit ædificata, ita posterioribus temporibus, quoties ex ea plaga furor militaris in nos sæviit, prima fere semper infesta vidit hostis signa. Hîc nuper, extremis Matthiæ Regis temporibus, Comes Bucquojius imperiales aquilas ostentavit, (*ann.* 1618.) hîc aliquanto ante Matthias ipse, coronam fratri extorturus, Vngarorum, Austriorum, Moravorumque phalanges, ad arma nobis inferenda convocavit, *Ann.* 1608. In hujus urbis templo primario, sepulturæ honorem obtinuit victoriosus Hussitarum belli dux Iohannes Zisca, cujus clava propter ejus epitaphium columnæ inscriptum, suspensa, usque ad nuperam, quam ab Imp. Ferdinando II. accepimus, cladem, inviolata servabatur. Eam

à victo-

à victoria Pragensi in Moraviam tendens protervus Bucquojianus miles abstulit, & epitaphium Wilelmus Vurzesovecius καζενομυθέτης, contumeliose abolevit, *Ann.* 1620.

Quinto ab urbe hac lapide ad Austrum euntibus occurrit non ignobile opidum *Broda Teutonica* dictum, à prædonibus Germanis ad sinistram Sazavæ amnis ripam, loco edito (*ann.* 793.) olim fundatum, paulatimque à Bojemis meis amplificatum. Id neque libera urbs est, nec in Regis, nec in ullius ex nobilitate patrimonio. Et quamvis angustis in rebus, sicut quondam (*ann.* 1561.) ex Maximiliani Regis liberalitate ad Comitum Turrensium; ita posteà ex contractu recentiore ad Trczkææ stirpis Baronum patrocinium confugere, illisque eo nomine temporarium, sive honorarium quoddam pecuniæ vectigal, quasi ex tutelari seu Advocatiæ jure pendere singulis annis soleat; sui tamen nihilominus est juris, & multis gaudet immunitatibus. In Regis patrimonio nihil his locis præter argenti fodinas jam dictas fuit, prius quam ditio Malessoviana ab Rudolpho Rege esset comparata, *ann.* 1586. Sub nobilitate suntNovo-Dwory, Zehussicæ, Ronovum Lichtemberga seu Lichnicium, Krchlebæ, Cze'estinum,

Zbraſlavicæ, Wylimovum, Genicovum, Krzivuſaudovum, Lipnicum, Humpolecium, Polna, arces cum agris, quædam etiam cum opidis ſuis, Malinum foſſorum Cutnenſium petulantia olim vaſtatum, rhaphano præſtante clarum. Ledecium, Habrum, Chotieborzum, Przibiſlavum opida. Eſt præterea in hoc diſtrictu Ordinis Ciſtercienſis Monachorum cœnobium, qui ſub Abbate vivunt. Conditum & Sedlicenſe, ex Ephippio cognominatum id eſſe perhibetur ab Epiſcopo Pragenſi Daniele, Stirpe Barone de Lippa, (*ann.* 1149.) Et quia Cutnæ Vrbi nimis eſt vicinum, perſæpe cum ea ejus Cœnobitæ (ut ſunt monachi hominum genus irritabile, latifundiorumque helluones) de finibus ac juriſdictione ſolent contendere.

VII. Diſtrictum Czaſlavienſem excipit Bechynenſis, inſignis ſane terræ tractus, à Bechyna propugnaculo, nomen adeptus, qui ab Ortu æſtivo diſtrictum Czaſlavienſem, ab hyberno Moravos, à Meridie Auſtriam, ab Occaſu diſtrictum Prachenſem, à Borea partim Vultavienſem; partim Cautzimenſem attingit. Lingua noſtra *Bechynſko* vocamus. Vrbes in eo liberæ ſunt Budiegovicium, Taborum, Peldrzimovum, Tyna ad Muldam.

BYDIE-

BVDIEGOVICIVM, vel potius Budiegovicæ, quam Germani corrupte *Budevveyß* vocant, est Vrbs non solum splendida, sed & probe communita, ad dextram Vultavæ amnis, loco oportuno ædificata. Est vero non admodum vetus, ut quæ demum post Przemysli Ottacari II. Regis tempora, propter Cœnobium, quod eo loco à Dominico cognominatis sodalibus, idem Rex erexit, construi cœpit, neque dum trecentos quinquaginta annos stetit. Nomen ipsi à vigilantia videtur esse factum. *Buditi* enim nobis idem est quod Latinis è somno excitare, inde *Budiegovvice* locus ubi dormientes excitantur: quanquam alii à parturientis cujusdam fœminæ principis clamoribus, *Budegich Wyce*, (h.e. Erunt fœtus plures,) sumptum volunt. Vrbs est Pontificiæ religionis cultrix rigida, & ab Euangelicorum institis vehementer abhorrens. Tametsi enim non pauci olim in ea fuerunt cives, qui à Romanis ritibus & doctrina alieni, non modo æquo cum cæteris jure civitatis gaudebant, sed & religionis Euangelicæ exercitia libera habere permittebantur, nostra tamen fere demum memoria mos contrarius inolevit, & ne quisquam qui Romanæ Ecclesiæ placita improbaret, civitatis jus consequi posset, impetrato

eam in rem ab Rudolpho Rege privilegio, est sancitum. Etsi vero antehac quoque celebre fuit Budiegovicium, plurimum tamen innotuit, cum militis Passavini in Bojemiam irruptione, eo intra muros recepto, tum post excitatum sub Matthia rege bellum religiosum, diuturna, qua ab Ordinum Bojemiæ copiis premebatur, obsidione. Magnis est donatum privilegiis, & inter alia habet jus Stapulæ, quo salis ex Austria vectores in ipsorum civitatem divertere, salque vænum proponere tenentur, & non nisi dependo prius certo vectigali ultra progredi permittuntur.

Taborum, sive, ut cives ejus scriptitant, *Hradißtie Hory Tabor*, hoc est, Castrum Montis Tabor, ab Hussi discipulis, quinto post supplicium doctoris sui anno, fundatum fuisse ac ædificari cæpisse, publice constat. Ii namque cum ab adversariis, in templis divino cultui palam vacare prohiberentur, in abditis silvarum montiumque recessibus cœtus sacros, exædificatis eam in rem ligneis ædiculis, agitare fuerunt coacti. Paulo vero post à Nicolao Husso, qui intra mensem decimum crure fracto mortem obiit, & Ioh. Zisca, viro in hac vicinia equestri loco prognato, ad religionem armis tuendam concitati, Austiam, Baronis

Sezymæ

Sezymę opidum, (*an.* 1420.) post festam Bacchanalibus comessationem, multamque in noctem extractam compotationem, somno vinoque sepultum, matutini invadunt, capiunt, ac diripiunt, indeque in vicinum, prærupto, eâ tempestate *Klokotska Hora* vocato monti supra Luznicen impositum ejusdem Sezymæ Baronis castellum, facta impressione, sexto id die similiter expugnant, castrisque ibi positis, eorum curam Procopio Cameniceno commendant. Quoniam vero videbant adversarios ex Sigismundi Cæsaris cohortatione acturos, & arma in suam perniciem expedituros, tuto dubiis in rebus receptui ac asylo, locum aliquem idoneum capiendum, ac muniendum decernunt. Cumque nullus eo, ubi tum castra habebant, oportunior occurreret, de diruenda vicina Austa, & materia ejus ad ædificandam pro castris Vrbem transportanda, consilia conferunt. Concurritur igitur, &

—— ferro circum, quæ summa labantes
Iuncturas tabulata dabăt, à sedibus altis

convelluntur impelluntur que, ruit Austa urbs antiqua, & ex ejus ruderibus, assurgit nova, Taboritis, recens tum à castris sic vocatis, militibus stationem tutam datura. Ædificabatur autem tum illa,

illa, interius sane opere fere tumultuario, & prout quisque fixit tentoria; exterius vero, tametsi rupibus & amne defensa, fossa nihilominus, muro, ac propugnaculis ingeniose communiebatur. Datum ei nomen est (ut & Taboritis ipsis) à castris. Ridiculus enim est Silvius, qui Taboritis, viris castrensibus convitium facit, & quasi complicibus suis à Tabore Palæstinæ monte cognomentum dedissent, falsè eos, sed inepte perstringit. *Tabor* namque in nostra lingua est id, quod Latinis castra, *Taborzi* idem, quod homines castrenses. Vrbem hanc libertate donavit, post res suas in regno confirmatas, Imp. Sigismundus, privilegiisque abunde exornavit, & inter Vrbes regias connumerari jussit. A cujus morte cum Albertum generum regem ea habere (*ann.* 1438.) recusaret, & proceres regni, qui Casimiro Polono, regni coronam imponere contendebant, intra muros cum Polonis præsidioque cætero accepisset, gravem ab eodem Alberto, ejusque assectatoribus obsidionem, per dies fere quadraginta perpessa, fortiter sustinuit, ac tricies mille bellatorum assultus frustraneos fecit, nec arma prius quam Albertus in vivis esse desiisset, deposuit. Rudolphi II. Regis anno ultimo à Passavicis,

ut

ut vocabantur, militibus, stratagemate occupata, (*A. C. 1611.*) grandi in periculo fuit. Nuper (*ann. 1621.*) similiter cum datam Friderico Regi fidem, contra Ferdin. II. Imp. tenaciter observaret, ab ejus copiis Duce Balthasare de Maradas est cincta, quarum impressiones à 21. Maji, usque ad 8. Novembris viriliter retudit, & non nisi necessariorum penuria ad deditionem compelli potuit. Imminet ipsi Pintovca saltus haud inamœnus, itemque machinis hydragogicis operosis aquam Vrbis incolis copiosè ministrans piscina ingens Iordanis cognominata, quæ vasto permagnæque altitudinis ac crassitiei aggere coercetur, quem si quando diruperit, inundatione vulgo creditur Pragæ Veteri aliisque, ad Vultavam & Albim depressioribus locis, prægrande damnum allatura. *Luznice* flexuosus & aurifer amnis, ab occidua; alius vero quidam, ex supra memorata piscina, ignoto nomine evolutus, ab Australi eam parte lambit, prout hæc fere omnia plenius jam ante apud Silvium descripta cognosci possunt. [8]

Peldrzimovum, sive *Pelhrzimovum*, Vrbs est opibus cum quavis Vrbe Regia certare

[8] *In collatione cum Taboritis habita, & Hist. Bojem. capp.* 1. 4.

certare non impotens, sed quia à literarum liberalium studiis hactenus fere abhorruit, ea propter nec de ejus origine, nec de ullis rebus memorabilibus, quicquam potuimus observare. Archiepiscopos Pragenses, dominos quondam agnoscebat. Nomen accepit ab Episcopo Peregrino, quem Bojemum vulgus *Pelhrzim* vocabat. Bello superiore ab Ordin. Bojemiæ contra tranquillitatis publicæ in Bojemia hostes, sub Matthia Rege excitato, eam apud mortales frequentem in ore fuisse meminimus, quod Cæsareo militiæ duci Comiti Dampierrio, cum quinquies mille armatis adversus Bojemos venienti, Septembri mense, hospitium & occupandorum in vicinia aliquot municipiorum occasionem præbuit.

Reliqua inter Regias Vrbes hîc est Tyna, Vrbecula necdum ex veteribus nuperisque favillis, ut oportuit, recreata, nec ita pridem inter Vrbes regias cooptata; Vocatur autem *Tyna*, à voce *tyniti*, quod est sepire, quasi Sepimentum, vel Septum dicas, & Tyna ad Muldam seu Vultavam, ut ne cum Tyna Horessii confundatur. Vultava amnis (quod non ab re quis forte mirabitur,) abundat hoc loco Salmone pisce nobili, qui opulentioribus solet in deliciis esse. Sal ex Austria regius Budiegoviciis delatus, hîc recon-

reconditur, & statis temporibus, impositus ratibus, Pragam Vultavâ secundo demittitur. Fisci bona seu regum patrimonialia, exceptis Budiegovicio vicinis argentifodinis Rudolphstadianis, hîc non video esse aliqua. Quæ vero procerum nobilitatisque ditioni subsunt arces, opida, vici & permulti sunt, & nitidi, & complures bene muniti. In his principes sunt Henrici-Hradecium, Trzebona, Bechynia, Arces cum opidis adversus vim hostilem non vulgariter munitæ.

Henrici-Hradecium, aliâs Nova domus, seu castellum, mea opinione, ab Henrico quodam gente Vitcovecio cognomentum traxit. Ad nostram enim usque ætatem hanc, gentis ejus proceres qui Rosam auream pro insigni gerebant, & de Nova-domo vocabantur, dominos ea agnoscebat. Est Vrbs satis ampla, splendideque ædificata, & digna quæ libertatem pleniorem, locumque inter Vrbes regias aliquando inveniat. Erexit in ea, superbe à Iesu societate vocatis monachis, collegium luculentum loci dominus Adamus de Nova-domo, Baro inclytæ ejus stirpis penultimus.

Trzebona propugnaculum est perquam validum, in planitie inter paludes situm, Petri Woci, ex inclyta pervetustaque procerum Rosensium stirpe ultimi, in-

dustria

dustria ac magnificentia, cum aliis decoribus, tum inprimis bibliotheca, ac armamentario exornatum. Nominis ejus origo videtur esse sumpta ex voce nostra, *Trzeba*, quod Latini dicunt voce aptota: Opus, quasi quis dicat loco isthoc sibi fore opus. Germani *Wittigenavv* vocant. Pro porta ejus restagnat *Svviet* (quod est si interpreteris, Mundus) prægrandis piscina, in qua ædicula stat pervetus, D. Ægidio consecrata: Diffunditur sub eo similiter Suieto major piscina cognomento Rosenbergica. Fœtificæ piscium sobolis capere ea dicitur .cxxxiicIↃ. Hostiles impetus semper id hoc propugnaculum languerunt. Passavicus (*ann.* 1611.) miles non unus hîc corpore duram ex vulnere planxit humum. Bucquojius Comes (*ann.* 1618. 1620.) pervalidum Matthiæ Ferdinandique Impp. exercitum ductans, necquicquam ei est insidiatus. Trzebona videlicet cæteris omnibus diutius in Friderici Regis fide perstitit, ac in hoc regno pene ultima in Imp. Ferdin. II. potestatem deditione venit, *ann.* 1622. 2 *Martii.*

Bechynia similiter est arx egregia, loco oportuno & à natura munito, à primis Regni incolis Bojemis, in ardua rupe ædificata, cui opidum adjacet jam olim in hoc tractu non ignobile. Etenim

cum

cum ab arce hac & opido totus distri-ctus hic nomen traxerit, conjectura est Vrbes, quæ nunc sunt, liberas famæ cele-britate huic tum haudquaquam fuisse pares. Nec à Taboritis ea olim, nec à Ferdinandicis nuper vi manifesta potuit expugnari: sed ab illis deditione, ab his *(ann. 1619.)* proditione occupabatur, paulo tamen post, facta à regiis ex indi-cio pastoris cujusdam per subterraneos specus occultos, irruptione, recupera-batur. Minoris vero notæ, pleræque tamen non incelebres nobilitatis arces, castella-que, partim sola, partim cum opidis hic sunt: Sobeslavia insigni à Petro Woco ex illustri dynastarum Rosenbergiorum stirpe ultimo erecta dotataque religionis repurgatæ Schola celebris. Neustupovia, Hotzepnicum, Lautcovia, Zelivum, Miliczinum, Vuozice, Cheynovum, Paczovia, Gistebnicium, Chaustnicæ, Nova Bystrzicia, Lissovia, Landsteina, Novo-Hradium, Rosenberga, Rzeczice, tum quæ Rubra, tum quæ Cardassii vo-catur, Cerequicia, altera nova, altera (ut & Camenicia) Lescovecii cognominata, Poczatky, Czernovicium, Wesselium, Lomnicia, Suinæ, Benessovia cum Offi-cinis vitrariis, Caplice, & quædam alia, Cœnobia monachorum tria, in hoc tra-ctu sunt, Vadum altum, Ordini Cister-

cienſi à Zaviſſio Roſenbergio dynaſta erectum, ejuſque familiæ monumentis inſigne: Bechynenſe pro Franciſcanis à Zdiſlao Sternbergio fundatum, & Milevſcanum, monachis, qui Præmonſtratenſes vocantur, à Babone quodam Comite exſtructum. Totus autem hic diſtrictus bello paullo ante Matthiæ regis obitum accenſo, *(ann. 1618.)* ferro ignique miſere fuit vaſtatus, incolæ pars trucidati, pars diſſipati, ita ut ad hoc uſque tempus multa calamitatis iſtius veſtigia in oculos incurrant.

VIII. In Bechynenſi igitur diſtrictu ſeu provincia hactenus verſati, convertemus nos ad tractum omnium minimum, qui à Vultava fluvio Vultavienſis cognominatur. Vulgus *Wltavvſko* vocat. Eſt autem is figura oblonga, ad Septentriones quaſi faſtigiata, cui ab Ortu & Borea, adjacet diſtrictus Caurzimanus, à meridie triangulata, quædam diſtrictus Bechynenſis portio, ab Occaſu partim Prachenſis partim Podbrdſcenſis provincia. Nullæ in eo ſunt Vrbes liberæ, nullum regis vel fiſci patrimonium, nullum Cœnobium. *Sedlczana* ſive, ut quidam ſcribunt, *Sedeſſæ*, habentur hîc pro opido primario, quod tamen nobilitatis ditione tenetur, ut & Conopiſtæ, Tloſcovum, Crzepenicæ, Oſeczanæ,

Osceczanæ, Merulæ-Mons, Rubens Hradecum, Chlumecium Lobcoviciorum, cum obscurioribus aliquot aliis.

IX. Relicto hoc modicæ amplitudinis tractu, in alium haud multo spatiosiorem transeamus, qui Podbrdscensis nuncupatur à licio forte, quod nostri *Brdo* appellant, quasi Sublicianum dicas. Vulgo *Podbrdsko* solemus nominare. Fines ejus attingunt ab Ortu æstivo Caurzimensem, ab hyberno Vultaviensem, à Meridie Prachensem, ab Occasu Pilznensem, à Septentrione partim Racovnicensem, partim vero Slanensem districtum. Regia seu libera Vrbs in eo est unica *Berauna*, ad dextrum Misæ amnis latus exstructa, quæ quia in eam persæpe Vulcanus desæviit non admodum splendide reædificari potuit, sed nec prorsus est invenusta: Tertio à Praga abest lapide. Teritur ejus via assidue à viatoribus in Imperii Germanici regiones, ex Vngaria, Polonia, Slesia, ac Moravia, per Bojemiæ Regnum iter facientibus. Condita esse fertur à Lybussæ sorore Terca, & ex Slavossii mariti nomine, *Slavvossovv* appellata. Postea tamen cum absumptis peste hominibus, aliquanto tempore vasta ac deserta stetisset, & latrociniis infamis esse cœpisset, à vicinis ex nostrate voce *Berau* quod non-

 nun-

nunquam *Rapere* significat, *Beraun* dicta fuit. Figulorum officinis abundat, & vasorum ejus opificii bonitate elegantiaque excellit. Quoniam vero figuli ad fornaces suas ignis quotidiani vehementia plerunque rubescunt, ideo proverbium inter homines nostros invaluit, ut quoties alicujus faciem ex ulcusculis rutilam volunt notare, Beraunensem appellent. Quoties hostis aliquis à Meridie vel Occasu Pragam armis tentavit, nunquam periculo Vrbs hæc caruit. Sic memoria nostra Passavicus miles eam *(ann.* 1611.) expilavit, sic Ferdinandicus nunc nuper *(an.* 1620. 1632.) acerbe vexavit. Vno ab ea lapide abest clarissima, à conditore Cæsare Carolo *(ann.* 1348.) Carolsteina cognominata, & superiore seculo inexpugnabilis judicata, nostra vero hac sagacissimæ solertiæ ætate, ob circumstantes montes, bello parum utilis æstimata, arx & propugnaculum. Servabantur in ea hactenus singulari ac accurata diligentia Regni Corona, privilegia quæ post Sigismundæam *(ann.* 1426.) & Ferdinandæam *(ann.* 1547.) expilationem, residua habentur, ut & κειμήλια quæque reip. præstantissima. Ager vicinus cum castellis aliquot pagisque & villis circumjacentibus, est in ejus ditione, cujus incolæ singularibus gaudent

immu-

immunitatibus, quorum munus est custodiis perpetuis, pro arce excubare. Redituum ordinariorum, luculentorum sane, Burggravius est usufructuarius. Agnoscit quoque arcis hujus dominium, pervetustum, & cum aliarum provinciæ principum sede, tum inprimis Lidmilæ martyrio olim illustre Castellum ac opidum Tetinum, à Tetka Libussæ sorore, & conditum & denominatum, in cujus aqua præterfluente, statimque in Misam illabente, auri ramenta reperiri consuêrunt. Regis ac fisci patrimonium peramplum hic est & eximium, Cors regia, Tocznicum, Z'ebracum cum opido, Zbirohum, Dobrzissium, cum villis, silvis, agroque omni, & Cninensibus aurifodinis: Sunt Cœnobia, Zbraslavianum, (Latinis Aula-regia) Cisterciensibus monachis, *(ann. 1297.)* à Venceslao Rege II. ad Vultavæ Misæque confluentem amœnissimo loco exstructum: S. Ivani seu Iohannis in petra vel spelunca, à Borzivogio I. Duce *(ann. 909.)* conditum, & aliquanto post monachis, sub abbate, Benedicti regulam observantibus traditum, quod, ad sepulchrum S. Ivani eremitæ, peregrinatione anniversaria 9. & 8. Calend. Iunias, à maxima hominum multitudine, partim religionis, partim voluptatis ergo solet fre-

quentari: S. Dobrotivæ, hoc est Benignæ, monachis Augustinianis ab Vlrico Hasenburgio *(ann. 1163.)* ædificatum. In nobilitatis fundo bonisque, sunt Horzovicium, Lochoviciumque arces cum opidis Nyz'burgum, Comaroviumque castella cum ferrifodinis, itemque Osovum, Sferzipel, Litna; Mnissecum & Myta, opidula, cum quibusdam notæ obscurioris aliis.

X. Perlustrandus tandem est districtus seu provincia, à vetusta, & jam in ruderibus jacente arce *Prachno*, Prachensis nuncupata, cui confines sunt, ab Ortu Vultaviensis & Bechynensis districtus, ab Austro Austria superior, ab Occasu diœcesis Passaviensis, & provincia Pilznensis, ab Aquilone districtus Podbrdscensis. Peramplus quoque hic terræ tractus est, & nisi bello, Matthia regnante, contra Zelotas Pontificios à Bojemis Euangelicis moto, miserabiliter fuisset vastatus, cum populosus, tum opulentus. Vulgus nostrum *Prachensko* appellat. Liberæ hîc ac regiæ Vrbes sunt, Piseca, Suffice, Vodn'ana, & Prachaticium. PISECA est Vrbs in dextro Vatavæ amnis latere infra Blanices confluentem à primis auriferorum ramentorum seu arenæ istis in locis in Vatavæ amne repertoribus, condita, & *Pisek* quod arenam sonat,

ſonat, vocata. Ii namque cum experimento didiciſſent magnum ſe, ſi eluendo è glarea auro invigilarint, operæpretium facturos, conjunctis ſtudiis Vrbi iſti principia dederunt, quæ pedetentim & aucta, & munita, & populi multitudine impleta fuit. Excoluerunt ejus pomœria & agrum poſteri, ita ut, & domi neceſſaria affatim, & foris congruam ordini ſuo authoritatem haberet. Literas quoque manſuetiores ſemper, & ſequuta eſt ipſa, & eos qui iis erant addicti, amavit ac magni fecit. Cladem, ut ego quidem arbitror, nunquam accepit majorem quam ea fuit, quæ eam religioſo, poſt defunctum Matthiam regem ab Imp. Ferdin. II. nutrito, bello, graviſſime afflixit. Namque cum à belli Duce Comite Bucquogio, arctiſſime obſeſſa, ad deditionem 19 Auguſti. (*an. 1619.*) conditionibus periculoſis faciendam eſſet compulſa, primo matronas puellaſque ſuas promiſcue conſtupratas doluit, totiſque decem diebus maleferiati militis Cæſariani direptioni permiſſa fuit. Recuperata poſtea, & capto Martino de Huerda in præſidio iſtic à Bucquogio, cum duabus cohortibus relicto, Cæſarianis ad quintum Decembris diem, per Erneſtum Comitem Mansfeldium extorta, ſanguinis ſitienti hoſti truculento

bilem fecit. Is anno sequenti reversus, vique eam maxima adortus, undique cinxit, ac ferro & igni à fundamentis intra dies paucos evertit, deletis internecione ultima universis in ea maribus. Rediit ergo (data à Cæsare ipsi cum liber ex captivitate rediisset) in Martini de Huerda hominis Hispani potestatem Piseca Vrbs, vasta tum ac deserta, cujus superbo dominatu etiamnum premitur. Emersit homo iste ex sartore vestiario in turbis istis Bojemicis, & nomen inter viros bello claros invenit, nulla re alia, quam Religionis Euangelicæ persequutione. Etenim ubicunque aliquantulum posse sibi est visus, nihil fere aliud egit, quam quod homines à religione puriore, vel promissis mendacibus, vel tormentis exquisitis, avertebat, & ad pontificios cultus adigebat, gloriari ore blasphemo ausus, plures ab se intra breve tempus Catholicos esse factos, quam à Christo & omnibus ejus Apostolis toto prædicationis ipsorũ tẽpore essent facti.

SVSSICE sive Suticium, Vrbs hujus tractus secunda, ex vico quodam parvulo ab auri ex glarea purgatoribus, qui à nostrorum hominum vulgo *Ryζovvnicy* vocantur, amplificata jam olim Vrbis celebritatem accepit. Cùm enim ii, divitem auri ramentorum copiam, inde ab

ipsis

ipſis Vatavæ vicini amnis ſcatebris, in aquis volutari animadvertiſſent, laribus figendis locum hunc, jam ante, ut dixi, nonnullis ab hominibus habitatum, accommodum eſſe judicarunt. Metallicas igitur operas ſuas in amne, fabriles vero in ſicco, ea induſtria urſerunt, ut brevi & res eorum familiaris, & Vrbs inchoata, incrementa, haudquaquam contemnenda ſumſerit. Probavit hæc ſtudia Mnata Princeps, ſurgentemq; metallicam hanc Vrbé, liberalitate cum aliis pari gaudere voluit. Nomen ei ex voce noſtra *Suſiti*, hoc eſt à ſiccando, eſt datum, quaſi Siccatorium dicas. Ramenta enim iſta recens ex aquis educta, crebriſque ablutionibus madentia, ad Solem ſiccare hîc oportuit. Situs ejus eſt humilis, in valle montibus circumdata, ideoque ſemper ea literarum, quam armorum, fama magis excelluit. Dedit autem Patriæ non paucos Viros doctos: Dedit (ut alios prætercam) Roſacios tres, M. Iohannem, poetam graviſſimum, M. Adamum, domi Primatem, & M. Sophoniam Zacæ Archigrammateum, facundia & politicæ prudentiæ ſcientia claros. Sexto ab ea lapide dirimitur, contraria ex cauſſa nomen ſortita, Vrbs libera *Wodn'any*. *Woda*, nobis aquam ſeu undam: *Wodniti*, idem quod inundare, *Wodn'any* locum in quo

aqua redundat, usitate notat. Ideoque *Wodnany*, Latine loquentibus non inepte fortasse possent Aquilegia dici. Germani corrupte, ut pleraque omnia, Budnam vocant. Vrbs est, ad Blanicen amnem, mediocriter munita, pervetus illa quoque, sed cujus conditæ, nec tempus, nec authores à quoquam, quod sciam, hactenus sunt proditi. Verisimile tamen, & ex nominis notatione probabile est, eodem, quo Sufficen, ævo exstructam fuisse. Bello illa ob fidem Regibus, regnum libera electione adeptis, servatam, ut olim sub Georgio, ab Vngari Matthiæ complicibus, *(ann.* 1468.) ita nuper sub Friderico, ab Austriaci Ferdinandi affectatore Maximiliano Bavariæ Duce, *(ann.* 1620.) hostiliter fuit exagitata, ac militi in prædam data. Dedit similiter & illa nobis complures doctos, patriæ perutiles viros, quos inter fuerunt, Thomas Hussinecius Doctor Medicus, Bartholomæus Baronides, donata Carolino collegio domo, posteritati memorandus, Wenceslaus à Radcova, Iuris nostri consultus, Iohannes Campanus, poeta argutus, Græceque doctus, ambo Philosophiæ Magistri.

Altero à Vodnanis lapide distat Prachaticium, locum & nomen inter Vrbes Regias, nobis adolescentulis sortita, Vrbs limiti

limiti Bavarico vicina. Nec à quo, vel quando, sit fundata, necunde nomen habeat, majores nostri scriptum reliquerunt. Vetustam tamen esse, non est dubium, videturque datum ei nomen, vel à carie, vel à pulvere. *Prachnivve'ti* enim est carie corrumpi, & *Prach*, notat pulverem, quorum ad utrumque, nomenclatura ista alludit. Fuit olim sub Antistite Wyssehradensi, post Zizcianos tamen motus in Raupoviorum potestatem venit, tandem verò hypothecæ titulo transiit in ditionem dynastarum Rosenbergensium. Ducit in eam ex Bavaria per Lunæ silvam, locis paludosis trabium compage constratus, olim angustus, sed bello superiore latior aliquanto factus callis, quem aureum cognominant, quo sale onusti equi clitellarii ab agasonibus agi, & in hanc Vrbem commeare, indeque frumento graves redire solent. Antiquissimum siquidem est in Vrbe hac salis emporium, quod ab Italis docti Stapulam vocant. Hanc ei invidere, ac in agrum suum pertrahere persæpe tentarunt potentes ex nobilitate vicini. Solis namque bello pręclare gestis rebus, moderatoque clientulorum censu, & latifundiorum cultura, statim suum tueri olim in gente nostra soliti, celebres natalibus viri, ævo jam hoc, non putant plerique

rique generi suo esse indecorum, non modo institoriæ, cæterisque popularibus negotiationibus inhiare, sed non raro nec sordidis cauponationibus, ac nundinationibus abstinere, pudendo, ac viris stirpe claris probroso, exemplo. Invidia tamen ista hactenus frustra fuit, ac, regum æquitate, Prachaticio jus antiquum conservatum est. Fortunam quam Ziscano olim, eandem Ferdinandico bello nuper, est perpessa. Septembri enim mense, ut Ziscæ *(ann. 1420.)* ita & Bucquogii gladio *(ann. 1619.)* vi transcensis mœnibus permultos ex suis civibus sanguinem profudisse flevit. Natales suos Vrbi huic debet M. Christmannus (Krzisста'n vulgo vocatur) Mathematicus celeberrimus, itemque Doctor Wenceslaus in Academia Carolina olim Rector. In literis tyrocinia sua accepta ei quoque tulit, natus proximo in pago, religionis in nostra gente repurgator M. Iohan. Hussus. Imminet ei mons ex ipso cacumine fontem aquæ dulcis, Patriarchæ cognomine effundens, Libiehonius ab incolis vocatus à latere dextro, Blanice amnis à sinistro. In regio patrimonio, procurante Rudolpho rege esse hîc cœpit; Rosebergicæ domus proceribus, longa prius serie possessa, perampla ac perquam locuples ditio Crumloviana, in cujus territorio

ritorio visitur., re pariter & nomine oblectabile viridarium, ac spatiosa tempe, à Wilhelmo ejus nominis ultimo dynasta Rosensi, figura quadrilatera ædificata, topiarioque splendido eleganter exornata, *Kratochvvil* nostris dicitur. Est autem Crumlovia arx pariter & opidum nitidum, probe communitum, in sinistra Vultavæ ripa, oportuno fruticetisque & pratis læto loco constructum. Certum est id, ut & permultas in hac ora arces alias, à Vitconis cujusdam inter proceres viri potentis, & multorum filiorum patris posteritate, ante annos plus minus sexcentos esse ædificatum, & voce, ut ajunt, à saltus curvatura desumpta, vel ab eo quod vulgo *Kry* (id est glaciei tabulas) & *militi* (commolere) dicimus, quasi *Kru mlovv* nuncupatum. Collegium Iesuitarum sociis in eo erexit idem, de quo dixi Wilhelmus Rosenbergius. Qui simulac plumas nido majores habere se aliquanto post viderunt, Euangelicæ religionis cives istic, Rudolpho rege occultis, Matthia vero regnum adepto, manifestis, machinationibus, premere non ante destiterunt, quam omnes penitus exstirpatos ab se esse gauderent. Iter ad hoc opidum ex Bavaria, per Lunæ silvam à Passavicis militibus ante prætentatum, & posteritati nostræ forsan periculosum,

culosum, bello Ferdinandico est apertum, ac, via nova, appellatum. Ejus beneficio Cæsariani, calamitoso nobis bello illo, quasi ex improviso, & Crumloviam nobis eripuerunt, & Comitem Mansfeldium ad Zablatium oppresserunt, & speratam nostris Budiegovicii expugnationem eluserunt. Sunt hîc non uno loco argentifodinæ, ad montem videlicet Reichensteinianum, Hradecæ, Nalzioviæ, & inprimis Przibramæ. Sunt in Vatava amne, ut diximus, [1] perelegantes in conchyliis gemmæ, ac in glarea auri ramenta. Vicinum Crumloviæ est monasterium ac Abbatia S. Coronæ Spineæ, Cisterciensis instituti monachis, ac Ottacaro Rege, aliquanto ante quam, commissa adversus Rudolphum Imp. infelici pugna, occubuisset, à fundamentis (*ann.* 1263.) [2] excitatum, & mox à victoribus Cæsarianis flammis absumptum, ex cujus opibus rege Matthia, Pontificii Zelotæ episcopam Budiegovicii, novo exemplo, plantare cogitabant. Est & alterum, à S. Corona sexto lapide diremptum, sive cœnobium, sive Castellum cum opido Equitum D. Iohannis Melitensium, vestem alba Cruce insignem gestan-

[1] *Sup. cap.* 1. § 5.
[2] *Chronicon Australe apud Freherum.*

ſtantium, Prioratu Magno, ſive ſupremo nobile, à pica ave garrula *Strokonice* cognominatum, cujus Prior ſupremus, quoties ex indigenis optabatur, inter regni Ord. ſemper fuit præcipua dignatione.

Nobilitatis opes luculentæ ſunt in hac provincia. Arces enim, opida, caſtella, prædiaque opima ab ea poſſidentur, qualia ſunt Orlicum, Zwicovia, Hluboca, tria ad ſiniſtram Vultavæ ripam propugnacula, quorum virtus bello nupero præcipue enituit. Ante Caroloſteinam conditam, Zwicoviæ, regni Coronam, cæterumque ornatum in turri quæ tuberoſa vocatur, & lapide quadrato, operis mirandi tota conſtat, ſervari ſolitum ferunt. In arce hac Ferdinando Imp. ad obſequium compellenda, à Lazanſcio tribuno (*ann.* 1621.) operoſe ac diu ſudatum fuit. Situs ejus eſt ad Vultavam & Vatavam confluentes, qui pro porta meridionali pontibus uterque ſuis coërcentur. His adde Brzeznicen, Lnarzium, Sedlecium, Horazdie'govicium, Strzelam, Rzepinum, Carolibergam, Vimbergam, Helfenburgum, Vitcovum, Blatnam, arces ac caſtella, quædam ſola, quædam cum opidis vel vicis: Mirovicium, Miroticium, Caſlègovicen, Vuolinam, Catovicen, Bavorovum, &, à Ferdi-

Ferdinandicis incolarum cęde nuper fœdatum, Netolicium, Lhenicen, Chuvalczinas, Herzicen, Planam, Vuolaros, Zablatin, & alia gentium minorum opida non pauca.

XI. Descriptis autem Bojemiæ provinciis, quæ degentibus Pragæ hominibus ad Ortum Meridiemque cernuntur; describemus jam quoque, ut poterimus, eas quæ ad Occasum & Boream sunt. Has autem inter occurrit, prima Plznensis provincia, districtus nobilitatis, populi, rerumque omnium copia præcipuis nihilo inferior, præstantium vero ac scite compactorum caseorum bonitate, cæteris omnibus commendatior: Vulgus *Plzensko*, & incolas *Plzaky* vocat, à clarissima Vrbe regia quæ à limacibus, eo loco, tum cum Vrbs (*ann.* 775.) condi inciperet maximo numero repertis, *Plzen'* sive Pilsna dicitur. Fines ejus pertingunt versus Ortum ad districtum Podbrdscensem, Prachensemque, versus Miridiem ad oram Bavariæ, versus Occasum ad Palatinatum superiorem seu Nortgoviam & oram Oegranam, Versus Boream vero ad districtum Lucensem, & Racovnicensem. Vrbes in eo regiæ sunt Pilsna, ut diximus, Glatovia, Strzibro, seu Miza, Domazlicium, Rokytsana. PILSNA, est Vrbs post Cutnam montem,

Hrade-

Hradeciumque Reginæ, toto regno celeberrima, tuto à natura loco, inter Mizam, &, Bradawcæ aquis auctam Cadburzen amnes, splendide admodum ædificata, ac probe communita. Vhlava quartus in hoc tractu amnis, paulo infra eam Mizæ commiscetur. In magna Vrbs hæc fuit gratia apud Venceslaum I. & Iohannem Reges, apud Sigismundum, & Ferdinandum utrumque Cæsares, qui eam, & privilegiis, & opibus, exornarunt. Zisciano bello; minas insultusque Hussitarum (*ann.* 1421. 1433.) bis irrisit, & fortiter contempsit, eisque jam tum & postea semper, cum hilariis uno quoque anno solenniter actis, insultavit, tum, recepto inter suos convitio, propudiose illusit, gabalum seu furcam apud se vetustiorem esse dictitans, quam esset Hussitarum irreligiosa hæresis. Verum cum Matthia rege accenso religioso bello, idem iter essent ingressi, & contra literis factam Ordd. Bojemis amicitiæ contestationem, militem, Felice Dornhaino Duce, Directorum sigillis abusi, inauctorarent, non paucos ex nobilitate vicina captos in custodia tenerent, eruptionibusque ex Vrbe frequentibus prædas agerent, ac hostilitatis signa cætera darent, vicinos Zacenses & Recovnicenses irritarunt, Ordinibusque ad mitten-

dum adversum se cum aliqua peditum equitumque manu Comitem Mansfeldium Ernestum, occasionem, nihil tale cogitantibus, præbuerunt. Venit igitur, comitatus Zacensibus Racovnicensibusque incolis, cum turmis ac cohortibus suis Mansfeldius in conspectum Pilznæ Vrbis ad 19. Septembris, civesque ad saniora consilia cohortatus, cum nihil moderati respondentes invenisset obsidionem inchoavit, ac contumaces ad frugem meliorem armis cogere contendit. Tulêre eam obsidionem opidani fortiter, obsidentiumque conatus, armis contrariis retundere non prius destiterunt, quam hostis, post occisum aliquanto ante Dornhainum, Cadburze amne alio derivato, patefactoque machinis muralibus, ab Ortu hyberno ad portam Pragensem per vetus balneum, ab Austro vero per Monasterium Capucinorum in Vrbem aditu, vi maxima irrumperet, eamque ad 21. Novemb. diem, (*ann.* 1618.) nequicquam resistentibus eriperet. Suburbia hortique peramœni circum Vrbem, ab ipsis civibus ante obsidionem fuêre flammis consumpti. Furca vero, cujus vetustatem adversus Euangelicos cavillatorie jactitabant Pilznenses, ab obsessoribus est eversa, & nova, suspendendo ex ea primo omnium carnifici

fici Vrbico, (qui contra quam leges id genus nebulonibus permittunt, strenuus per hanc obsidionem Pilsnensium commilito fuit, & milites Mansfeldicos complures sclopeti ictu interemit,) lignea, loco alio erecta. Defensa autem fuit à Mansfeldicis viriliter adversus Ferdinandicos, ab eo die Pilsna, etiam post cladem Pragensem, tantisper usque dum, corruptis pecunia Vrbi, à Friderico Rege impositis præsidiariis, frustra reclamante Hermanno Franco tribuno, (*ann.* 1621.) in eorum manus deditione venit. Dedit & illa nobis viros doctos non paucos, ac inter eos Procopium de Pilsna, Venceslaum Corandiceum, Iohannem Khernerum Magistros, Iohan. Dubravium, historiæ patriæ scriptorem, Casparem Cropacium Laureatum poetam, Casparem-Ladislaum Stehlicum Mathematicum.

Glatovia, vel fortasse melius CLATOVIA, Vrbs regia, Czimislao præclaro cuidam dynastæ originem suam fert acceptam, ac cum (*ann.* 771.) conderetur, nomen à Clavtoca Czimislai uxore accepisse fertur, sed demum sub Vldrico principe (*ann.* 1000.) vallo, murisque est circumdata, ac in ordinem Vrbium liberarum cooptata. Data olim fuit à Vladislao principe, (*ann.* 1243.) paternæ

hæreditatis titulo fratri Theobaldo, cum omni terræ tractu, qui inde à fonte Vultavæ, usque ad Mizæ fluvii crepidines, protenditur, fuitque in ejus ac Theobaldi filii ditione per annos septem & quadraginta. Theobaldus enim junior, accepto tandem Znoymensi Ducatu in Moravia ab agnato principe Cunrado, Vrbis ac tractus hujus dominio renunciavit. Bello ab Hussitis olim moto Prædicatorum (quos vocant) nobile in ea collegium, cœnobiorum in Bojemia omnium primum diruebatur. [3] Spectata hujus Vrbis civium fides erga principes fuit, cum alias, tum difficilibus Georgii regis rebus. Pro eo namque, cum, is diris pontificiis impetitus, non modo proceres quosdam suos, sed & Mathiam Vngariæ regem, cruceque signatos, Pauli II. P.P. ex Bavaria emissarios, hostes experiretur, conjunctis cum Ianovskio Barone viribus, durissima quæque subire non detractarunt, ac prœlio cum iisdem cruce signatis feliciter (*ann. 1467. 2 Iul.*) commisso ad Negirzscum, occisoque Nothaphto quodam nobili cruce signato, vexillum ejus in primario Vrbis suæ templo suspenderunt. Nupero vero pro religione & patriæ libertate sumpto bello, grave

[3] *Bonfin. decad. 3. lib. 2.*

grave similiter adiêre periculum, cum pugnanti pro Ferdin. Imp. adversus Fridericum Regem Bavariæ Duci Maximiliano, portas clausissent. Coacti tamen sunt & illi imperata facere, & Bavaro, quem dixi, Vrbem dedere, quod ad 13. Octob. diem (*ann.* 1620.) est actum. Calanticâ telæ genere perquam subtili, celebris est hic locus. Ex gossipio ea consuevit hîc à puellis scienter texi, & ab Vngaris negotiatoribus magnâ vi quotannis in Vngariam, quandoque etiam in Turciam exportari.

STRZIBRUM, sive Argentina nostra (*Strzibro* siquidem nobis idem, quod argentum Latinis significat) ad lævum Mizæ amnis latus sita, conditorem agnoscit principem Sobieslaum ejus nominis primum. Vocata autem Vrbs hæc est *Strzibro*, propterea quod in fundamento ubi ædificanda erant ejus mœnia, argenti glebæ fuerunt inventæ. *An.* 1131. Commode est & ædificata & munita, commendabaturque hactenus non tantum nostrorum hominum, sed & Noribergensium mercatorum præconio, à coctæ è tritico cerevisiæ bonitate. Bello Hussitico (*ann.* 1426.) occupavit eam, ex composito, ut tum quidem Pilsnenses querebantur, Przibico Clenovius, nec ea decedere voluit, quam accepta in com-

pensationem ab Imp. Sigismundo Volina cum omni ejus agro. Arma nuper per eam oram circumferente Bavariæ Duce Maximiliano, in Ferdinandi Cæs. potestatem, 16. Octob. (*ann.* 1620.) invita venit, & ab eo paulo post Christiano Illavio militum tribuno, nobili Marchico, est tradita. Natales suos ei debebant Iacobi duo, artium Magistri, viri inter doctos celebres; prior Iacobellus vulgo vocatus, Hussi in sacello templi Bethlehemici Pragæ, cum M. Martino Volinio successor, alter vero, Strzibrensis dictus, Academiæ nostræ ante annos 138. Rector: similiter Iohan. Hlawsa.

DOMAZLICAE porro est Vrbs regia in limite Bavarico ad inhibenda hostium Bavarorum latrocinia, tempore Boleslai sævi principis condita, &, ut quidam nec probabiliter, nec convenienter perhibent, à Germanis ex domestica cum stomacho iracundia nuncupata. Germani enim lingua nostra nec loquuntur, nec viros *Doma zlicemi*, (quod de fœminis diceretur,) sed *Doma zlymi*, vocassent. Quidam à gena, & ungo, deducunt. Mihi videtur verisimilius, anxios ob crebras hostium excursiones, necessariorumque suorum expilationes, loci accolas, urgente domestico animi, sive dolore, sive mœrore, cogitasse de construenda

ſtruenda munitione, ex qua, & in hoſtes prædam meditantes erumpere, &, quoties numero ac viribus vincerentur, perfugium habere poſſent, ideoque Vrbem hanc condidiſſe, & à *Doma*, hoc eſt *Domi*, & dolenter quiritantibus quos voce *Zeljcy*, ſignificamus, *Domazlice*, una ſaltem extrita vocali, cognominaſſe. Vtut eſt, urbem hanc ſemper pro muro Bojemis adverſus Bavaros graſſatores fuiſſe conſtat. Sunt quoque multo jam tempore ſub eorum poteſtate hypothecario jure, homines alioqui non vulgaribus exemptionibus gaudentes, qui *Chodovve*, & vulgo *Pſohlavvcy*, nuncupantur. Perhibetur, captivos eorum patres in Bojemiam cum pecoribus ſupellectileque ruſtica tranſportaſſe ex agro caſtri *Chodzec* ſive *Gdec*, in majore Polonia propter Notecium amnem ſic vocato, [4] Victor Brzetiſlaus I. princeps, eoſque in *Czirzin* ejus oræ ſilva ingenti (*ann.* 1038.) collocaſſe, ac libertate multa ipſis conceſſa legibuſque & præfecto conſtituto, limitis cuſtodiæ præfeciſſe. Domazlicium Germani Tauſſium vocant. Qua de cauſſa, ipſi viderint, modo ne ad tritam illam de Othone Magno fabulam confugiant.

[4] *Coſmas. hiſt. lib. 2. Michovienſ. hiſt. lib. 2. cap. 13.*

giant. Vt autem prisco illo, & armis acri avorum nostrorum ævo, ita & Ferdinandico bello nupero, Bavarorum hostium impetus, omnium prima Vrbs hæc sustinuit. Ab eo enim limite, pro Ferdin. Cæsare bellum in Bojemia gesturus Maximilianus Dux, irruptionem, (*ann.* 1620.) Septembri mense fecit, & resistentes per triduum Domazlicenses, agro ipsorum ferro ac igni vastato, quin & castris Vrbi admotis murisque verberatis, deditionem facere coëgit. Ejus & Clatoviæ vicinia laudatur ab optimo melle atque mellificio multo.

Rokytsana denique, quinta hujus provinciæ Vrbs regia clivosa fere & silvosa, feraci tamen in regione est sita. Nomen videtur accepisse à vimine, vel vimineto, quod apud nos *Rokyti* dicitur. Episcopi Pragenses Vrbis hujus libertati non raro olim fuerunt graves. Opes Vrbis sunt luculentæ. In liberarum Vrbium regiarum ordinem, demum est an. 1583. cooptata. Viros doctos M. Simonem, & M. Iohannem, illum Academiæ Rectorem, hunc sub Georgio rege postulatum Archiepisc. Pragensem, nec non M. Iacobum Philetum, consiliarium regium, aliosque plures, edidit. Famam quoque nuper (*ann.* 1620.) invenit aliquam, ex positis ad eam nuper Friderici

Regis castris, & inter velitares aliquot pugnas fugato in familiares silvas Bucquogiano milite; sed gaudium hoc illius non fuit diuturnum. Silva quæ inde à Myta lateribus suis ad eam fere pertingit, in longumque lapides aliquot protenditur, *Wydrzíduch*, à rapinis, vocatur. Regius fiscus nulla hîc habet bona præterquam, si forte usus postulet, opulenta aliquot Cœnobia, qualia sunt Cladrubinum à Vladislao Duce (*ann.* 1122.) monachis Benedictinis; Choteſſovinum & Teplense à Hroznata Comite, virginibus instituti Præmonstratensis; Plassense Cisterciensi sectæ, sub Abbatibus; & Pivoncanum, à Brzetislao I. principe in monumentum maxima strage è Bojemia depulsi ab se Henrici III. Imp. Eremitis Augustinianis, sub Priore, conditum. Nobilitati subjiciuntur arces, castella, opida, prædiaque perquam multa; ut sunt Cacerovia, Suanberga, Tachovia quondam Vrbs regia, Przinda, Borum, Svihovum, Tyna Horeſſii, Ronsperga, Ryzimberga, Viridis-mons, Opalca, Hersteinum, quædam sola, quædam opidis vel pagis aucta. His adde opida sola, Planam, Radnicen, Pilzenezium, Przesticen, Stodum, Bielamy, Hostaunam, Negirzscum, & quæ ejus notæ supersunt.

XII. Pilsnensi provinciæ cohæret di-

ſtrictus, Lucenſis à pratis, vel Zatecenſis à Zatecio Vrbe, cognominatus. Fines ejus junguntur ad Auſtrum, ei, de quo diximus, tractui Pilznenſi, ad Occaſum Loctenſi, ad Aquilones Miſniæ montanis, ad Cæciam Litomerzicenſi, ad Subſolanum Slanenſi, & ad Eurum Racovnicenſi diſtrictui. Vernacula lingua dicitur *Lucſko*, vel *Ziatecſko*. Frugum, vini, & præcipue humuli terra ferax. Suos olim provincia hæc ex comitiali populi arbitramento accepit, & aliquandiu habuit dominos de Przemyſlæa domo principes peculiares, Vratiſlaum Placidum, & Vlaſtiſlaum ambitioſum. Zbiſlaus Vlaſtiſlai patris hæres, in pueritia à pædagogo Thuringo ſcelerate fuit obtruncatus, dynaſtiâ illâ ac ditione omni ad agnatum Neclanum principem revolutâ. Principum iſtorum ævo Ducatus audiri voluit, & dividebatur in quinque territoria. Primum erat ad Ryvinam, ſecundum ad Vzcam, tertium ad Bruſincam rivos, quartum vocabatur à ſilvis Podleſina ad Mizam, quintum Laucſco ad Laucſcam. Tendit enim è medio hoc tractu longis ambagibus per Slanenſem diſtrictum uſque ad Vultavæ crepidinem vallis quædam in planum modice reducta, *Laucſka* vocata; de qua vulgo jactari ſolet, etiamſi totoRegno incidat annonæ ſterili-

sterilitas, in solo vero Lauscæ agro seges feliciter proveniat, habituram abunde gentem totam unde fami antevertat. Incolis hujus districtus innatum fere est, ut sint superciliosi, subsannatores, & religionis publico consensu approbatæ pertinacissimi cultores. Vrbes hîc regiæ liberæque sunt, Zatecium, Mosta, Launa, & Cadana.

ZATECIVM Vrbs præclara à præterfluentis, atque ab eo quod Latinis est, tepefieri vocati amnis *Ohrzes*, sive *Oegra* sinu, quem is subter Vrbem facit, nomen adepta. *Teku* namque, & ex eo cum *za* affixo, *Zateçze*, radix est vocis nostræ *Zatoka*, quæ maris fluminisve sinum ac curvaturam notat. Suachus quidam pecoribus dives, conditor ejus fuisse perhibetur, (*ann.* 718.) cui Halacus faber, molendinum aquarium, novo tum his regionibus invento, primus sub ea fabrefecit. Excoluerunt eam posteri, & intra annos quinquaginta, non tantum privatis publicisque ædificiis multo nitidiorem reddiderunt, verum & mœnibus præaltis clauserunt. Infestabantur autem persæpe Misnensium, hominum universæ gentis Slavicæ hostium perpetuorum, validis irruptionibus, quos tamen plerunque sic excipiebant, ut præda Lucensis in ore ipsis amaresceret. Religionem Chri-

Christianam cæteris diutius sunt aversati, eam tamen semel ex Græca disciplina amplexi, constantissime coluerunt,[5] nec prius unquam quam Ferdinandica Euangelicorum per Bojemiam persequutione nupera, ut una saltem specie in usu Cœnæ sacræ essent contenti, pertrahi potuerunt. Insignia quibus hodieque Vrbs hæc utitur, virtute bellica (etenim in Mediolani oppugnatione muros Vrbis omnium primi conscenderunt,) cives ejus à Vuladislao I. Rege (*ann.* 1159.) dicuntur meruisse. Semper quoque ordinis boni servans, & literarum humaniorum amans fuit Zatecium, ideoque Viros doctos, ac rerum peritos, & ad reipub. clavum ipsa admovebat, & patriæ formabat. Coluit videlicet Martinum Humelium, Venceslaum Arpinum, Iacobum Strabonem, Georgium Sussilium, Matthæum Mendicillum, Matthiam Gryllum, Iohannem Nepressium: edidit Paulum & Georgium publicos in Academia Professores, Nicolaum Artemisium, Iohannem & Iacobum Strialios, omnes artium Magistros, Laurentium Span Medic. Doct. Iohan. Orpheum & Vitum Trojanum poetas, itemque alios permultos. Commenda-

[5] *Georg. Dux Anhaldin. in concion. de Venerab. Sacram.*

mendationem non vulgarem habet de cocta ex hordeo cerevisia præstanti, quæ vocatur *Samets*. Hussiticis motibus propius cum copiis accedentes Germanos præsules abscedere coegit inglorios. *Anno* 1421. A Ferdinando vero rege, cum is contra pacta hæreditaria, ac inconsultis regni Ordd. bellum Ioh. Frid. Saxoniæ Electori fecisset, & Zatecenses ad invidiosam militiam istam coacturus, in Vrbem, immodico stipatorum numero, ingredi vellet, nec à Civibus admissus esset, graviter sunt mulctati, proscripto Primate M. Nicolao Artemisio, solique bonis omnibus, ne impune regem offendisse viderentur, imo & portarum valvis, civitati, ne clauderetur, ademptis. *Ann.* 1547. Aperta igitur nocte dieque semper stabat Vrbs hæc omni reliquo Ferdin. Regis tempore, & gratiam claudendarum portarum, factæque eam in rem alligationis, in regni Archivo dispunctionem, non nisi ægre demum ab ejus successore Maximiliano Rege impetravit. *Ann.* 1565. Nuper vero Fridericus Rex, cum sumendæ regni coronæ cum Elisabeta uxore liberisque Pragam è Palatinatu suo Octobri mense (*ann.* 1619.) contenderet, in hanc Vrbem omnium primam ex itinere divertit, festaque populi acclamatione est

exceptus.

exceptus. Vnde poſtea victores Pontificii, eo magis ejus cives habuerunt ſuſpectos ac exoſos. Vniverſali religionis purioris, à Ferdinando Cæſare Quatuor-Viris annis proximis demandata perſequutione, (*ann.* 1627.) permulti boni, cæleſtiſque veritatis tenaces, ejus cives, cum uxoribus familiaque omni, patria excedere, quam fidem rectam deſerere, maluerunt. Ante caſum tamen iſtum, clariſſimos quoſque ac meritiſſimos de ea Vrbe Viros, morte placida ad cœleſtem curiam evocavit DEVS. Iohannis Georgii Electoris Saxoniæ ſuſcepta Novembri menſe (*ann.* 1631. in Bojemiam expeditione bellica, accepit quidem Vrbs hæc ex ejus exercitu præſidium ſignorum aliquot, ſub vicaria Caroli Boſii præfectura: ſed cum is, alioquin homo militaris & impiger, tametſi de periculo monitus, excubiis minus quàm oportuit vigilanter agendis attenderet, ab Hermanno Czerninio, cum vicinis ruſticis, ac quibuſdam ſelectorum militum Cæſarianorum manipulis, aditu occulto irrumpente ad 7. Calen. Mart. (*an.* 1632.) ipſis Bacchanalium hilariis, ſeque, & Vrbem captam, ſenſit.

MOSTA ſeu Pons, Vrbs inter regias, hac in provincia, ſecunda, & loco quidem limoſo, ſub montibus, Bilinæ piſcoſo amni

amni à dextris sita, populosa, ampla, & satis nitida est. Nomen ei à ponticulis, ob ebullientes è terra aquas passim in Vrbe positis, vetustas dedit. *Most* videlicet lingua nostra pontem vocat. Despectat in eam nobile propugnaculum seu arx inter limitaneas numerata, ac in montis ardui vertice ædificata. Primi ejus conditores ignorantur. Vetusta tamen est ejus origo, & multa libertas. Lingua Bojemica in ea jam fere obsolevit, & id quidem non alia validiore de caussa, quam Misniorum connubiis cum hujus Vrbis puellis frequentatis, & magistratus nostri, contra quam leges, ratioque suadent, de linguæ nostræ cultum præpostera negligentia. Religio in ea variavit. Bello enim Ziſciano Pontificiis, Vladislai secundi regis ævo, & postea plusquam continuis annis centum, repurgatis ex Lutheri doctrina cultibus sacris adhæsit, perpaucis in Pontificia religione perseverantibus. Suboriente namque jam inter nos nuper bello religioso, necdum plures ab Euangelica fide alieni numerari poterant in ea Vrbe cives, quam quadraginta septem, cum eam amplectentes, essent trecenti quadraginta quinque, demptis habitantibus in conducto, civitatis jura adeptis opificibus. Communiter autem cultus divini exercitio utrique,

alii

alii post alios uti erant soliti, in primario Vrbis templo, toto tempore illo, quo firmatus Vladislao rege ad 3. Id. Mart. *(ann. 1485.)* inter Euangelicos ac Pontificios in religione syncretismus, à Pontificiis observabatur. Observabatur autem is utcunque, tantisper dum imbutis Iesuvitico zelo tranquillitatis publicæ turbatoribus, nec machinationes occultæ, nec vis aperta, ad eum dissuendum satis esset valida. Matthia enim rege demum præcipue eruperunt in nervum technæ Mostanorum, haud secus ac aliorum ubivis id genus farinæ, Pontificiorum, Rudolpho rege occultis consiliis adversus Euangelicos concives textæ ac retextæ. Ad fisci igitur præsidem & ejus consilium, (ista in caussa fortasse judices non suos,) pertracti Mostani Euangelici, illius sententia exercitii religiosi jura, in templo, de quo diximus, penitus amiserunt; *(ann. 1615.)* non ita pridem vero per constitutos exturbandæ è regno pietati sinceriori Quatuor-Viros, *(ann. 1626.)* vel & ipsi cum Pontificiis idem de fide loqui, vel solum vertere, sunt coacti.

Abest ab ea tertio lapide LAVNA, Vrbs in dextro Ohrzes amnis latere, figura semicirculari à Vlastaco & Sobessio fratribus grassatoribus, metu latrociniis pro-

promeritæ pœnæ, adversus Vogenum principem, ex Launa vico quodam tenui ædificata, & egregie communita. Res quasque victui quotidiano necessarias, frumentum vinumque domi habet abunde, piscibus saltem exceptis, quos amnis suburbanus subministrat parcius. Cives ejus sunt jurgiosi, & conventibus quibusdam comessatoriis, qui ab illis D. Margaretę vocantur, æquo impensius dediti, quos ad portam Vrbis frequentare, dicacitateque procaci agitare, urbanitatis loco habent. Hussitico bello Zatecensium consilia erant sequuti; sed Ferdinandico proximo, ad posteritatem parum decoro exemplo, nec ullo prius edito virilitatis documento, *(ann. 1620.)* muliebri credulitate verba sibi dari sunt passi, ac Alberto Valdsteinio, postea Fridlandiæ Duci novo, ejusque legioni, cum qua Cæsari militabat, portas prid. Non. Novemb. aperuerunt. Adolescente vero sensim, meditata à Pontificiis longo tempore Euangelicæ veritatis persequutione, religionem quam à patribus acceperant, quamque erant hactenus sequuti omnes, momento quasi deseruerunt, ac ad Pontificiorum placita transierunt vniversi. Cum post, prœlio ad Lipsiam superatum Tillium, Saxoniæ Elector Ioh. Georgius in Bojemiam Novembri men-

 se,

se, *(ann. 1631.)* irruptionem faceret, militem ejus simili facilitate admiserunt, sed quemadmodum ante à Valdsteinio, sic & tunc à Traundorfio, militum ducibus legionariis, fortunas suas expilatas deplorarunt.

Zatecio ad Occasum euntibus tertio disjuncta lapide occurrit Vrbs regia à Conditore Cadano CADANA dicta, *Ann.* 281. Sita est in læva amnis Ohrzes ripa. Crebras olim accipiebat à Misniis vicinis malis, clades, quas tamen non semper inultas esse est passa. Ante annos paulò plus quam centum, Hassensteinios Barones agnoscebat patronos potius quam dominos. Religionem Euangelicam tardius illa quidem admisit, semel tamen, *(ann. 1525.)* Ludovico adhuc rege, admissam, Zelotarum adversariorum criminationibus ac turbationibus variis nequicquam vexata, constanter nihilominus tenuit, reddita apud Regem Ferdin. I. facti sui diligenti ratione, & caussis admissæ, absque Pontificiorum concivium suorum injuria omni, religionis purioris explicatis. *(ann. 1537.)* Cumque non ut optavit regem isto in negotio propitium experiretur, omnium Euangelicorum Ordd. commendationem ei placando adhibuit. [6] Ab eo igitur tempore

[6] *Comit. ann.* 1593.

tempore Reges ad Religionis apud se exercitia, quantumvis ringentibus æmulis, habuit conniventes, ad id usque tempus quo iisdem propemodum, ut Mosta artibus enervata, Pontificiorum potentię succubuit. Vrbs alioquin est situ amœna, & opibus sat felix ac beata suis. Regii fisci ditio non alia est in hac provincia, quam quæ fodinis ferri atque argenti Przifeznicensibus, Sonneberghanis, Platnensibus, & Sebastianomontanis, itemque stanni fodinis Slawcovianis, & Lauterbachianis, Schonfeldianisque comprehenditur. Chomutovia quoque opidum nitidum & amplum, Georgio Baroni Lobcovicio, Rudolphi regis edicto jam pridem est è potestate exempta, regioque fisco (*ann.* 1595.) adscripta. Erat olim in usufructu Crucigerorum Prussiensium, quam Henricus Plavenius Magister, Bojem. Regi Vuenceslao IV. acceptis ab eo centies mille aureis, cessit, & Sigismundus Imp. tandem Iacobo Wrzesovecio pignori dedit. Laudem ex eo habet cum paucis communem, quod cerevisia ejus non vulgaris est bonitatis. Nomen ei ex helciis videtur esse inditum. In procreatos stirpe non Bojema ejus incolas, jam olim jactari cœpit, & hactenus vulgo in ore est diverbium, *Wssudy Lide, vv Chomutovve Niemcy;*

F 2 quo,

quo, toto regno homines esse significatur; solam vero Chomutoviam à Germanis incoli. Erratici siquidem Germani plerique, lares solumque in quo lucem primam aspexerunt, aspernati, perniciosò linguæ nostræ periculo, inter gentis nostræ homines sedes sibi quidem, sicut olim, ita & hoc nostro ævo, passim figere gestiunt, vernaculum tamen sermonem nostrum discere, ignominiosum putant. Qua in re quia fortunam olim Chomutoviæ primum omnium ex voto sunt periclitati, opidumque id, exturbata sensim nostra lingua, popularibus suis impleverunt, diverbio isti fecerunt locum. In nobilitatis agro sunt Catharinæ-mons, Eisenberga, Czerveno-Hradecum, hoc est rubrum castellum, Boreca seu Gorcavium, cum opido saluberrima cerevisia, vicinisque aluminis officinis nobilitato, Ruvenicium, Beczovum, Postoloprtæ, Novo-Hradæ, Liczcovum, Wintirzovum, Masstiovum, Waleczium, Rabsteinum, Petrsburgum, Bochovum, Angelicus-mons, Clasterecium, Novo-Schumburgum, Hassensteinum, Hogenovesium arces, tam cum, quam sine opidis, cum prædiis, villisque permultis, ut & opida sola, Gessenicium, Zluticium, Chyssæ, Ostrovum, Przisenicium, repertis sub Imp. Rege Carolo

(*ann.* 1341.) mineris clarum, & quæ accolis nota sunt cætera.

XIII. Zatecensi provincia egressi perambulabimus districtum Vultaviensi non multo majorem, qui Racovnicensis, & vulgo *Rakovvnicsko*, à Racovnico Vrbe Regia; & his in locis sola, cognominatur. Adjacet autem is, Zatecensi districtui parte sui occidua, ad Ortum vero cuspide tantum quadam mucronata inter districtum Slanensem à latere Septentrionali, & inter districtum Podbrdscensem à latere australi interjectus pertingit. Regiuncula est silvosa & montana.

RACOVNICVM, seu ut alii loquuntur, Racona, regiæ Vrbis ac libertatis plenioris honorem, Ordd. in comitiis regni intercessoribus, à Rudolpho rege, non ita pridem (*ann.* 1588.) est consequuta: antea siquidem fisco regio accensebatur. Nomen à Cancro, quem propterea in insigni gestat, obtinuit: is enim nobis *Rak* dicitur. Est Vrbs mediocriter munita, verum non adeo magna. Ob cerevisiæ singularem bonitatem semper fuit celebris; nuper vero, (*ann.* 1620.) & Ferdinandicorum & Fridericianorum castris, quæ utrique habuêre ei propinqua, pluribus hoc nomine etiam apud exteros innotuit. Prodiêre ex ea non pauci viri egregie literati, politicisque in rebus

cum laude versati, quos inter fuêre M. Thomas Iavorzicius, Sixtus Otterſdorfius ob defensam sub Ferdin. I. gentis suæ libertatem, gravi atque cum multis communi infortunio irretitus, M. Georgius Ostracius, M. Matthias, M. Iohannes, & Paulus Grylli fratres, aliique. Vladislaus I. ejus nominis princeps, paulo plus quam uno ab ea lapide, ædificavit in silva non procul à Mizâ fluvio celebrem illam quondam omnis pretiosioris regni supellectilis custodia magnorumque virorum carceribus arcem, Krzivocladum sive Crzivoclatum nobis, Burg Leysam Germanis vocatam, eique agrum multum ac reditus luculentos fisci regii hæreditarios adsignavit. Ex hujus ditionis silva, singulis annis ingens lignorum multitudo, Miza secundo Pragam submittitur, indeque per Vultavam & Albim, in loca materia fabrili destituta distribuitur. In hac arce captivi sub custodia tenebantur olim, Otho Dux (*ann.* 1110.) à Vladislao principe agnato, Henricus Ioh. regis Cancellarius (*ann.* 1318.) à regni proceribus, Hen. Dux Austriæ (*ann.* 1322.) à Ioh. Rege, Venceslaus Mitmanecius Theologiæ Doctor (*ann.* 1544.) à Ferdinan. I. & nuper nonnulli, (*ann.* 1621.) à Ferdin. II., ut & aliâs alii permulti. Huic arci subest

opidum

opidum novum Strassecium, (*an.* 1616.) ob caussam religiosam, & quia Pontificii sacerdotis ministerio in sacris cultibus incolæ ejus uti detrectarunt, à Matthia rege graviter mulctatum. Ditione nobilitatis continentur Horosedlæ, Sosna, Pssovulci, Petrovicæ, Cracovecium, Teyrzovum, Crassovum, Sechuricæ, Olessna arces; itemque Senomaty, Zbecznum, Czista, Conogedi, Cozlani opida. Cœnobium in hac ora nullum est.

XIV. Slanensis districtus Racovnicensi conjungitur à parte Meridionali, versus Occasum habet provinciam Zatecensem, versus Aquilones Litomierzicensem, versus Ortum Caurzimanum. Vulgariter *Zrzitsko* & *Slansko* vocamus. *Zrzitsko* à *Zrzito* monte; *Slansko* à *Slana* Vrbe regia hujus oræ similiter unica. Horreum Vrbis Pragensis, districtum hunc quidam judicant. Est autem

SLANA Vrbs à salsedine dicta, sub vasto monte de voluntate Nezamysli principis, à priscis nostris salis coctoribus, loco humili condita, & contra Lucensium incursus utcunque munita. Erumpebat enim ex monte isto aquæ salsæ fons, & accolis erigendarum salinarum, ac mox Vrbis exstruendæ, occasionem dabat, sed qui intra paucos annos, ut & alter Bilinensis, exaruit. Etsi vero dispa-

rentibus aquæ iſtius ſcatebris, emolumentorum omnium ſpes ſalinatoribus iſtis videbatur periſſe, nihilominus tamen ii conditam ab ſe Vrbem neutiquam deſeruerunt, ſed ad agri hortorumque culturam converſi, ac cereviſiæ domi coctæ ad hæc uſque tempora vulgo celebrata bonitate, in ſpes novas erecti, paulatim rem familiarem ſuam pariter & publicam inter ſuos confirmarunt, locumque ita excoluerunt, ut & ædificiis niteret, & vitæ tuendæ neceſſariis rebus abundaret. Iuventus Vrbis parum morate educari olim ſolita, ſimiliter ut puellæ Pragenſes, equique Cutnenſes, jactando in petulantiam ſuam veteri calumnioſo magis quàm jocoſo, dicterio, non amplius relinquunt locum. Terebatur enim obtrectatorum ore, virgines Pragenſes, equos Cutnenſes, adoleſcentes Slanenſes, tria eſſe quæ perraro ſint bona. Patrimonium fiſci regii, præter Vnhoſſtam opidum, vicoſque aliquot ditioni Krzivacladenæ adſcriptos, invenio hîc eſſe ditiunculam & arcem *Lany*, quæ ab Imp. Rege Rudolpho II. ex veteraſcente eleganter ædificata, & Matthiæ Imp. Regi, ob venatus commoditatem, non vulgariter fuit chara. Duo his locis ſunt virginum cœnobia: Vnum Doxanæ, & rerum omnium abundantia lautiſſimum,

mum, & loci inter saltus amoenitate lætissimum, *(ann. 1144.)* à Gertrude Vladislai Principis uxore, Vestalibus instituti Præmonstratensis est conditum. Ohrze seu Oegra pomariis virgultisque passim cinctus amnis id alluit. Alterum Tynecianum, à Plichta Zerotinio, Vestalibus D. Claræ erectum, & honeste, non tamen ad luxum, dotatum. Est similiter hîc uno saltem lapide à Slana Vrbe disjunctum, in præpingui glarea temperato solo ab Vngaris olim *(ann. 956.)* conditum opidum Velvaræ seu Welvarium. Nomen traxisse fertur ex Vngaricis vocibus *Bel* & *War*, farris opidum significantibus. Non numeratur id quidem inter Vrbes regias, verum tamen sub προστασίᾳ Burggravii supremi, plerisque Vrbibus regiis immunitatum amplitudine est par, in hoc etiam superius, quod ager ipsius cum magnam partem sit juris liberi adeoque emphyteusis perpetua, tabulis regni absque regii consensus internuntiis, quoties legitimus contractus intervenit, potest inseri, quæ alioquin nobilitatis prærogativa censetur. Nobilitatis dominium agnoscunt cætera, ut est Raudnicia arx & opidum peramplum, olim etiam cum Archiepiscopi Prag. procerum Smirziciorum, ac ex Polonia Tarnoviorum dominatione

leni tenebatur, satis fortunatum. Mercatura enim ac cæteris honestis quærendæ rei mediis, ex Albi, quo alluitur, percommodè potest uti. Talis præterea est Budina, arx & muris cinctum opidum, ad Ohrzes latus dextrum, Hostiviti principis ævo, ex vetustiore vico ædificatum; ac à tuguriis nuncupatum. His adde Berzcovicium, Bezcovicium, Hospocinum, Nelahozevesium, Micovicen, Zuvolenievesenum, Ocorzen, Bustehradam, Rubrum Augezdum Cladnum, Smecznum, Cornhusam, Srbecium, Dievicæum, Slavietinum, Parcum, Wranum, cum prædiis agroque perquam fertili. Est in hac provincia mons celebris ille, ac patenti in planitie eminus conspicuus, *Zrzjt* à specula vocatus. Ab aliis *Zrzjp*, hoc est mons κατ' ἐξοχὴν appellatur. Primi gentis nostræ conditores sub eo primum omnium circa an. 450. consedisse, nostræque reipublicæ initia dedisse feruntur. Vertici ejus perquam spatioso imposita, à Sobieslao principe instaurata potius quam fundata stat ædicula D. Georgio dicata. Ab hoc monte, tertio versus Austrum lapide, absunt Budeczæ Vrbis veteris, à divino quodam Lessino Budeco, viro alioqui nobili, in edita quadam rupe, familiaris nescio cujus spiritus monitu, olim

olim conditæ rudera, quæ schola improbarum magiæ divinationisque disciplinarum diu celebris, & à sexus utriusque juventute nobili, ut & à Przemyslo Libussàque, discendi caussâ frequentata fuisse perhibetur. 7

XV. Subsequitur jam ut de Litomierzicensi provincia differamus, quam vulgus *Litomierzicsko*, à primaria ejus Vrbe cognominat. Ea fere tota sub Sudetis montibus protenditur, figura pyramidali, cujus basis Zephyro, Africo, Libanotoque obversa, Lucensi & Slanensi districtui incumbit, latus vero septentrionale Misniæ montanis, Australe limiti districtus Boleslaviensis adhærescit, conus denique versus Boream Cæciamque ad Lusatiæ superioris limites pertingit. Provincia vini inprimis, ac pomorum, quin & frugum feracissima, Misniæ cis-Alpinæ horreum. Regis seu fisci patrimonialia bona nulla hîc sunt nisi forte in stanni fodinis Crupecanis (Hrobanæ enim Roztochianæque argentifodinæ, jam olim sunt exhaustæ,) urgente vero reipubl. necessitate etiam in proventibus cœnobiorum. Sunt autem in hac provincia duo saltem cœnobia reliqua, Osecanum sub Abbate ab Ottacaro rege Ci- ster-

7 *Barthol. Paprocius in Diadocho.*

ſtercienſi, & Melnicanum ſub Priore ab Hroznato Comite, Auguſtinianorum ordini datum. Oſecanum nihilominus Ferdin.I. regis ætate Archiepiſcopus Antonius (ut & Suetecianum principio Rubeæ Crucis gerulis inſtitutum, tandem vero alendis D. Claræ Veſtalibus datum, Rudolphi II. tempore Zbynecus,) ad ſe pertraxit. Dotalis hîc præterea eſt reginarum Bojemiæ ditio arcis Mielniicanæ; ditio opima ac locuples; ſed quæ plerumque noſtra memoria alicui ex proceribus pignoris titulo utenda fruenda concedebatur; nuper autem (*ann. 1617.*) per Imp. Ferdinan. II. inito cum Wilelmo Slavata contractu quodam, à reginarum patrimonio penitus avulſa. Nobilitatis ager hîc ſimiliter peramplus eſt & opes luculentæ. Tenentur enim ab ea arces Teplicium, Duchczovum, Bilina cum opidis muro cinctis, Libczoueſium, Strzebivlicium, Podſedicæ, cum gemmatum fodinis, Libochovicium cum opido, Clopejum ſeu Haſenburga, Brozanæ, Lovoſiciæ, Sulevicæ, Czizcovicæ, Coſſalovum, Scalca, Nedviedicziu m, Coſtomlatæ, Mileſſovum, Vgezda ſub monte qui Acutus dicitur, Sobochlebæ, Daubravius mons propugnaculum Radiſlai Wchynicii induſtria nuper è veteribus ruinis egregie inſtauratum; Supius

seu Vultuinus mons, Brzeznicea Blanchensteinæ succenturiata, Schonsteina, Gilovia, Bideburga, Dieczinum propugnaculum limitaneum, Brzeznum, Svadovum, Strzecovum, Libochovanæ, Ziteniciæ, Zahorzanæ, Ploscoviceæ, Enchsovanæ, Gizterpæ, Ausslecum cum opido muris cincto; Radaunum, Brocenum, Conogedæ, Stolinquæ, Marquardiciæ, Libchava, Bircolteina, Nova arx, Lippa, Mlado Benessovum, Rumburga, Shlucnovum cum opidis itemque Scheracovum, Hanspachumque, & alia permulta, nec inculta nec infructuosa. Opida præterea sola, Camenicea, Radaussovum, Hossitcca, Trzebeniceæ, & metallifera duo, Crupca, Hrobumque monachale. Iam vero liberæ ac cultissimarum vinearum collibus longe lateque omnibus antestantes, in hac provincia Vrbes, sunt, Litomierziceæ, Vsta, Melnicum, ad Albim sitæ omnes. Vinosi censentur plerique omnes earum incolæ.

LITOMIERZICEAE, seu Litomierzicium, (quæ civitatem mihi non contemnendasque fortunas dedit; sed eas anno post septendecimo, Imp. Ferdin. II. toto regno Euangelicos exturbante, ob posthabitum à me religioni puriori, patriæ opumque amorem, nullo iure eripuit,) est Vrbs populosa à dextro Albis latere, splen-

ſplendide loco que opportuno ædificata. In nominis ejus origine explicanda, variant noſtri homines. Alii enim à Lidomiro, quem ejus conditorem eſſe volunt; alii ab hominibus reconciliandis, quod vulgo *Lidi mjrziti* dicimus; alii à *Ljto*, quod idem eſt cum latino *Miſeret*, & *Mierzire*, quod idem eſt cum Germanico *Maß*, eam deſumunt. Etſi vero ſententia prima ſecundaque, vero non ſunt prorſus abſimiles, quia tamen ab uſitata Vrbis nomenclatura magis quam opinio tertia diſcedunt, ea propter probari à me non poſſunt. Fateor quidem ego à Lidomiro Coſſali nepote (quem à conciliandis hominibus nomen habuiſſe linguæ noſtræ natura evincit) eam *(an. 671.)* inter Radiczium, (qui locus nunc *Hradjcz* corrupte vocatur, & D. Stephani æde eſt celebris,) Pocrateciumque cortes, condi cœpiſſe: nihil tamen id credo obſtare, quominus tertia ſententia vera credi poſſit, quæ ait; Molitorem quendam cum ei, Vrbem condere parans, fabriſque de alimonia proſpiciens Lidomirus, frumentum ex quo farinam faceret, ad modiolum eſſet admenſus, idemque modiolus in ſubter labentem Albim interea è manibus ipſi excidiſſet, querula voce exclamaſſe, *Geſtit' mi ljto te mierzice*, hoc eſt, Dolori mihi eſt amiſſio hujuſce modioli.

modioli. Lidomirum ergo arrepta ista molitoris querimonia, Vrbem suam ex eo *Litomierzice* vocari voluisse. Vetusta igitur sunt Vrbis illius incunabula; quæ paulatim posterorum industria, & ædificiorum amplitudine, & populi multitudine crevit. Mœnibus tamen & vallo demum (*ann.* 1019.) à proceribus Vursovicensibus, quorum tum in ditione fuit, communibus gentis sumptibus, offensi Vldrici principis metu, ante annos sexcentos, circumdata ac communita est. Cum vero damnatis à Brzetislao II. ob structas principum vitæ insidias, atque in Lusatiam deportatis Vursovicensibus, bona eorum universa in ærarium principis essent illata, (*ann.* 1096.) Litomierzicea libertatem, ac inter Vrbes sub principum patrocinio viventes locum, multaque posthac privilegia obtinuit, quæ anno fere ducentesimo post; (*ann.* 1297.) incendio, quo Vrbs hæc fœde fuit deformata, pleraque omnia perierunt. [8] Iohannes rex Ottacarorum privilegia, quæ flammis, de quibus diximus, erepta supererant adhuc aliqua, ei confirmavit, & nova aliquot addidit; Ejus vero filius Carolus Imp. mercatu annuo ab VIII. Calend. usque ad VI. Idus Aug. cele-

[8] *Abrahamus Hosman Lusatus.*

celebrando, seu nundinis solennibus, quin & jure Stapulæ, quo omnis generis Albim navigantes mercatores, non alibi naves suas, quam in hujus Vrbis seu emporii portu (*Nakel* nostri vocant) sive onerare sive exonerare permittuntur, eam locupletavit. Saxea in Curiæ angulo stylobatæ imposita, in forumque despectans, Germanorum Rolando ὁμοιώσημος statua, huic rei etiamnum præbet testimonium. Vladislao II. Rege, muri ejus plerisque locis ruinam minitantes instaurabantur, ac propugnaculis frequentibus exornabantur. Maximiliano vero & Rudolpho imperantibus, Albis impetuose præter eam ruens amnis, prælongo ac scientissime sumptuosissimeque fabrefacto ponte ligneo, ab ea fuit stratus, quem proxima Electoris Saxoniæ in Bojemiam expeditione, cum post eversa magnam partem suburbica Litomierzicex ædificia, hosti propinquanti ad VIII. Id. Iunias (*ann.* 1632.) loco cederet, flammis penitus absumsit Ioh. Melchior Sualbachius, magno civium ac accolarum incommodo. In hoc, Litomierzicex agrum lambente Albi, magno numero capiuntur vernis mensibus, longe quam alibi meliores sapidioresque murenæ & salmones; æstivis vero etiam grandes sturiones. Hic vindemiæ tempore multo

quam

quam alibi suavior conficitur murina, itemque ex sinapi trito ac vini recentis decocto, sapa seu defrutum. Hac in Vrbe hospites ac amicos humaniter excepturi cives, vini tam consueverunt esse prodigi, tamque cibi præbendi immemores, ut propterea duplici scommate, vulgo meruerint notari. Dici namque solet; homines à Litomierzicianis potu fere suffocari, fame vero enecari. Item oportere esse felicem, qui non fuerit Zarecii ludibrio habitus, Launæ pulsatus, Litomierziceæ vini potu immodico gravatus. Communi consensu receptarum religionum perquam fuit tenax Litomierzicea. Etenim ut olim à Pontificia ad Euangelicam, ita nuper ab Euangelica ad Pontificiam, ægerrime potuit traduci. Venceslao namque IV. rege è vivis sublato, & regnicolis passim Hussi successorum ministerio, Romani Pontificis placita repudiantibus, cum id ea suos quoque intra muros invalescere cerneret, cives à plurium religione dissentientes, nullo sanguinis necessitudinisve discrimine (*ann.* 1418.) in Albim mergere, quam in numinis colendi rationibus variationem ullam permittere maluit. Sic cum imperata nuper à Cæs. Ferd. II. sacrorum metamorphosis (*ann.* 1626.) sæviret, viaque nulla, qua vis major
G possit

posset evitari , appareret , plura quam quingenta incolarum ejus capita , fortunæ cedere , bonis mulctari , solumque potius vertere , quam veritatem agnitam ejurare elegerunt, qualis constantiæ exemplum, Praga una excepta, Vrbs alia Bojema nulla dedit. Reditus hujus Vrbis publici , necessariis impensis publicis comparati, modici sane sunt, sed eos tamen bonorum principum munificentia quandoque sublevabat. Iura ejus agnoscens pomœrium perangustum quoque est: Vndique enim Cœnobiorum ac nobilitatis agro constringitur. Antiquitus jure Saxonico utebatur, & Scabinatus tribunali clara fuit, ita ut opida vicina, Vrbesque adeo nonnullæ à domesticorum judicum subselliis, ad ejus sententiam provocare diu in more habuerint: quæ prærogativa non ita pridem ipsi, (*ann.* 1610.) comitiorum placito est extorta. Viri docti in ea sunt nati, Matthias Vicen, Iohannes Gelinecius, Henricus Mraz, Andreas Lucinus, Andreas Mitisco, Venceslaus, & Sigismundus fratres Heniochi, omnes artium Philosophiæ Magistri, itemque Daniel SStyrkolsky Doctor Medicus.

Ab ea versus Thrasciam abest altero lapide VSTA Vrbs in montium angustiis à Russisuado & Lahoborio fratribus ædifi-

ædificata. Mediocri est magnitudine, sed loco hostibus expugnatu facili, mœnibus suis non magnopere tuta. Nomen ei plerique ab *Haußti* voce nostra, dumetum significante, factum esse contendunt, alii tamẽ probabiliore ratione ab Ore, quod *Vsta* vocamus, formant. Sita enim, ut dixi, est in angustiis ad quas Albis flumen aquas suas per convalles quasi per os vel fauces aliquas in Misniam evomere incipit; Vnde non inepte judicio meo posset Ostia vocari. Exigitur in eâ hac tempestate multa plerunque publicanorum insolentia portorium regium, quod merces quasvis navibus portantes negotiatores in limite antehac pendere erant soliti. Vinum quod hîc anteurbanis sub rupibus nascitur, quodque ideo *Podskalske* dicitur non habet alıud in patria nostra à quo generositate superetur, nec locus fere ad Albim alius est, ubi typhlarum, seu oculatorum piscium captura sit uberior. Vernaculam nostram linguam qui calleant, paucissimi in ea jam sunt incolæ, idque non alia urgentiore de caussa, quam ex qua simili corruptela Mostam laborare diximus. Pugnatum olim in ejus vicinia ad Przedlicen vicum fuit prælio apud nos valde memorabili, ad XVI. Calend. Iul. (*ann.* 1426.) quo Misniorum sub Friderici

Marchionis, & Catharinæ ejus uxoris signis,[1] multa millia ceciderunt. Vrbsque ipsa hæc expugnata ac direpta, toto post hac triennio deserta stetit. Locus pugnæ hodieque *na Behánj* vocatur, columna gestæ rei teste insignis. Navatæ tamen tam impendiosæ Sigis. Imp. istius adversus Hussitas operæ, Marchio Fridericus mitram Electoralem, præteritis proximis Alberti Electoris Sax. defuncti agnatis, ab eodem Imp. præmium (*ann.* 1423.) tulit, ad hæredesque suos transmisit. Vrbem Vstam præ multis aliis amavit, Imp. Ferd. I. ob caussam illi cum Plznensibus Budiegovicensibusque communem. A nobilitate similiter in montanis istis habitante, quoties suborta controversia coram arbitris ex compromisso disceptanda, vel componenda erat, locus hic quoq; præ aliis plerunque conventui ut cõmodior eligi hactenus suevit.

MELNICVM vero Litomierzicea euntibus ad Ortum hybernum, intra lapidem quartum occurrit, Vrbs sub Albis & Vultavæ confluentibus, arduo in colle, à nescio quo ex Bessi dynastæ stirpe, ante Hostiviti principis ævum condita, mœnibus vero à Slavibora D. Lidmilæ patre circumdata, ac nitidior facta. *Ann.* 877. Datum ei nomen est à molendo, sive molitori-

[1] *Hist. de Landgr. Thuring. cap.* 162.

molitoribus. *Meli* namque idem quod molo, *Melnjk*, idem quod molitor sive locus in quo sunt molendina, notat. Vrbs quidem est parva, sed peramœno, ac propulsandæ hostium vi opportuno loco exstructa, à rubri vini suavitate delicatis potoribus præcipue commendata. Refertur in numerum urbium quæ Reginarum Bojemiæ sunt dotales. In ea (habet enim mœnibus impositam arcem) à principum maritorum mortibus vitam transigebant, cum aliæ principes ac reginæ, tum imprimis Barbara Sigism. Imp., & Iohanna Georgii regis viduæ. Aluit eam à parte Aquilonari modicus amnis Bílòvvca á Besso, de quo diximus, nomen hactenus servans, vulgo nunc voce jam pridem corrupta *Ssobka* vocatus, quo molæ aquatiles aliquot etiamnum aguntur. Ager Vrbis est arenosus, sed neutiquam sterilis. Immunitates suas ac libertatem Vrbibus regiis parem jam à vetustis temporibus semper habuit, & adversus malitiosas plerorumque arcis præfectorum machinationes defendit.

XVI. Reliqua nobis adhuc est, districtum Litomierzicensem parte sui occidua, Slesiam Septentrionali, Hradecensem tractum Orientali, Caurzimanum Meridionali, attingens provincia, quæ vulgo à Boleslavia Vrbe *Boleslavvsko* vo-

 catur,

catur, ampla satis, fertilis, ac populosa. Participat ejus fertilitatem non solum Lusatia, sed & ipsa Slesia. Regis patrimonium in ea est Benatchæ, Lyssa, & Brandeisenæ ditionis pars trans Albim non modica cum Opoczino & Hlavenecio voluptuariis. Benatchæ, seu Venetia nostra, arx est à dextris amnis Giseræ, arduo in colle cum opido tenui, quæ ætate demum nostra à Doninææ stirpis proceribus per Rudolphum regem est redemta, fiscoque adjuncta. Lyssa vero sive Mons-Calvus arx similiter est cum opido in subjectam ingentem silvam regiam ex alto despiciens. Reditus utriusque præcipui sunt ex piscinis, quæ iis locis sunt & numerosæ, & cyprinorum delicatorum multitudine pręstantes. Cœnobia in hoc districtu hac ætate nulla sunt, nisi forte si quis Boleslaviæ veteris, D. Venceslai Cenotaphio nobilem, Dd. Cosmæ & Damiani, vel (quod quidam malunt,) Cyrilli & Methodii ædem, recensque insanis aliquot annorum (1613. & seq.) laboribus sumptuosissime ac splendidissime ædificatum, & ante annos plus minus triginta, peregrinationibus anniversariis, incerta vel potius superstitiosa de caussa, frequentari cœptum, Divæ Virginis delubrum, Cœnobii nomine appellandum putet.

Celebre

Celebre autem ac venerabile aliquanto tempore fanum iſtud apud nonnullos fuit, novæ cujuſdam quaſi [2] Peſinuntiæ Deæ ſimulacro, quod tamen nupera (*ann. 1631.*) in Bojemiam expeditione Electorali Saxonica militum quidam nominis magni tribunus, loco movit, ſecumque, ut terriculum inane, abſtulit. Vrbes hujus loci regiæ duæ ſunt Nymburgum & Boleſlavia.

NYMBVRGVM eſt urbs in patenti planitie, loco propulſandis hoſtium inſultibus valde idoneo, à Vicemilo dynaſta quodam inter Albis & Mrlinæ confluentem exſtructa, lateritioque muro, & profunda, amni alveum præſtante foſſa duplici, probe firmata. Vicemilus quidem eam de ſuo nomine Vicemilovum voluit vocari; domeſtici tamen propter ſuum ſilveſtrium familiare volutabrum, quod ab iis, ædificantium metu, ægre iſtic deſerebatur, Suini Brodam dici maluerunt. Nymburgum vero multo demum tempore poſt, à Germanis, hominibus peregrinis, voce peregrina nomen accepit. Venceſlaus II. Rex unice eam dilexit, & cum ampliorem, tum privilegiis ornatiorem fecit, quin & primus eam in urbium regiarum numero eſſe

 juſſit.

[2] *Herodian. lib. hiſt. 1.*

jussit. Oleum omnis generis ac leguminum abundantia pariter & succosa bonitate præ aliis excellit. Proximæ Saxonici militis in Bojemiam irruptioni, *(ann. 1632.)* quasi obicem urbs hæc objecisse est visa, quam is, quia vi expugnare non potuit, missilibus ignium artificialium machinis, totam una cum ponte quo Albis jungebatur, in cineres redegit, ac ab eo tempore nullos præcone dignos progressus in Bojemia amplius fecit. Potatores inclyti, alibi sane non tam male, ut Nymburgi audiunt. Hîc namque ii exorbitant persæpe, & pocula, alii aliis in oculos exinanita, capitibus impingunt; unde proverbium suevit jactari; *Przipjmt' po Nymburskie, i. e. Tibi propino more Nymburgico.*

Versus Aquilones lapide tertio ab eo est dirempta BOLESLAVIA urbs, non vetus illa, cujus jam ante meminimus, sed alia, à qua tota hæc provincia accepit nomen. Veterem illam ad Albim in totius (ut plerisque placet) Bojemiæ umbilico, Vratislaus princeps *(ann. 915.)* fundavit, & Boleslaus Sævus *(ann. 937.)* excoluit; hanc juniorem vocatam, Boleslaus junior, seu ut postea frequentius vocabatur, Lenis vel Pius, in colle *Hrobka*, qua voce sepulcretum significatur, condidisse fertur. *Ann. 973.* Avorum nostro-

noſtrorum memoria fuit urbs hæc in ditione procerum Michaloviciorum, Cymburgiorum, tandem Cragiriorum, poſtea ſtirpis Haſſiſteineæ Lobcoviciorum, à quorum poſtremo Bohuſlao Ioachimo libertatem plenam, (*ann.* 1595.) nobis adoleſcentulis ære grandi emit, ac Rudolphi Regis-Cæſaris clementia locum inter urbes regias (*ann.* 1600.) obtinuit. Bonorum quæ in ea contingit vacare, & quæ caduca ſolent dici, Vrbs ex aſſe eſt hæres. Rex ex iis nihil participat. Arx quæ in hac Vrbe eſt, multò ſerius, & demum poſt repræſentatos Haſſiſteinii Baronis viduæ, Eliſabethæ Vualdeſteiniæ, circiter bis mille Thaleros, in civitatis jus (*ann.* 1614.) tranſiit. Giſera amnis Coro obverſum Vrbis latus lambit, & aquam intra muros, hydragogicis machinis ſeu ſiphonibus immittit. Subjectam arci vallem rigat Clenice rivus, qui ibidem mox Giſeræ miſcetur. Cragiriorum autem, præ cæteris tum è nobilitate purioris cultus divini patronorum, pietate pariter & largitate, excitata jam olim, & paulatim ex Mœcenatum collatitiis ſubſidiis (*an.* 1500. 1511. 1544.) egregie amplificata in ea fuit alendis repurgatæ religionis doctoribus juventutique in pietate & literis formandæ, ſedes vel domicilium, presbyterio etiam vene-

G 5 rabile,

rabile, quod Carmelum vocari voluerunt Majores. Carmelum autem hanc, ſicut & ejuſdem diſciplinæ cæteras baſilicas quaſque, *Zbory* apud nos dici ſolitas, Vatiniano odio proſequuti ſemper ſunt Huſſitæ claudicantes æque ac Pontificii Zelotæ in Bojemia, eamq; Piccardorum ſpelæum ac officinam vocantes, impetratis per calumniam à Wladiſlao, (*an.* 1508.) Ferdinando I. (*an.* 1547.) Maximiliano, (*ann.* 1568. 1575.) & Rudolpho (*ann.* 1602.) Regg. ſeveris interdictis ſtomachoſe oppugnarunt. Et vero aliquoties illa magnopere periclitabatur, à paucis inter ſpes & metus habitabatur, Rudolphi denique publicato Interdicto prorſus claudebatur, & obſignabatur; Verum nunquam gravius, quam à Ferdinandicæ μεταμορφώσεως adminiſtris nuper, circumſcripta ac peſſundata fuit. His præterea, quæ nunc gliſcunt bellicis turbis, urbs hæc à Cæſarianis velitibus, (*ann.* 1631.) ne Saxonicis de ea occupanda conſultantibus uſui eſſe poſſet, ex improviſo direpta, & igni iterum, iterumque injecto miſere vaſtata gemuit. Ager nobilitatis multus quoque eſt in hac provincia, multæ arces, caſtella, opida, villæ, quales ſunt Ronovum, Rozdialovicеæ, Dietenicæ, Dobrovice, Brodcæ, Hruſſovum, Stranovum,

vum, Beznum, Nymierzicæ, Coſſatecæ, Libenium, Vidimia, Hauſca, Bezdiezium, Coſmonoſæ, Zuuirzeticium, Coſta, Troſcæ, Virgo & Anus, Scalæ ſeu Rupes, Semilæ, Waldeſteinum, Rohozecium, Suiganæ, Monacho-Hradiſſta cum opido, Zaſadca, Doxa, Curzivodæ, Zacupium, Wartemberga, Dubum, Wyſocum, ubi vacca à bubulco lapide plerumque, quam ipſa ſit, pretioſiore impetitur, Reichenberga ſive Libercum, Grabſteina & Fridlanda, partim caſtella, partim arces; opida denique, ut Bacovum, Mſlenum, Biela muro cincta originemque & nomen ab junioris Croci nepte ſortita, Turnovum, Sobotca, Mimonia, Gablona, & alia numero non pauca.

XVII. Huc uſque ac hactenus verſati ſumus in recenſendis iis Bojemiæ provinciis, ſeu diſtrictibus, qui inde à primis gentis noſtræ incunabulis ſub eodem magiſtratu ſummo, eadem lingua, legibus, moribus, inſtitutis vixerunt: nunc jam accedimus ad tres reliquos deſcribendos, qui tametſi jam olim jure clientelari, cum corpore Bojemico, vinculo indiſſolubili coaluerunt; actibus tamen Bojemorum panegyricis non ſolent, ut cæteri provinciales intereſſe, neque conſiliis de repub. intervenire.

Immu-

Immunitates nihilominus, instituta, leges, ac consuetudines quasdam peculiares semper & habuerunt, & ad hæc usque tempora tenuerunt. Linguæ similiter usum neutiquam nobiscum communem habere voluerunt, quales sunt Comitatus Cladscanus seu Glacensis, provincia Hebana seu Oegrana, & districtus Loctensis seu Cubitanus. Nobilitas horum districtuum pleraque omnis ex Ordine Equestri est, paucissimis saltem exceptis, qui, Barones cum sint, agrum istic possidere pridem cœperunt. Principum Bojemiæ vasalli sunt omnes, quamvis nonnullorum bona, patrum ævo, ex feudalibus sint facta hæreditaria.

XVIII. Circumdatur autem Comitatus Cladscanus, cui nomen à Cladsco primaria ejus oræ urbe ac propugnaculo munitissimo est factum, ab Aquilone & ortu Slesia terminis, ab Austro angulo quodam Moraviæ, ac (sicut & ab occasu) provincia Hradecensi. Fuit olim, nunc in Polonorum, nunc in Bojemorum [3] manibus, donec ex fœdere, quod Ottacarus rex cum Henrico Duce (*ann.* 1280.) percussit, priscorum principum Minsterbergensium seu Sambicensium dominio

[3] *Hagec. in hist. ad ann.* 1074. 1278. *Cromer. hist. Polon. lib.* 9. *extremo.*

dominio accrevit; quem tandem Iohannes rex à Boleslao Duce (*ann.* 1322.) redemit, ac regno Bojemiæ in perpetuum conjunxit, quinquennio nihilominus post, (*an.* 1327.) ex pacto, Vuratislaviæ Duci Henrico VI. usufructu in eo ad vitæ dies concesso. Ardentibus tamen postea Hussiticis motibus, venit in possessionem procerum gentis Podiebradiæ, qui longo post tempore Minsterbergæ Duces erant creati, tenebaturque eorum ditione totos plus minus annos octuaginta, usq; dum ab Alberto, Carolo, & Georgio fratribus, (*ann.* 1500. 1502.) Vldrico Comiti Hardecchio, cum is paulo ante, more incolis Bojemiæ usitato, in Regis regnique fidem sacramento esset receptus, venditionis titulo fuit resignatus. Ex Hardecchiorum manu Iohanni Pernsteinio dynastæ concessus fuit, qui eum Arnesto Archiepiscopo Salisburgensi Bavariæque Duci, oppignoravit. (*ann.* 1547.) Arnesto è vivis sublato, succedendi agnato in ejus usufructu jus habere se contendebat Bavariæ Dux Albertus: sed quia per regni leges non licebat, ut inter provinciæ incolas locus illi esset, (alia ratio Arnesti hominis clerici fuit, alia Alberti principis politici,) Ordines Maximiliano regi authores in comitiis (*ann.* 1567.) fuerunt, ut pignus istud seu hypothecam à Bavaro,

à Bavaro, vel ipſe redimeret, vel è proceribus Bojemis cuipiam, qui vellet, redimendam cum uſufructu concederet. Sed res tamen iſta ac Ordinum placitum, non prius quam duodecennio poſt, Rudolpho jam regnante, exitum invenit, cum ex ære Ordd. collectitio, Comitatus hic (*ann.* 1579.) onere peregrini æris liberatus, Regum uſibus publico comitiorum decreto, ea lege fuit aſſignatus, ut nec vendi in poſterum, nec in hypothecam dari, nec permutari, nec ad uſumfructum cuiquam concedi, nec alio quólibet modo alienari unquam poſſet. Eſt igitur jam in regia poſſeſſione, perque præfectos, plerumque Barones, gubernatur.

Primaria, ut diximus, urbs in eo eſt *Cladſcum* (Germanis Glatz) cum arce in colle ac loco arcendis hoſtibus commodo ædificata, hominumque induſtria probe communita. Alluit latus ejus dextrum amnis Niſſa, ponte ex urbe lapideo ſtratus. De urbis hujus conditore ſilent noſtri, ut & Polonici, ſcriptores, de perveruſta tamen ejus origine non parva ſunt apud eos veſtigia. Veriſimile autem eſt, nomen ei vel ab eo, quod Cladu, pono, vel ab eo quod *Kláda, tignum ſeu trabs*, noſtris dicitur, eſſe datum, & *Kladſko* dictam, quaſi locus eſſet,

esset, in quo tignorum multitudo deponitur. A Sobieslao principe cum Polonis bellum Wladislao fratri faciente, (*ann.* 1114.) igni fuit penitus deleta, sed quindecimo anno post splendidius, quam ante, fuit instaurata. Cœnobium quod in ea Canonici Augustiniani regulares, ab Arnesto primo apud nos Archiepiscopo erectum, & D. Virgini dicatum habuerunt, non ita pridem (*ann.* 1597.) occuparunt novæ sectæ homines Iesuvitarum socii, qui simulac pedem istis in locis fixerunt, nunquam à turbis respirare potuit hæc provincia, Bojemicis, qui nec dum sunt consopiti, motibus bellicis, integro fere post cladem Pragensem biennio, virtute Francisci Comitis à Turri, in Friderici Regis fide fuit retentum propugnaculum hoc, ac adversus Ferdinandicos defensum, donec commeatus penuria coactum, obsidentibus ad VII. Calend. Novembr. (*ann.* 1622.) conditionibus non spernendis dederetur; à fulmine non multo post disturbatum, mox vero Bojemicis Ordinum sumptibus ex ruinis vicissim excitatum. Arces & opida in hoc Comitatu sunt, Chelnava, Levinum, Homolæ arx ruderibus saltem, & luculento Regum Bojemorum patrimoniali agro nota, Dussnicum sive Reinhercium, Rychnovum, Radecum
sive

sive Vuynselburga, Reichesteinum, Novoradum, Landecum thermis nobile; Vuystrzice sive Habelsvera, Mitwaldum, Schonfeldum, & si quæ sunt alia.

XIX. Hebana seu, ut alii vocant, Oegrana provincia vel regiuncula, cohæret primo ex Occidentali plaga Bojemiæ aditui, ac nominatim accedit districtui Lucensi parte sui Orientali, quæ Cæciæ obvertitur, quæ vero Subsolanum Vulturnumque respicit districtui Plsnensi. Ad Austrum contingit Palatinatus Bavarici fines: ad Occasum *Plsensko* seu Voitlandiam, & ad Aquilones partim Voitlandiam, partim provinciam Cubitanam. Regiuncula est amœnissimis hortis, variisque pomorum ac fructuum generibus luxurians. Scindit eam ac irrigat mediam erumpens è piniferi montis jugis fluvius, quem Latine scribentes Germani Oegram, nos à tepidiore ejus aqua Ohrzen, vocamus. Ademit autem illam, Bavariæ Duci Henrico, (*ann.* 1193.) primusque belli jure regno nostro acquisivit Przemysl-Ottacarus Dux. Eam aliquanto post Diepoldus Marchio Vuochburgensis Comesque Caubanus seu Chambiensis sui juris fecit, & ad Adelheydam filiam transmisit. Quæ ab Adelheyda Imp. Friderico I vendita, tandem, nepotis ejus liberalitate, prisco possessori

Prze-

Przemyſlo-Ottacaro, jam tum Bojem. Regi eſt reſtituta. (*Ann.* 1212.) Et cum iterum in Bojemorum poteſtate aliquandiu fuiſſet, per ambitioſum, augendiſque privatis familiæ opibus immodicè attentum [4] principem Rudolphum Habſpurgium, cum is ad Imperium perveniſſet, Ottacaro II. Sinoniis artibus extorquebatur; verum novennio poſt, cæſi in prælio Marchefeldiano patris Regis filio, & in Regno ſucceſſori, Vuenceſlao II. dotis nomine (*ann.* 1285.) reſtituebatur. Et cum neſcio quo jure in Bavariæ ducum manus recidiſſet, Ludovicus Imper. ejus nominis IV. eam Iohanni Boj. regi operæ ſtrenue adverſus Fridericum Auſtrium navatæ, compenſandorumque ſumptuum bellicorum, qui ad vicies milie, vel, ſi Munſtero, principum Electorum Atteſtationibus convenienter aſſerenti, credimus, ad XLCIↃ. marcas puri puti argenti aſſurgebant, præmium eſſe voluit, ac de principum Electorum aſſenſu (*ann.* 1322.) poſſidendam dedit. [5] Sortita autem eſt hæc regiuncula nomen ab urbe iſtic primaria, quam lingua noſtra ab inflexu, *Heb*, Germanica à præterlabente amne *Eger* vocat. *Hebum* igitur

H vel

[4] *Chron. Colmarien. part. 2. pr.*

[5] *Chron. Aula reg. & Hagecius.*

vel Oegra urbs ipsa, alluitur ab Australi latere tepediusculis illis Ohrzes fluvii aquis, tota nitida, tota culta, quæ inter alia etiam vicino fonte aquæ acidæ, & confectæ ex melle potionis (*Picy med vocamus*) excellentia, commendatur. Celebris quoque est aliquot, Cæsarum Principumque cum Bojemiæ Regg. olim (*ann.* 1208. 1318. 1461.) memorabilibus conventibus. Imp. Cæs. Ludovicus Bavarus privilegiis eam, & multa libertate ornavit. Incolæ ejus cum virtutum omnium, tum inprimis literarum humaniorum sunt amantes. Conditæ ejus tempus apud me est in incerto. Arces & opida in hoc districtu celebriora sunt Vueyda, Parcosteinum, Carolivaldum[6] Cunzuvardum, Falconavum, Libensteinum, Nechanicæ, & quædam alia, in quibus est Chlumum cœnobium D. Virginis, annuis, Septembri mense, peregrinationibus notum.

XX. Loctensis denique seu Cubitanus terræ tractus, qui solus nobis hic restat adumbrandus, territorio suo attingit ab Ortu Lucensem, ab Austro partim Lucensem, partim Hebanum districtum, ab Occasu & Septentrione Voitlandiam. Lingua nostra vocatur *Loketsko*, à primaria

6 *Imp. Caroli* IV. *privileg. de an.* 1360.

maria istic urbe, quam *Loket*, hoc est Cubitum, vocamus. Germani *Elbogen* dicunt. Fuit autem jam olim, vel Vogeni principis, ut videtur, ævo, districtus hic non tantum in Bojemiæ principum potestate, [7] sed & à gentis nostræ hominibus habitatus, qui montanum istum tractum prohibendis è Norico ac Misnia prædonum irruptionibus oportunum, nequaquam incultum, multo minus absque gravi suorum incommodo hostibus occupandum, relinqui posse viderunt. Iohannis regis temporibus in usufructu Elisabetæ reginæ fuit, [8] à qua & ejus liberis, non raró animi colligendi gratia habitabatur. Sigismundus [9] Imp. illum suo Vice-Cancellario & tum Egrensi Capitaneo Caspari Schlickio dedit, cujus gentilium ditione adhuc avorum nostrorum memoria tenebatur. Patrimoniales regum reditus hîc præcipui sunt ex argenti fodinis, quæ ad opidum Ioachimi vallem, *(ann. 1516.)* ineunte regnum Ludovico repertæ præstantes sane habentur. Valle hac vicisque ejus loci, pro abalienatis Rabesteinensi Tocznicanaque ditionibus, Regum Bojem. patri-

 monium

7 *Comit. ann. 1615.* 8. *Chron. Aulæ Reg.* 9 *Goldast. tom. Const. III. Silvius hist. B.*

monium auxit (*ann.* 1576.) Imp. Rex Maximilianus.

Vrbs ipsa *Loctum* seu *Cubitum* una cum arce in ardua rupe ceu edito colle, locoque inaccesso est sita, & non tam hominum industriâ, quam naturæ beneficio adversus vim hostilem adeo probe munita, ut inexpugnabilis fere semper habita fuerit. Circumstant eam undique montes prærupti præcipitesque, in quorum medio rupes una tanquam Vrbis basis assurgit. Hanc Orhze seu Oegra amnis infra collem alveo suo veluti profundâ ac lata fossâ contentus, rapido inter fragosa montium præcipitia delabente fluento sinister alluit, in obversaque sibi collis parte angulum constituit, è quo tanquam è voragine regurgitans, sinuoso illam anfractu ambit & ceu cubiti amplexu, (unde nomen etiam sortita,) cingit, atque à dextri lateris montibus separat. Aditum illi vicinus in læva mons, qua rupi urbis basi contiguus est, oblongis quibusdam quasi faucibus ad rupem protensis præstat, eumque adeo angustum ac brevem, ut hac iter curru facientes, urbem prætervehi minime possint. Vnica, qua intratur, ei est in peracuto angulo porta. Ad quam quoties quis, coëuntibus ob invia atque præcipitia viis, devehitur, nolens volens

Vrbem

Vrbem ingredi cogitur. Si ulterius velit progredi, ad forum usque per longum vicum, pergere, curruque in gyrum retroacto, quà venit, exire habet necesse. Delatus porrò sub opposito monte ad bivium, in partem alterutram temonem vertit, atque ita demum quod proposuit iter peragit. Bello quo Ferdin. Cæsar Bojemiam nuper oppugnabat, obsidione ab ejus ducibus gravi fuit Vrbs hæc in permagnas angustias conjecta, & quum nulla auxilii spes appareret, pulvisque tormentarius jam defecisset, Nonis Maj. (*ann.* 1621.) deditionem facere coacta. Sunt in ejus territorio multæ arces ac opida, quæ nobilium, Regibus Bojemiæ clientelæ juribus obnoxiorum, dominio tenentur, ut sunt *Wary* seu *Thermæ Carolinæ*, scatebris aquæ vehementer calidæ nobiles, itemque Slavucorum ac Lichtenstadum opida. His adde Steinum, Konigsbergam, Neudeccam, Falconovüm, Hertenbergam, Schonpachum, Cagernum, Stampachum, Globenum, Cetlicium Przemluvicium, Schancam, Deysam, Polomum, Delbiczum, Teleczium, Ornovicium, Lucum, Reslvicium, Machovicium, Berlleticenum, Ciupam, Copecznum, & cæteras arces, castella, opida, vicos.

CAP. III.

De statu Bojemiæ.

I. OPinione nostra diutius in delineandis Bojemiæ districtibus sive provinciis sumus commorati, & præter instituti forsan nostri rationem prolixius scripsimus: nunc jam de incolarum ejus Statu memorare quædam libet. Intricata profectò est, & difficilis illa quæstio, in qua disputatur, sit, necne, Bojemia Imperio Germanico ullis feudalibus, quas vocant, legibus adstricta vel obnoxia. Permulti sunt, qui eam Germanici Imperii feudum, principes vero nostros Imperatorum vasallos seu beneficiarios faciunt. Nonnulli vicissim sunt, qui disputant, quòd

——— nullum caput ista super se
Aspicit, excepto cœlorum rege, potestas,

quique adeo Germanis principibus nihil in eam juris concedunt, principesque Bojemos rempub. populi, ut volunt, liberi, sola DEI gratia, ac mera incolarum voluntate, & capessere, & gerere asseverant. Accidit hic disceptatoribus his plerisque idem, quod gregalibus avibus solet contingere, ut videlicet prævolantem alitem unum, reliqui, quasi ducem, pedibus alatis subseque-

ſequerentur, idemq; quod de primis Philoſophis obſervavit Iuſtinus Martyr, [1] quod nempe, Συνέβη τοῖς πρώτοις ἁψαμένοις τῆς παιδείας ταύτης, καὶ διὰ τοῦτο ἐνδόξοις γενομένοις, ἀκολουθῆσαι τοὺς ἔπειτα, μηδὲν ἐξετάσαντας ἀληθείας πέρι. Litem profectò ego iſtam, nolo meam facere, tantum quæ à parte controvertentium utraque, ad ſenſus ſui defenſionem proferri ſolere ſcio, Minerva rudi recitabo.

II. Et inter eos quidem, quos genti Bojemæ Status controverſiam movere jam olim cœpiſſe conſtat, præcipui ſunt ſcriptores Germani, qui Bojemiam Imperii Germanici beneficium, & ejus principes Imperatorum vaſallos eſſe, plerique omnes contendunt. Ajunt enim quandoquidem provincia iſta non alibi quam in Germania eſt ſita, omnino eſſe neceſſarium, ut incolæ ejus, cum legibus ac jure hujus Imperii communi teneantur, tum ſummum in eo magiſtratum, pro ſuo quoque ſuperiore non tantum agnoſcant, verum etiam fortunas ſuas omnes ei acceptas ferant. Eſſe autem Germaniæ portionem Bojemiam, ex Strabone, Ptolemæo, Mela, Plinio, Geographiſque cæteris, imo & ex Coſ-

[1] *In dial. cum Triphone.*

ma, Daubravioque scriptoribus nostris, pro confesso ponunt, qui Vistula Orientalem, Alpibus, quæ ultra Danubium sunt, Australem Germaniæ limitem definiunt. Manifestum præterea id esse quoque ex eo dicunt, quod inde à Caroli M. ætate, omnes, prisci etiam illi gentis conditores, ex quo regionem hanc cœperunt incolere, armis subacti, in jura ac dominium principum Germaniæ transierunt, ab iisque leges ac magistratus accipere assueverunt.

III. Et quamvis erant duces apud Bojemos nonnulli, qui rebellione excitata jugum istud, contra datam fidem, excutere tentarunt, principum tamen Germanorum armis semper fuisse coërcitos, ac officium & imperata facere coactos. Morigerorum ac fidem religiose servantium clientum exempla esse in Mnata, Vogenoque (id quod, nisi fallit, intelligendum fuerit de Crzesomyslo Neclanoque) principibus, quorum ille Theoderico & Meginfrido Caroli M. ducibus (*ann.* 791.) cum exercitu in Vngariam euntibus ac redeuntibus, de commeatu diligenter prospiciebat;[2] hic Ludovico Imp. Francofurti conventus principum agenti, (*ann.* 822.) cum honorifica legatione,

[2] *Annal. Car. & Lud.*

gatione, consueta munera, sive canonem mittebat: in D. Wenceslao, qui ad mandata Henrici Imp. cognomento Aucupis Ratisponæ (*ann. 923.*) præsto fuit, partimque pietate, partim obsequiis magnam ab Imp. gratiam iniit: [3] in Iaromiro, qui quamvis à Rege Poloniæ Boleslao (*ann.* 1005.) tota regione esset exsutus, quia tamen Henrico II. Imp. fidem suam approbavit, armis ipsius, dignitati pristinæ fuit restitutus: [4] in Wratislao I. Wladislao II. & Przemyslo Ottacaro I. qui obsequiis, præstitisque fideliter cum quibusvis, tum inprimis militaribus ministeriis, ab Imp. Henrico IV. Friderico Barbarossa, & Philippo, coronam Regiam promeruerunt, ac posteritati cum magna servatæ dominis suis fidei commendatione reliquerunt.

IV. Ob feloniam vero rebellione commissam ac temeratam debitam magistratui superiori fidem, male mulctatorum in Bojemia principum exempla apparere in Hostivito, vel, ut alii tradunt, in Krzesomyslo & Wlastislao fratribus, qui cum Imp. Cæs. Ludovicum Pium, interea dum is debellato in Moravia Radicio seu Radslao Mogemiri

H 5 nepote,

---

[2] *Vitechindus. Hagecus.*

[3] *Dithar. Mersb.*

nepote, domum vellet cum exercitu per Bojemiam reverti, clade non modica affecissent, paulo post ab ejus filio Ludovico, (*ann.* 848. 849.) biennio toto armis propterea exagitati, pacem petere, & non solum imperata facere, sed & obsides dare sunt coacti [5] in Boleslao sævo, & Brzetislao I. quorum ille Ottonem M. (*an.* 950.) [6] hic Henricum III. Impp. (*ann.* 1042.) [7] superbis ac petulantibus responsis offenderunt, cumque officii, ut par erat, essent admoniti, turbulenta, quam sana, consilia sequi, ac armorum, quam precum, viam ingredi maluerunt. Domitam tamen fuisse istam eorum contumaciam, ac utrumque non nisi facta coram Imperatoribus publica culpæ deprecatione, & fidelitatis arctiore sacramento præstito, rebellionis gratiam obtinuisse: in Przemyslo-Ottacaro II. qui cum post impetratam de Bojemia & Moravia à Rudolpho Imp. investituram, homagiumque præstitum, perjurio se contaminasset, ac Austriam Stiriamque provincias, quas jure non potuit, armis Imperatori Domino suo extorquere tentasset, vitam in prælio (*ann.* 1278) ad Marchefeldum amisit. [8]

V. Addunt

[5] *Annal. Fuldens.* ([6] *Regino, & Witichindus.*) [7] *Marian. Scotus.* [8] *H. Mutius.*

V. Addunt & hoc tertium pro causſæ ſuæ defenſione argumentum, vectigalis nempe, ſeu tributi penſionem. Negari enim non poſſe, ab eo tempore (*ann.* 804. 805.) quo Caroli M. auſpiciis ab ejus filio Carolo juniore, armis domita, ac in verba Imp. Caroli M. jurare fuit coacta Bojemia, [1] ſeculis aliquot continuis ejus incolas argenti marcas centum quinquaginta, [2] boveſque centum & vigenti, Imperio Germanico ſolvere habuiſſe neceſſe, nec ab onere iſto prius quam tempore Friderici II. (*ann.* 1212.) liberatos fuiſſe. Iuris autem manifeſti eſſe, ut vectigalia ſeu tributa id genus, non niſi ſuperiores ab inferioribus, domini à ſubditis, exigant. Nec obſtare, ſi quis dicat, exemptione iſta qua Frider. II. Imp. canonis antiqui pendendi gratiam Bojemis fecit, feudi naturam exſpiraſſe, ac regno abſolutam merique imperii libertatem collatam fuiſſe. Certum enim eſſe, quod Imp. in mentem id nequaquam veniebat, ut ſupremo juri, quod in Bojemos tanto tempore habuerunt ipſius deceſſores, hoc ipſo aliquid detraheretur: certum etiam eſſe Cæſarea exem-

[1] *Regino. Schafnaburgenſis.* [2] *Silvius in hiſt. cap.* 19. *& Borecus hiſt. Boj. in Brzetiſl.* 1.

exemptione illa, qualitatem saltem, non naturam ipsam feudi Bojemici, aliquantum variasse; reservasse præterea Imperatorem non vulgarem oneris prisci portionem, quo Bojemiam obnoxiam reliquit, ut videlicet ejus princeps tum eunti ad Imp. Curiam Polono regi de commeatus securitate prospicere teneretur, tum proficiscentibus Romam inaugurationis caussa Imperatoribus ipse vel trecentos armatos daret, vel argenti marcas totidem repræsentaret.

VI. Multum denique ad probandam feudi Bojemici naturam valere dicunt, ipsorum Bojemorum principum à populo comprobatas actiones, qui cum in creandis Impp. locum inter Electores tenuerint hactenus, Imperiique Archipincernæ, Romanorum Imperatores dominos suos, [3] provinciamque omnem Imperii fiscum seu Cameram esse fatebantur; qui Imperatoribus, quoties jubebantur, militabant; qui Curias ipsorum, quoties vocabantur, frequentabant; quorum principes rempub. adituri, ejusque administrationem auspicaturi, investituram solenniter ab iis petebant. Probandis his omnibus non esse operoso labore opus. Ipsos enim præcipuos Bojemicarum

[3] *Ditmar. Chron. lib. 6.*

rum rerum scriptores Cosmam, Dubravium, Hagecum, passim ea recensere. Dominum fuisse appellatum Cæsarem à Boleslao Sævo, (*ann.* 964.) Brzetislao utroque (*ann.* 1038. 1042. 1098.) ac Friderico (*ann.* 1179.) Ducibus; à Wladislao utroque (*ann.* 1157. 1477.) & à Georgio (*an.* 1460.) Regibus: sic fiscum Imperatorium esse provinciam illam totam, fassos esse, non tantum Brzetislaum I. (*ann.* 1042.) sed cunctos etiam ejus consiliarios; militasse Cæsaribus cum Bojemis suis, Sobieslaum II. (*an.* 1139.) Cunrado in Saxonia, Wladislaum I. (*ann.* 1159.) itemque Sobieslaum II. (*ann.* 1175.) Friderico in Insubria; Henricum-Brzetislaum (*ann.* 1194.) Henrico in Lusatia; Wenceslaum I. (*an.* 1236.) Friderico II. & Georgium (*ann.* 1458. 1462.) Friderico III. in Austria, Ferdinandum I. (*ann.* 1547.) Carolo V. in bello Smalcaldico: Ad imp. aulam venire jussos, obtemperasse, venisseque Sobieslaum I. (*ann.* 1132.) ad Lotharium Bambergam, Wladislaum I. (*an.* 1159.) ad Fridericum Roncalias, Fridericum (*ann.* 1187.) ad Frideric. Noribergam, Przemyslum (*ann.* 1200.) ad Philippum Moguntiam, & ad Fridericum II. (*ann.* 1212.) Basileam, Wenceslaum II. (*ann.* 1294.) ad Adolphum Grumhaynam, &

(*ann.*

(*ann.* 1299.) ad Albertum Noribergam; Iohannem (*ann.* 1318.) ad Ludovicum IV. Oegram & Domazlicium: regalia investiturasque ab iis petiisse ac accepisse, Borzivogium II. (*ann.* 1098.) Vldricum II. (*ann.* 1101.) & Wladislaum (*ann.* 1110.) Duces ab Henrico, Wladislaum postea regem (*ann.* 1138. 1140. à Cunrado; Sobieslaum II. (*ann.* 1174.) & Fridericum, (*ann.* 1178.) à Friderico I. Henricum Brzetislaum (*an.* 1191.) ab Henrico, Wenceslaum I. (*an.* 1226.) à Friderico II. Ottacarum (*ann.* 1262.) à Richardo & (*ann.* 1276.) Rudolpho, Wenceslaum II. (*ann.* 1292.) ab Adolpho; Iohannem (*ann.* 1310.) ab Henrico patre, Georgium (*an.* 1459.) & Wladislaum (*an.* 1477.) à Frideri. III. Ferdin. I. (*ann.* 1531. 1541.) à Carolo V. Matthiam (*ann.* 1608.) à Rudolpho II. Ferdinandum II. (*ann.* 1617.) qui nunc jam imperat, à Matthia, & alios ab aliis. Omnia vero hæc talia esse, ut cum apud omnes sanos rerumque peritos fidem inveniant, ut notoria, tum ad tuendam Imperii Germanici majestatem, demonstrandamque summam Cæsarum in Bojemos potestatem, contra diversum sentientes ac perduellioni fenestram patefacientes, plus quam satis valeant.

VII. Restat igitur ut aliis quoque, quos

quos contrarium sentire diximus, aurem accommodemus, &, quæ ab iis ad asserendam Bojemæ gentis absolutam nec precariam, aut ab alieno pendentem arbitrio libertatem produci solent, percipiamus. Queruntur omnes illi, Germanos magni alioquin nominis scriptores plerosque, hac in materia, contra quam historicos decet, affectibus immodice servire, & de juribus gentis suæ nimis arroganter ac ventose, nostræ vero nimis dilute, quandoque etiam injuriose, ac dissimulanter disserere. Negari nullo modo posse, viam facti persæpe apud Germanos via juris fuisse priorem, esse ipsos gentem ambitiosam, invidam, vicinisque gravem, [4] ita ut in proverbium abierit; τὸν Φραγκὸν φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς. [5] Præ se illos semper contempsisse cum alios quosvis, tum inprimis Slavicæ linguæ homines, iisque non modo servitute gravandis, verum etiam penitus exstirpandis, vires omnes suas intendisse. Magnifice quidem illos jactare, quasi Vngari, Dani, Poloni, Marcomani, Helvetii, Allobroges, Batavi, aliquotque alii, regum Alemannicorum sint clientes seu vasalli. Sed si quis gentes illas

---

4 *Cosmas lib.* II. *ad Ann.* 1020.

5 *Eginhart. de vita Caroli M.*

illas interroget, num res ea sic se habeat, responsuras, jactantiam istam Germanicam, gerras esse meras. Sic si quis rerum Bojemicarum experientem aliquem, vetustatisque gnarum virum roget, Bojemia, socia ac fœderata Germanici Imperii, an vero beneficiaria ac feudalis sit regio, asseveraturum firmiter, amicam potius, ac societate æterna devinctam, quam ullo modo servam vel clientelarem esse; idque his quæ sequuntur de caussis.

VIII. *Principio*, Haudquaquam omnibus probari, quod Bojemia in Germania potius quam in Sarmatia collocatur. Argutiam hanc nihilo esse firmiorem, quam si quis Romanæ urbis territorium Italiamque universam, propterea quod ab hominibus priscis Græciæ magnæ esse regio dicebatur, Imperii Græcorum seu Macedonici provinciam vocare velit. Non vulgaria occurrere, ob quæ quis diversum de Bojemia debeat statuere. Neminem videlicet esse inter Geographos veteres, qui à Bojemis hac tempestate habitatam terræ portionem, Germaniæ regno verbis disertis accenseat; recentiores vero, vel caritatibus domesticis plus æquo addictos, gentem suam adulari, vel errore multis communi, ab accuratiore rei investigatione averti. Quibus

Germania finibus circumſcribatur, ex Tacito, Mela, Solinoque, attentis lectoribus eſſe manifeſtum. Cornel. Tacitum, [6] ſcriptorem vetuſtum pariter & idoneum, quique cum Germanis Rheni accolis diu & multum fuit converſatus, aperte dicere, Germaniam omnem, à Gallis, Rhætiſque & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus; à Sarmatis Daciſque, mutuo metu aut montibus, ſeparari, cætera Oceanum ambire. Pomponium Melam [7] ſimiliter tradere, ab Occidente eam ripis Rheni uſque ad Alpes, à Meridie ipſis Alpibus, ab Oriente Sarmaticarum confinio gentium, qua Septentrionem ſpectat, Oceanico littore obduci. Solinum denique [8] perhibere, extendi ipſam inter Hercynium ſaltum & rupes Sarmatarum; ubi incipit Danubio, ubi deſinit, Rheno perfundi. Cum igitur Bojemia Germaniæ ad Orientem ultra ſaltum Hercynium & Sarmaticos ſive Sudetos montes ſit ſita, & à Germania locorum aſperitate metuque mutuo ſeparetur, nihil eſſe quam ob rem à Sarmatia avellatur. Marobudum cæteroſque Marcomanorum ſeu Moravorum reges, iis & vicinis quaqua verſum

6. *De morib. German.* 7 *Lib. 3. Geograph. cap. 3.* 8 *Solin. cap. 29.*

locis, longe olim & late regnasse, Quadis, Vandalis, Sarmatis, Sirbis, (Suevos corrupte vocant,) præfuisse, sed rerum in Germania potitos nunquam fuisse.[1] Germaniam enim illos, ut Paterculus[2] ait, ad lævam & in fronte, Pannoniam ad dextram, à tergo sedium suarum Noricos habuisse. Accedere vetustis hisce rationibus argumenta etiam ex historia recentiore. Ab Henric. Aucupe & Ottonibus Imperium Germanicum versus Orientem ultra Albim & usque ad mare Balticum cœpisse prolatari, defendendisque à mutuo ex Sarmatis oriundarum Slavicarum gentium metu, ejus finibus, præfecturas limitaneas esse constitutas; & earum custodes, nomenclatura Germanica, Marchiones cognominatos. Id genus præfecturis, ubique à Germania dirimi hodieque, ut Poloniam, ita & Bojemiam; Marchia nempe Brandeburgi, Lusatiæ, Misniæ, Stiriæ, quæque jam pridem [*an.* 1156. vel (quod alii volunt) *ann.* 1166.] in Archiducatum est conversa Austriæ supra Anasum, & Marchia Caubana seu Vuochburgensi. Carolum V. quibus Germania finibus terminetur, melius quam quenquam scisse; cum tamen eam in circulos partiretur, Bojemiæ

[1] *Eutrop. in Rom. Histor. breviar. l.* 8.
[2] *Vell. Paterc. Histor. lib.* 2.

Bojemiæ nec verbo uno meminisse, nec in aliquo circulo eam recenseri jussisse. Vidisse id & sensisse similiter, Ferdinandum I. non tantum ante, verum & postea quam Rex Romanorum fuit salutatus, qui cum ex consiliariis suis comperisset, conventu Vormatiensi ab Ordd. Imperii (*ann.* 1545.) de Bojemis esse consultatum, ut propterea, quod Imperii Germanici essent clientes, in partem secundorum onerum publicorum pertraherentur, contributionibusque, pariter cum cæteris Germaniæ incolis, pro rata, ut dici solet, onerarentur, rem indignissime tulit, & post captum accurate cum suis consilium, proximis, quæ post confectum bellum Smalcaldicum, (*ann.* 1548.) Augustæ habebantur, Imperii comitiis, publice ac solenniter novo illi ac præter majorum morem attentato Ordinum incæpto intercessit. Asseruisse namque illum (ut ex inserta actis Comitiorum regia ipsius obnuntiatione liquet,) Coronæ Boj. provincias nullo Imperii circulo includi. Et Bojemiam esse Regnum non solum ab oneribus id genus liberum, sed & ab Imperio Germanico prorsus, cum gente tum institutis, segregatum, ubi verbis disertis: Ob nun gleichwol / inquit, die Kön. Majest. als ein König zu Böhmen / et-

tiche Land vnd Herrschafften der Teutschen Sprach vnd zungen / vom Heil. Reich zu lehen erkennen ; So haben dieselben Land vnd Herrschafften vom Röm. Reich weder Schutz vnd Schirm / Fried noch Recht / sondern seind von dem Reich Teutscher Nation in ein ander sonders Reich vnd Nation von alters her abgesondert / vnd denselben nicht incorporirt / vnd also deß Reichs Teutscher Nation bürden / anschlägen / vnd Contributionibus nit vnterworffen. Omnia autem ista, ejus esse notæ, ut opinioni eorum, qui Bojemiam in Germania statuunt, è regione adversentur, ita ut cuivis possit esse obvium, non esse necessarium, ut Bojemi, vel leges ac jura ab Impp. Germanicis accipere, vel pro supremo magistratu suo, ipsos agnoscere teneantur.

IX. Ex fide digna historia esse *tandem* quoque certum, terram hanc, quæ Bojemia dicitur, cum in eam Czechicæ gentis conditores primi venerunt, prorsus fuisse vastam, incultam, ac silvis totam horrentem, & homines incolas vel perpaucos (nec illos tamen Germanos) vel omnino nullos habuisse.[3] Vacuam igitur,

[3] *Cosmas & Dubrav. hist. Boj. lib.* 1. *Michoviens. hist. Polon. lib.* 1. *cap.* 1. *Silvius hist. Boj. cap.* 3.

igitur, ac quæ in nullius dominio tum fuit, recepto à cunctis gentibus jure, ab iis fuisse occupatam, tempore longissimo, absque omni molestia, in oculis vicinatum gentium, libere & fide bona, possessam, ac diuturno usu captam, nec quenquam fuisse qui vel in possessione legitime quæsita incolas novos turbare, vel dominium, aut jus aliquod, in regionem ipsam prætendere vellet. Demum post omnem hominum memoriam, postque exactas ætates aliquot, cum jam improbo ac indefesso Czechitarum labore terra quondam deserta, vasta, ac squalida, faciem aliam induisset, suisque cultoribus fruges omnigenas, nec eas modo tuendæ vitæ necessarias, sed & in deliciis usurpari solitas, quin & gemmas, argentum, aurum, metallaque cætera, cornu divite, affunderet, vicis, opidis, castellis, Vrbibus, florere cœpisset, exarsisse invidia vicinos ex Germanis Moravisque homines malevolos, qui *(an. 793. 794.)* quietem Bojemorum publicam turbare, de iis profligandis conspirare, regionem primo latrociniis, tandem etiam justis exercitibus infestare erant ausi. Cumque nec clandestinæ, nec manifestæ ipsorum machinationes, ex voto ipsis caderent, Bojemæque gentis fortuna interea magis ac magis cresceret, ac politia insu-

per ipsa, viris, opibus, legibus; ornatior de die in diem evaderet, tum furere ipsos cœpisse, nec destitisse Acheronta prius movere, quam Impp. Germanos (jam tum enim cœpit habere Germania Reges, qui Occidentis Imperium tenuerunt,) adversus invisum genti Germanicæ hominum genus, ad arma concitarunt. Erupisse igitur in nervum radices tum agentia inter Germanos Bojemosque odia, ac in solo Bojemico (*ann.* 805. 846. 848. 849. 857. 869.) sub Impp. Germanicorum, & Principum Bojemorum signis contrariis, aliquoties Marte cruento fuisse decertatum, pugnantibus pro dominatu injusto Germanis, pro patriis laribus & avita libertate Bojemis: victoriam vero nunc penes hos, nunc penes illos stetisse. Et quamvis semel forsan atque iterum, in eas angustias redacti erant Bojemi principes, ut herbam Germanis regibus porrigere, pacemque à victoribus pretio redimere cogerentur, nunquam tamen eo potuisse adigi, ut libertatem, leges, mores, jura, consuetudines patrias abjicerent ac ejurarent.

X. Vi quidem ac in virum constantem cadente incommodi gravioris metu, extorta aliquando ipsis à Regibus Germanis fuisse pacta nonnulla, acceptæ à majoribus majestati non semper hono-

rifica,

rifica, qualia erant, pacem prece ac pretio mercari, tributum annuum pendere, de comiter colenda ipsorum majestate obsides dare, (*ann.* 805. 848.) & si qua id genus fuerunt alia; ut tamen ipsis, vel alium, quam qui ordine ac gradu eminentioribus deferri solet, quemque Constantinopolitanis Impp. deferebant, honorem haberent, vel dignitatem suam, seu, ut nunc vocant, regalia accepta ferrent, neutiquam assensisse. Triumphatos igitur, ut cum Tacito loquamur, semper magis, quam victos fuisse. Documenta vel exempla, quæ contrarium probent, nulla proferri idonea. Scribere quidem Reginonem, & ex eo Frisingensem, ducatum Bojemiæ, ab Arnulpho Imp. fuisse Suatopluco Moravorum regi concessum; verum, si quid ejus fecit Arnulphus, de corio alieno, non de suo, liberalem illum fuisse, ex eo esse manifestum, quod nunquam Suatoplucus Bojemiam in possessionem accepit. Et Imperatorem hunc certe, si Bojemiam Suatopluco concessisset, neque alienum ab se illum, belloque novo occasionem (*ann.* 891. 892.) dantem reperturum, neque Ducis & procerum Bojemorum legatos Ratisponam (*ann.* 897.) cum muneribus ad se missos, ac auxilia adversus hostes Moravos obnixe postulantes,

tam humaniter fuisse admissurum, nec promissis tam amicis oneratos, donoque honoratos, domum dimissurum, neque ad limitem Danubio propinquum pro ipsis toto autumno cum armis excubaturum.[4] Henricum Aucupem à malevolis fuisse quoque adversus Bojemos irritatum, & magno cum exercitu *(an. 928.)* Bojemiam invasisse, sed cum Pragam pervenisset à Venceslao pietate non vulgari spectatissimo gentis duce, verbis amicis, muneribusque placatum, absque maleficio domum redisse, & arctissimam postea cum eo amicitiam coluisse.[5] Othonem Magnum, ut omnium Slavorum, ita & Bojemorum libertatis acerrimum oppugnatorem, denuntiasse quidem aliquando Boleslao Duci, ut Ratisponæ sibi esset præsto, & Germanorum principum exemplo in verba sua juraret:[6] cumque is imperata facere renuisset, & allegata accepta à majoribus libertate, ad nulla id genus servitia teneri se respondisset, arma corripuisse, & Boleslaum totos quatuordecim annos, nunc victorem, nunc victum, bello in Bojemia fatigasse, ultimo tamen cum in oppugnatione Boleslaviæ, *(ann. 950.)* quæ nunc vetus vocatur, & tum

4. *Annales Fuldenses.* 5 *Witichind. Monachus lib.* 1. 6 *Hagecius.*

tum nova dicebatur, miles ejus non multum à periculo abesset, prœlium consilio diremisse, comiterque majorum exemplo, & absque libertatis præjudicio omni colere ejus majestatem ac pensionem annuam pendere promittenti Boleslao pacem dedisse. 7

XI. Sequuta longo post tempore esse pernitiosa ac feralia apud Bojemos inter fratres agnatosque Duces odia, simultates, ac de principatu concertationes. Doluisse enim plerisque, quod in principum electionibus, fratres vel agnati ipsis anteponebantur. Ideoque invidia ac ambitione actos, persæpe ad Germanos confugisse, & corrogatis apud eos auxiliis, bellum in patria accendisse, sceptraque à quibus tam populi voluntate, quam procerum suffragiis arcebantur, vi rapere tentasse. Germanos vero Cæsares non prius auxilia ipsis voluisse vel decernere vel afferre, quam sacramento ac conditionibus, quæ in avitæ Bojemorum libertatis præjudicium obtrudebantur alligati, suam in patria dignitatem Germanis Imperatoribus acceptam ferrent. Pervenisse via ista ac ratione probrosa ad Bojemiæ regimen, primum omnium Vldricum ducem, qui Iaromi-

7 *Witechind. l. 1. Sigebertus Gemblacens.*

rum fratrem legitime inauguratum principem, Henrici III. Imp. opibus ducatu exsuit, ac in Poloniam fugavit. [8] Et quamvis exsul infelix de ista tam atroci, accepta ab dignitatis invasore fratre injuria, apud eumdem Imp. Mersburgi questus, remedium se adversis suis rebus inventurum sperabat, vincula tamen pro restitutione pertulisse sub Ethelbodi præsulis custodia. Ac hoc porro fratri in manus traditum Vurssovicensium suasu oculos amisisse.

——— En quo discordia fratres
Perduxit miseros!

XII. Gloriari ab eo tempore non destitisse Germanos, Bojemiam fasces suos Germanicis Impp. submisisse, & duces, qui in eorum verba jurare tenerentur, habuisse. Vanam tamen esse istam jactantiam. Vldricum enim principem, ut & posteriores ejus stirpis duces, si quam promiserunt, vel dederunt Impp. fidem, nihil avitæ gentis libertati potuisse derogare. Personales fuisse istos contractus, & cum personis exspirasse. Nunquam enim in id, quod sic ab iis est gestum, populum consensisse, nunquam id ratum habuisse, nunquam sigillo publico seu terrestri munivisse. Non minus jam

[8] *Dithmar. Chron. lib. 6.*

jam tum illis Germanicam, quam nunc Germanis Hiſpanicam ambitionem, affectatamque omnibus imperandi libidinem, nec injuria, fuiſſe ſuſpectam. Vigilaſſe igitur ipſos, ſervitutique hoc genus omni maſcule obnuntiaſſe, ac contrariis actibus, nullam eam eſſe docuiſſe. Manifeſtum id ex eo eſſe, quod ſuas leges, ſuaque jura, Impp. id genus præſumptionibus opponebant, nec ullius ducis, qui Cæſaris beneficio, & non libera ipſorum electione, præeſſe ipſis contendebat, imperia, abſque controverſia ferre volebant. [1] Cæſaris decreto connitentes ad ſceptra principes, Cæſaris, non ſuos, principes per ludibrium vocabant. Exempla eſſe in Borzivogio II. Vldrico II. Sobieſlao juniore, Theobaldo adoleſcentulo, qui quamvis de ducatu à Cæſaribus inveſtiti, iis tamen quos populus optabat, dignitate cedere fuêre coacti. Conſonare id Imp. Friderici II. judicio, qui cum Bojemiam ornabat dignitate regia, intellexerit eam [2] *regnicolarum Electione, non Imperatorum munere*, conferri deinceps in Principes debere. Nec Brzetiſlaum I. nec Conrados, nec Zpitihnevum, nec Svatoplucum, nec Vladiſlaum I.

---

[1] *Dubrav. lib. Hiſt. Boj.* 10.

[2] *Hagec. in an.* 1212. *ante privil.*

ſlaum I. nec Sobieſlaum ſeniorem Duces, nec Przemyſlos, nec Carolum, ejuſque filios, nec Albertum, nec Ludovicum, nec Maximilianum, nec Rudolphum II. Reges, cujuſquam Cæſaris beneficio faſces ſuos, vel acceptos tuliſſe, vel tenuiſſe. Cæteros vero cum Duces tum Reges, ut Wratiſlaum, Vladiſlaum, Wenceſlaos I. & II. Georgium, Matthiam II. (quod ipſum tamen plerique factum eſſe pernegant,) propterea quod gratia, cum apud ſubditos, à quibus eligebantur, tum apud Cæſares, cum quibus familiariter verſabantur, niti, ac multum valere ſe videbant, Imperatorum importunitati ceſſiſſe, & inveſtituras plerumque renitentibus, vel etiam inſciis proceribus ſuis, quaſi ἐκ τοῦ περιττοῦ accepiſſe. Et certe illas etiam, quas ſic accipiebant inveſtituras, honorarias ſaltem, ac abuſivas fuiſſe, & de dignitate, quam in Electorum collegio jam olim promeruerunt hactenuſque obtinent principes Bojemiæ, quam de ducatu aut corona ipſa, potius eſſe intelligendas, ac interpretandas, documento eſſe literas Impp. feudales, ſeu Brevia teſtata, quæ à Frideric. III. Vladiſlaus II. *(ann.* 1477.) & à Carolo V, Ferdin. I. *(ann.* 1541.) acceperunt. Documento ſimiliter eſſe ipſa in inveſtiendo adhiberi ſolita inſignia.

Bojemos

Bojemos videlicet principes qui investituras expetebant, in actibus illis vexilla Impp. in manus porrexisse, eademque ab iisdem recepisse, cum si de regno vel regia dignitate essent investiendi, ex Curiæ consuetudine, per gladium id[3] non per vexilla fieri oporteret. Impingere haud leviter eos, qui statuunt, Bojemiæ principem, quia Elector habetur, propterea Imperii etiam esse vasallum. Nihil absurdi in eo esse, si qui liber alioqui sit, Elector optetur. Non Germaniæ Superioritatem, quam vocant, ullam, verùm viciniratem, beneque de Germanis meritorum complurium Boj. principum amicitiam atq; societatem arctissimam, inprimis verò utilitatem Imperii publicam, poposcisse effecisseque, ut principes & Ordines cæteri, in inclyto illo constitutorum creandis Impp. principum Germanorum collegio, unum ex Imperii amicis, & eum quidem cæteris tum viciniorem, tum fœderibus devinctiorem, cujus potentia nec sociis aliquando esse possit terrori, nec hostibus communibus despicatui, vellent habere, qui, citra priscæ libertatis suæ jacturam, tum diffidentium parique numero inter se

[3] *Otho Frisingens. de gestis Frid. I. lib. 1. cap. 5. Arnis. de jure majest. l. 1. c. 6.*

ſe quandoque concertantium Electorum vota, ut Arbiter dirimeret, tum Electoralem dignitatem ſuam; dignitatem, inquam, Electoralem, non regnum, creato voce libera Imperatori novo acceptam ferre, quin & eum ipſum comiter, porrecto inter epulas ſolennes poculo primo, venerari, tanquam amicus non detrectaret. Inter Impp. (Rudolpho I. ſaltem excepto) repertum eſſe neminem, qui Bojemiam vel Moraviam, electis à populo ſuo Ducibus Regibusve *in feudum* aut *jure feudi ab ſe concedi* dixerit. Omnes dignitatem iis confirmando, diſtincte feuda Germanica, Bojemiæ Moraviæque olim ab Imperio cohærentia, à Bojemia ipſa & Moravia ſecernere: illa abſque exceptione jure feudi concedere, has *certo modo, juxta morem, juſte & rationabiliter, quatenus ab iis & Imperio debebant ſuſcipi ac teneri*, ideoque feudalia jure feudi, propria vero jure proprietatis, cum pleno dominio obtinenda confirmare conſueviſſe. [4] Factos quidem fuiſſe ſupplices Henrico III. Brzetiſlaum I. (*ann.* 1032.) & Rudolpho I. Przemyſlum Ottacarum II. (*an.* 1276.) ac fidem iis ſacramento dediſſe, ſed

[4] *Inveſt. Frid. II. Richardi, Adolp. Imp. Abſolut. à banno Wenceſl. R. Albert.*

sed partim malis artibus, insidiosisque versutorum flagitatorum consiliis irretitos, partim juris inimica necessitate, ac temporis iniquitate adactos, id quod alioquin non debuerunt, certis conditionibus fecisse. [5] Quod igitur sic gestum hic sit, à Prætore non haberi ratum, nec vim tantam ex actibus paucis illis, neque continuis, accipere potuisse, quò minus tot vel contraventionibus, vel temporis longi præscriptionibus extinctum censeatur.

XIII. Esse præterea hoc *tertium* quod vindicandis ab Impp. Germanorum dominatu Bojemiæ principibus serviat, Bojemici nempe principatus vetustatem. Publice enim constare, quod consederit gens Bojema his in terris, constitutamque suis moribus ac legibus rempub. in plena libertatis possessione tenuerit, & libere ab se optatorum principum sceptris gubernata fuerit, longe prius, quam Germanici Imperii nomen esset inter homines auditum, quodque, nec leges, nec majestatis jura, nec vivendi morem, ab iis acceperit, nec Ripuariorum, vel Longobardorum placitis unquam subscripserit, cum tamen ea sit feudorum natura, ut omnia ista, à dominis superioribus reco-

5 *H. Mutius Chron. German. lib.* 21.

recognoscant, iisque accepta ferant. Carolum M. hominem gente Francum non Germanum[6] post aliquot secula demum, Imperii fasces in Occidentis regionibus arripuisse, & cum prolatandorum dominatus sui finium insatiabili cupidine arderet, fuisse quidem Bojemicæ libertati insidiatum, immissoque ex Bavaria cum armata manu in fines gentis Carolo filio, fortunam periclitatum; sed cum is, *(ann. 806.)* cruenta victoria potitus, domum rediisset, & de virtute Bojemorum bellica, deque inaccessæ regionis itinerum difficultate, ad patrem retulisset, cumque Bojemi etiam ipsi, [7] muneribus oblatis amicitiam cum illo se sincere culturos, majestatemque ejus imperii, comiter veneraturos recepissent, ab ulteriore noxa abstinuisse.

XIV. Negare similiter neminem posse, feuda, & eorum jura, quam Bojemorum rempub. legesve, multo esse recentiora. Bojemam nempe remp. pariter vel cum Gothorum, vel cum Longobardorum in Italia regno cœpisse ac crevisse, & Germanico imperio, sicut dictum jam est, aliquot seculis esse priorem: feuda vero & eorum

[6] *Bodin. de Repub. lib. 1. cap. 9.* [7] *Ant. Sabellicus Enn. 8. lib. 9. Hist. Aug. Compilator S. G. tom. V. in Carolo M.*

& eorum consuetudines, in Germania demum post Ottonum tempora & post Henricos, sub Imp. Lothario Saxone, usu invaluisse, nec quenquam adhuc auditum esse, qui (ut de cæteris in Germania feudis factum est) tempus certum, quo Bojemis usitata, fasces suos principibus quibus vellent committendi libera potestas, ab aliquo fuerit adempta, & quo Bojemia Cæsarum Germanicorum beneficio primum conferri, aut à quo principe primum via illa possideri cœperit, edere potuerit. Verum profecto esse quod Friderici III. Imp. internuntio Gurcensi Præsuli, apud Lincium aliquando mascule respondit missus à Georgio Rege Iohannes Sternbergius: Liberum videlicet Bojemos regem habere. [8] Cunctos præterea tam recentiores, quam priscos illos Bojemorum principes, sola DEI gratia, & populi sui voluntate, in regno suo se rerum potiri ac regnare, hactenus constanter esse professos. In comitiis vero Imperii publicis inter Status, nec locum illos, nec vocem habuisse hactenus, [9] nec ut haberent, unquam ambiisse. Merito igitur videri absurdum,

K si quis,

8 *Gerard Roo. Hist. Austr. lib.* 8.
9 *Nicol. Bellus rer. politic. tom. I. discurs.* 11.

si quis, quod vetustius est, ei quod noviter inolevit, ortum ac splendorem suum acceptum ferre debere, vel, quod tot principes viri, divinitus & à populo suo se habere agnoverunt, falso, & dicis caussa, ab ipsis jactatum fuisse commentetur.

XV. Nec sane si vel maxime quis ponat, dominium supremum in Bojemiam habuisse vel habere Germanorum Impp. obedientiamque eis fuisse à Bojemis denegatam, viam facti & armorum eos debuisse contra recusantes juris ordini legitimo anteponere.[1] Recepti enim esse juris, recuperantem sua per vim, omisso juris ordine, jus omne, quod habuerit perdere,[2] nec utendum esse imperio, ubi legibus agi potest.[3] Societate quidem, fœderibus, ac amicitia propiore, &, dubio procul, quam ullum aliud regnum arctiore, cum Germania Bojemiam jam olim coisse, sed societatem tamen ac amicitiam istam nihil, vel Germanici, vel Bojemici populi majestati, legibus, juribus, moribus, libertati, derogare. Hos intra fines stetisse semper utraque in gente concordiam, quos, quoties pars alterutra (velut, cum amicorum alius alio est potentior, non raro leonina esse solet

---

[1] *l. exstat ff. quod met. caus.* [2] *l. si quis in tantam C. unde vi.* [3] *Tacitus.*

ſolet ſocietas) tranſgredi eſt viſa, hoſtilitati ac bello viam fuiſſe patefactam. Exempla eſſe in promptu. Cum Henricus III. *(ann.* 1040.*)* mununbias Polonicas à Brzetiſlao repeteret, Lotharius *(an.* 1126.*)* æmulum dignitatis Sobiſlao opponeret, Albertus I. *(ann.* 1304.*)* minerarum decimas à Wenceſlao II. exigeret, ideoque primus jus armorum, ſecundus jus diſtribuendorum munerum, tertius denique jus argentinæ, Bojemis imminuere vellet, bella ſtatim exarſiſſe, in quibus pacis ac concordiæ turbatores Cæſares, cladibus memorabilibus in Bojemia acceptis, ab iniquis attentatis deſiſtere, & ſarciendæ amicitiæ priori ſincerius operam dare, ſunt aſſuefacti. Quæ amicitia ſocietaſque æquabilis, ut inter Germaniam Bojemiamque porro conſtet, ſanctè colatur, &, clauſis omnino belli portis, æternum duret, Bojemos etiamnum ex animo cupere, idque ut à Germanis abſque ſanguine, citra libertatis ſuæ intertrimentum impetrent, non modo amice, ſed & comiter expetere.

XVI. Vindicandæ denique à Germanica ſervitute Bojemorum principum dignitatis documentum etiam ſuggerere, ipſorum αὐτονομίαν, & uſitata apud reges populoſque liberos majeſtatis jura, Eccleſiaſtica pariter & civilia. De omnibus

bus iis principes ac populum Bojemiæ habuisse semper, & adhuc habuere plenam disponendi, ordinandi, constituendi, & administrandi potestatem. Vix aliquid esse, quod vel cultu DEI constituendo, vel justitia & externa disciplina, pace & tranquillitate publica conservanda, vel juste promovendis regnicolarum commodis, & avertendis incommodis, possint in regnis suis, Daniæ, Vngariæ, Poloniæ reges, quod non similiter Bojemiæ principibus in Bojemia facere sit integrum; nec quicquam esse, in quo se ad Germanici imperii ordinationes alligatos, agnoscant, vel componere habeant necesse. Habere eos in regno suo plenitudinem potestatis, & posse omnia quæ Imperator potest in Imperio: patriis, non peregrinis ullis moribus definitam ipsos habere curam integram legum & judiciorum, distribuendarum pœnarum & præmiorum, securitatis publicæ, belli gerendi, populi extranei sibi consociandi, quin & jus commerciorum ordinandorum, ponderum mensurarumque, monetæ, & idiomatis linguæ: distribuendorum munerum privilegiorumq;, mutuæ defensionis ac auxilii, bonorum regni custodiendorum, comitiorum indicendorum, & si quæ sunt alia, quæ Politici inter majestatis jura referre velint. Non

capi

capi Bojemos lautitiis illis adversariorum ac prædicatione nihili, quòd alicubi Bojemiam Imperii feudum primarium, membrumque nobilius esse spargunt, eoque honorem se genti permagnum habere simulant. Malle videlicet Bojemos, censeri inter juris sui populos quocunque numero, quàm inter ἐθελοδούλους, servitio quãtumvis splendido obnoxios, loco primo. Nihili esse effugium, quod plerique obloquuntur, prærogativas Bojem. istas habere originem ab Impp. Germanicorum gratiâ & liberalitate, ut qui bene de se Germaniaque meritos Bojemos, in permultis ab oneribus Imperii publicis postea exemerint, & privilegiis præ Ordd. cæteris luculentioribus auxerint. Nihili, inquam, esse effugium hoc propterea, quòd inde à primo in regionem suam adventu, liberi, suique omnino juris fuerint Bojemi. Quicquid ævo posteriore, sive belli, sive pacis artibus, contra est gestum, fortunæ & temporis iniquitati esse accensendum. Si qua principibus ipsorum ab Impp. Germanis interea dabantur privilegia, (moniti superiorum temporum attentatis Germanorum hostilibus,) accipiebant illi ea ut à sociis ac amicis potentioribus, non ut à dominis; ut cautiones de accepta à majoribus libertate suâ juribusque, vel in
 poste-

posterum conservandis, vel quæ facti vià ipsis erant extorta recuperandis, non ut nova beneficia. Olim quæsiti juris vel confirmatoria, vel restitutoria esse scripta id genus ferè omnia, non largitoria.

XVII. Nihil ad rem facere si quis obtundat, istam tam in alto collocatam à patronis suis Bojemæ gentis majestatem loco moveri prorsus, ac in ordinem cogi, simul ac oculos quis convertit ad onus tributi, quod inde à Caroli M. vel ad minimum ab Ottonis Magni ævo, Impp. Germanicis in singulos annos pendere cogebantur principes Bojemi, vel ad servitium, quod inaugurationis caussa Romam petentibus Romanis Regibus Friderici III. decreto præstare jubentur; cumque cogitat, jura quibus antecellere dicuntur, esse plerisque in Germania principibus cum iis communia. Nam ut de tributo respondeatur, ex ejus, (præterquam quòd id primum, alii [4] à Pipino, alii [5] à Carolo Caroli M. fil. alii [6] à Carolo Crasso, alii denique [7] ab

[4] *Cosmas hist. lib. 2. Trithem. in Compend. de Orig. in Dagoberto LI. Rege Franc.* [5] *Eginhard. in vitâ Car. M. Mutius de reb. Germ. lib. 9.* [6] *Hagec. ad an.* 1040. [7] *Helmold. Chron. Slav. lib.* 1. *cap.* 8. *Albert. Crantz. Saxon. lib.* 3. *cap.* 7.

ab Henr. I. impositum regioni scribunt: alii porro, supra boves centum viginti, argenti quindecim,[8] alii centum & quinquaginta, [9] alii verò quingentas,[10] marcas annuas numerant, ideoque hariolatione variationeque tam informi, fidem gestæ rei omnem reddunt suspectam,) ex tributi, inquam, pensione non necessario ad clientelam vel servitutem aliquam consectarium strui. Non solos enim clientes, vel ὑποχειρίους ac dedititios, id genus onera subire, verum quandoque etiam vicinos juris alioquin sui populos: hoc tamen interesse, quod id illi luant ex debito, hi ex pacto. Alioquin, si omnes qui tributa pendunt, vasalli propterea fiant, judicandum omnino esse, ipsos quoque Germanos veteres, non solum Francorum, ut Helmoldus [11] refert, sed & Danorum, olim vasallos fuisse, quos septies, sub jugum missos, majoribus suis Daniæ regibus sub tributo serviisse, scribit Ericus Rex.[12] Non putasse sibi indecorum pacem tributis redimere, ipsos etiam Romanorum Impp.[13] Gallum à Scythis;

 Sigismun-

[8] *Munster. l. 1. Geogr. c. 402.* [9] *Silvius hist. Boj. cap. 19. Borec. in Brzetisl. I. pag. 80.* [10] *Cosmas & Hagec. dd. ll.* [11] *Chron. Slav. lib. 1. cap. 3.* [12] *Histor. gent. Dan. Erici Regis.* [13] *Zosimus histor. lib. 1.*

Sigismundum, Ferdin. I. Rudolphum II. & alios, à Turcis: sic hodieque eam ab iisdem Turcis redimere Polonos & Venetos, nullo *αὐτονομίας* suæ præjudicio. Idem de centum quinquaginta, sive armigeris sive argenti marcis, quibus Romam ad inaugurationem profecturi Germani reges, à Bojemis principibus honorari aliquando consueverunt, esse sentiendum. Et sanè cum honorem hunc Romam ad coronam suscipiendam ituro Heinrico IV. Cæsari (à quo dignitatem regiam, Bojemis suis inconsultis, pecunia tum fortè per Wipertum sororium licitabatur) Vuratislaus princeps, comiter motu ipse suo, & sponte, nec ex debito, omnium primus promiserit habueritque, mirum esse, quam ob rem personalis ista & spontanea præstatio honoraria, contra agentis intentionem, in legem ac debitum aliquanto post est pertracta? Vtut nihilominus est, veri haudquaquam esse simile, ut cuiquam possit esse ignotum, ejusmodi onera à doctis, qui *κυρίως* & quod res est loquuntur, *pensiones* vocari, non *tributa.*[1] Iura vero majestatis, quæ apud Bojemos sunt in usu, multo quam principum in Germania esse ampliora, augustiora, ac liberiora.

Quam-

[1] *Bodin. de Repub. lib. 5. cap. 6.*

Quamvis enim negari nec possit nec debeat, Germanos proceres, multo quam Hispanos meliore esse conditione, in multa libertate vivere, & quasi diviso cum regibus suis imperio, de ipsorum majestate pleraque quasi participare: jura tamen ista, splendori ac magnitudini regum Bojemiæ æquipararari neutiquam posse, ut, quæ aliunde, non ex sese veniant, & de quibus authoritate & arbitrio princeps quisque suo, (quemadmodum in Bojemia fit,) in sua provincia ac territorio, nihil quod non, vel publice approbatis Imperii Recessibus congruat, vel communi Ordd. judicio prius constituatur, rogare, sancire, præscribere, possit. Non debere igitur, quantumvis insignes Germanorum principum prærogativas, regum Bojemorum absoluto majestatis juri æquipararari. Atque hæc sunt, quæ in hac de Statu Bojemiæ inter Germanos Bojemosque nonnullos controversa quæstione, in medium solere adduci observavimus; de quibus, quia altioris sunt indaginis, decernere, cum muneris nostri esse non arbitremur, Lectori æquo, & ei, in cujus foro res tantas cognosci, vel ex partium compromisso, vel de jure, oporteat, judicium omne relinquimus integrum.

CAP. IV.

De Incolis Bojemiæ & eorum moribus.

I. IN enarrandis ut aliarum gentium, ita, cum veterum, tum qui nunc sunt, Bojemorum originibus, in nullo impingere vel hallucinari, res est si non ob perplexitatem, & historicorum diffidentia judicia impossibilis, at talis certe, quæ ingenii captum nostri superat. Eam nos intactam sane relinquere voluissemus, si non balbutire, quod aliis impune licuit, nobis quoque licere putassemus. Agemus igitur, partim aliorum vestigia, partim judicium nostrum sequuti, primum de veteribus, tandem vero de his ipsis, qui ad hoc adhuc tempus eam incolunt, Bojemiæ terræ populis. Nullos autem, qui commemorentur à scriptoribus notæ probatioris, possumus observare vetustiores hujus terræ incolas, quam qui primi nomen ei leguntur indidisse. Hos perhibent cognomento Bojos dictos, genteque & lingua Gallos fuisse[a] ac in Gallia Cis-Alpina sive Celtica, inter Padum & Trebiam sedes quondam habuisse, cum tamen Romanorum armis essent à Iulio Cæsare victi, ex iis excessisse,

[a] *Strabo Geogr. lib. 5.*

fiſſe, & incinctos Hercyniæ ſilvæ campos incolere cœpiſſe. Superveniſſe tandem, excitos à Marobudo duce Quados ſeu Squados & Marcomanos vel Moravos gentem Suevicam, qui Bojos incurſionibus perpetuis infeſtabant, nec uſum ſeu culturam terræ quietam ipſis relinquere volebant. Marobudus ſiquidem, ut ait Strabo, [3] εἰς ἐκεῖνον τόπον, h. e. Bojohemum, ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ καὶ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάννους. Bojos itaque Marcomanorum iſtorum violentiæ ceſſiſſe, & Bojemia relicta, ad Danubium in vicino Norico conſediſſe, pro Bojiſque Bojoaros, & corrupta poſtmodum ab Hunnis vel Avaribus voce, Bavaros vocari voluiſſe.

II. Marobudum vero, occupatis habitis pro derelicto (quos prædiximus) locis, finitimos omnes aut bello domuiſſe, *aut conditionibus juris ſui feciſſe; corpus ſuum cuſtodia, tum imperium perpetuis exercitiis pene ad Romanæ diſciplinæ formam redactum, brevi in eminens & Romano quoque imperio timendum perduxiſſe faſtigium.* [4] Hoc rege, & poſt ejus mortem procreatis ex ejus ſtirpe

[3] *Geograph. lib. 7.* [4] *Vellej. Patert. libr. hiſt. 2.*

ſtirpe ſucceſſoribus regnum ab eo conſtitutum tenentibus, Moravos fere uſque ad Nervæ Trajanive ætatem in Romanorum gratia ac amicitia perſtitiſſe, vimque & potentiam ex authoritate Romana participaſſe, armis interdum, ſæpius pecunia adjutos. Exſtincta demum Marobudi ſtirpe, externos homines ad Regnum fuiſſe admiſſos, à quibus offenſi Romani Impp. arma corripuerint, cæſosque & diſſipatos multis ac ingentibus cladibus Marcomanos, & ad paucitatem redegerint, & ſuos ſe intra fines continere coëgerint. Paucitate igitur ſua, & Romani dominatus metu terrefactos Marcomanos, Vindorum, Vandalos ab aliis appellatos populos, ex Samatia, à Mæotide lacu ad quærendum novas ſedes effuſos, & propter Viſtulam incerto tum late oberrantes, in terras ſuas invitaſſe, ac in ſocietatem fortunæque communionem admiſiſſe. Ex hac diſcretorum gente & lingua populorum commixtione, factum eſſe ut ſermo cultuſque Suevicus, (idiotiſmum enim ſuum Suevos habuiſſe ex Tacito [5] cognoſcimus, ſed Germanico is, an Gallico veteri, propior fuerit ignoramus,) ſenſim apud Marcomanos obſoleverit, illatuſque cum

[5] *de morib. German.*

cum colonis novis Slavicus inoleverit. Cum vero gens Vandala, ut ex Iornande [6] & Procopio discimus, vexatis prius bello persæpe, ut quique proximi erant, Germanis, de Constantini Imp. assensu, meliorum sedium appetentia, ex Vistulæ ac Baltici maris ora profectionem in Pannoniam decrevisset, conjunxisse cum ipsis studia permultam ex Marcomanicarum terrarum, inprimis vero earum, quæ ad utramque Albis Oderæque ripam sunt, incolis, voluntariam cognati generis juventutem, ac vacuis, plerisque in locis, derelictis suis sedibus, Vandalorum ducum auspicia, cum uxoribus & liberis esse sequutam. Exhaustam igitur hac ratione hominibus quoque, ac cultoribus magna sui parte destitutam Bojemiam, silvis horrere cœpisse, ac feris magis quam viris domicilium præbuisse.

III. Et hi priscis temporibus fuerunt Bojemiæ incolæ, à quibus habitatam olim eam fuisse accepimus: de posterioris temporis colonis, deque iis, qui hactenus eam incolere non desierunt, verba pauca, quam multa, facere, instituto nostro convenientius, & iis qui accuratam Martini Cromeri historici Poloni [7] ea de re dispu-

6 *De rebus Geticis.* 7 *lib.* 1. *cap.* 14. 15. 16.

disputationem, vel non ita pridem (*ann.* 1614.1615.) emissas ex Academia Pragensi à Iohanne Matthia Sudetino I. C. meditationes legunt, gratius fore judicamus. In eo sane omnes conveniunt, homines, qui post Valentiniani Imp. & Attilæ Hunni tempora, vacuam & desertam à Vindo-Suevis istam regionem, ex Iure gentium primi occuparunt, ut ii quoque sunt, qui hactenus eam inhabitant, gente ac lingua Slavos non Sclavos fuisse, ejus nimirum gentis homines, quos permulti etiam Slavonos & Slovanos, seu Slovacos, vel Henetos; malevoli verò Sclavos per contemptum vocant. Vnde autem vel ex quo orbis angulo prodierint, non inter omnes perinde convenit. Complures ex Croatia, nonnulli ex Russia quæ supra Carpathi juga est, huc commigrasse ajunt. [8] Venerunt autem, Czecho & fratre Letho ducibus in Moraviam primum, incertum quam magna, sed numerosa tamen, cum nobilitatis tum plebis ignobilis, multitudine: cumque eam linguæ suæ populo

[8] *M. Petr. Codicillus ann.* 278. *MS. Anonym.* 450. *Bernard. Vapovius ann.* 550. *Martin. Cuthenus ann.* 639. *Dubrav. histor. Bojem. lib.* 1. *Hagecus in proœmio ann.* 644.

populo plenam offendissent, ac de Bojemiam incolentium Vindorum populariuum suorum raritate edocti essent, rectà eo contenderunt, diisque penatibus suis ad locum, ubi Vultava in Albim ingreditur, depositis, circa montem, qui hactenus *Rzjp*, hoc est collis, itemque *Zrzjt*, hoc est specula, appellatur, sedem lari figendo delegerunt. Exterriti quidem advenarum novorum metu, priores perpauci illi sparsim per tuguria latitantes incolæ, primum se in familiares specus abdiderunt, sed cum ex sermonis cultusque cognatione, generis sui homines esse cognovissent, mutuo hospites salutarunt, hospitalibusque donis, lacte, caseo, carne, honorarunt, quin &, post cognitam adventus caussam, in perlustranda, quaqua versum regione, duces se eis obtulerunt. Ex eo factum, ut brevi omnis veteris & novi populi multitudo, contracta ex quotidiana conversatione amicitia ac familiaritate, in unam eandemque gentem coaluerit, & more Slavinis, libertatis contentissimè studiosis gentibus cæteris usitato, Czechi se ducis paternæ, magis quam herili gubernationi submiserit, quinetiam, ex ejus nomine, cognomentum Czechorum assumserit.

IV. Durat adhuc eadem, ut gens, ita & cognominatio. Qui etsi à Germanis lingua

lingua vernacula *Bohemen*, Latina Boëmi, vel Bohemi, Bojemive, vocentur, ipsi tamen Czechowe dici malunt, & à Slavice loquentibus omnibus, imo & ab Vngaris Græcisque recentioribus, sic quoque appellantur [9]. Bojemos vero, vel Bohemos quoties ipsi se vocant, respiciunt, non ad Bojos incolas illos regionis suæ priscos, sed. (quemadmodum Silvius [10] id jam olim observavit) ad nativas Slavicæ linguæ voces *Boj*, quod pugnam, vel *Buoh*, quod Deum, & *Muz* quod virum significat; viros nempe esse se pugnaces & divinos innuere volentes. Sermo illorum à Russorum, Polonorum, Croatarum, Vinidorum, cæterarumque Slavici nominis gentium sermone, dialecto saltem differt: qui quia elegans, copiosus, suavis, grandis est, & ad quarumvis materiarum expositionem satis commodus, [11] majores nostri in eo ornando, perpoliendo, augendo, & ad posteritatem propagando, præcipue ac feliciter elaborarunt, imo ne neglectui haberetur, legibus caverunt. [12] Verum quam

[9] *Bonfin. de rep. Vng. passim. Laon. Chalcondylas hist. rerum Turc. l.* 2. [10] *Hist. Bojem. cap.* 3. [11] *M. Daniel præfat. in Silvam quadriling.* [12] *Ius prov. B.* 32. *Municipale; B.* 8. *Comitia an.* 1615. *M. Ioh. Huss. Exeges. in Decalog. c.* 40.

quam ii in eo excolendo, ac in nativa puritate conservando accurati fuerunt; tam ætas hæc degener, in fœdando, inquinando, attenuando, & oblivione æterna damnando est impudens: Etenim quam nec in vitio ponunt plerique omnes, nec indecorum esse putant, materna in lingua passim ridicule σολοικίζειν, tam decorum ac festivum esse somniant, ad populum Bojemicum effusissime βαρβαρίζειν. Rusticum opinione illorum est os pariter & calamus omnis, qui non peregrini idiotismi subinde coacervatis centonibus ad fastidium exuberet. Coërcendis ξενογλώττοις & φιλοσολοίκοις istis, non uno me hercle Valla haberemus nunc Bojemi opus & Linacro. Vicissim in hac de excolendo patrio sermone diligentia, plus quam multa fuit inter Bojemos veteres literarum negligentia, & qui aliquantulum in iis ponebant operæ, alios quàm Ruthenos characteres ignorabant. Romanorum, & qui nunc frequentantur characterum, ut & latinæ linguæ usus, cœpit demum Boleslai Lenis ævo inferri, qui, postea quam amicitia societasque, inter Germanorum Impp. nostrosque principes coli consuevit, [1] caussa fuit ut

L Ruthenicæ

[1] *M. Petr. Codicillus.*

Ruthenicæ literæ planè hîc exolescerent. Sed hæc παρέργως: præstat mores nostros enarrare.

V. Et vitiis gens nostra urgetur, & virtutibus excellit. Vix enim quisquam credat, aliquam hominum multitudinem reperiri, in qua omnes, vel prorsus sint mali vel prorsus boni; quique omnes pariter mereantur vel commendari vel vituperari. Notarunt in Bojemis vitia historici varii varia. Imp. Frider. I. feritatem, [2] Frisingensis, [3] Helmoldus, [4] Silvius, [5] Bartolinus [6] rapacitatem in bellis, & truculentiam, Thurocius [7] furorem, Bonfinius [8] inediæ, sitis, sudoris, ac squaloris castrensis impatientiam, Chronici, quod Aulæ regiæ vocatur, Anonymus author, [9] novitatis appetentiam, ac in vestitus capillitiique cultu, versatile ingenium, bibacitatem vero plerique omnes. Cromerus [10] gentem gloriosam, Hassensteinius Baro [11] semper

[2] *Goldast. Tom. Const. III. p. 362.* [3] *Otto Fris. de gest. Frid. I. l. 1. c. 16.* [4] *Helmol. Chr. Slav. l. 1. c. 1.* [5] *Æn. Silv. Hist. Boj. c. 1.* [6] *Ricard. Bartol. Aust. l. 8.* [7] *Ioh. Thuroc. Chron. Vng. part. 2. c. 63.* [8] *Anton. Bonfin. Decad. 3. l. 2 &* Decad. *4. lib. 2.* [9] *Chron. Aul. reg. part. 2. c. 13.* [10] *Mart. Crom. Polon. Hist. l. 9.* [11] *Bohusl. Hassenst. epist. ad Vladisl. Regem,*

ſemper belli, quam pacis avidiorem, vocat. Quæ vitia, ſi quidem jam tum melioribus adhuc ſeculis illis, tam adulta fuerunt, quid de his quæ, ſequiori hoc & pluſquam diſſoluto ævo, haud parva incrementa acceperunt, ſcripturos, ſi reviviſcerent, exiſtimamus cenſores illos non omnino iniquos? Nihil tamen interea vetat, quo minus ſentiamus, magiſtras vitiorum iſtorum nobis fuiſſe gentes illas ipſas, ex quibus viri, à quibus ſic ſumus notati, originem habuerunt. Homines Germani, inquietos, ſeditioſoſque natura, & (quod convitium impudens eſt) Regum proditores ac interfectores eſſe blaterant. Bebelius [12] convitiator malevolus, Apoſtatas nos vocat, gentemque rebellem, nec veretur concitandis in excidium noſtrum principibus Germanis, claſſicum canere. Virtutes vero commendatæ, in Bojemis ſunt, ab Helmoldo [13] hoſpitalitas, ac in bellicis congreſſibus fortitudo, à Dubravio [14] magnanimitas & virium fiducia, à Silvio [15] pactorum conventorum te-

[12] *Henr. Bebel. Hecatoſticho de vict. Max. cont. Bohem.* [13] *Helmol. Chron. Slav. lib. 1. cap. 1. 83.* [14] *Hiſtor. Bojem. lib. 1.* [15] *Hiſtor. Bojem. cap. 1.*

nax observantia. Bonfinio [16] sunt genus hominum Martiale & natum ultro ad bellum. Bilejovio [17] placidum comeque natura, & offensioni ansam præbere nescium. Dissimulari sane neutiquam potest, vel plura in nobis, vel certe tam multa, quæ reprehendat, reperturum, veterem Satyricum nostratem Nithardum, quam multa, quæ laudaret, reperit Bojemiæ & procerum nostrorum encomiastes Hieronymus Balbus, I. C. poëtaque Italus, si reditum in vitam utrique fatum vellet concedere. Sicut enim falsus poëta is non est, qui

„—— *Servant*, inquit, *sua pacta Bohemi*, Et,

„—— *Truces gens haud spernenda Bohemi*: ita nec

ineptus ille fuit, vel pictor, qui depictis in vestitus habitu patrio cujusque gentis viri & fæminæ imaginibus, Bojemum solum fertur nudum, panni fascem ad pedes habentem, finxisse & dixisse, relinqui ab se ipsi liberum, ut, cum cultu identidem alio atque alio gaudeat, [18] pro arbitrio se, ac prout velit, ipse convestiat; vel Censor, qui proverbium in nos evibravit, „ *Eosdem*

---

[16] *Decad.* 2. *l.* 6. *Item. Decad.* 4. *libb.* 2. & 5. [17] *Bohusl. Bilej. chronic. lib.* 2.
[18] *Hagecus ad ann.* 1267.

,, *Eosdem habet cum simia*
,, *Mores ferox Bojemia,*
,, *Quæ facta viderit facit,*
,, *Cultusque priscos abjicit.*

VI. Ipsi mihi si sit, quod sentio, dicendum, dixerim Bojemum præter vitia jam enumerata virtutesque, esse, ut plurimum, rerum peregrinarum consectatorem & admiratorem, patriarum vero & domi nascentium fastidiosum æstimatorem ac contemptorem, fortunę cum adversæ tum secundæ, habere socios quam plurimos gestientem, disciplinæ severioris, & inprimis servitutis impatientem, injuriæ sensum ægre ex animo amoventem, privatim æque ac publice splendidum, dum hilarus est tractabilem, dum mœret stomachosum, dum esurit, non cantillantem, (quod Germanus,) non saltantem (quod Gallus habet in more) sed indignantem, non tam ingenio judicioque quam industria destitutum, in inimicitiis tum suscipiendis tum deponendis tardiusculum, [19] bello primum quasi indocilem, postmodum perquam habilem & impavidum, inter gentes ἑτερογλώττους Gallis, Britannis, Italis, Vngaris, quam cæteris, sociabiliorem: Polonos vero fratrum loco

 haben-

[19] *Hagec. in ann.* 1407.

habentem, ut ὁμογλώττους. Quæ ſane ſi dixero, de Bojemiæ tum incolis, tum moribus, verba me ſatis multa feciſſe non dubitavero.

CAP. V.

De Regimine Politico in Bojemia.

I. RErumpub. adminiſtrandarum genera, & diligenter à politicis ſunt explicata, & vulgo jam dudum nota. Bojemi tempore omni, quo uſu ſemel captam, poſſeſſamq; hactenus regionem incoluerunt, unius fere, temperato tamen, & quodammodo cum Optimatibus terræ diviſo imperio, voluerunt gubernari, niſi quod poſt morte abruptum principum regimen, ter forte vel quater, incertus aliquandiu, & quaſi arbitrarius, aut timocraticus fuit inter ipſos reipub. ſtatus. Vnius autem illius, qui rempub. Bojemam geſſit dignitas, cum tempore variavit. Non enim à principio tanta, quanta nunc eſt, fuit. Quibuſdam quaſi gradibus ad hoc culmen aſcendit.

II. Populus, qui primus, ut diximus, cum Czecho, Bojemiam colere cœpit, & gentem noſtram condidit, erant homines probitatis admirandæ, fideles inter ſe ac concordes continenteſque: nemo

quiſ

qui alteri noceret, vel injuriam faceret, [1] nemo qui, *hoc meum est*, dicere sciret, fuit; ὁμόσιπυοι, & ὁμόκαπνοι, quoad fieri potuit, erant, in commune satagebant, quicquid habebant, nostrum vocabant. Æquo igitur jure, ac sine superciliosa dominatus ambitione, vitam agebant. Vel nihil, vel modicum erat de quo certarent, aut in factiones discederent. Alebat præterea mutuam inter illos concordiam, quod externis nationibus, quæ aut lingua, aut moribus essent discordes, nullis adhuc immixti, sed gente & sermone, & institutis pares, Bojemiam inhabitabant, in eaque societate & inter se conjunctione, quam inter similes natura conciliare solet, magno cum consensu acquiescebant. [2] Vnde factum est ut Czechi monitoris ac rerum moderatoris, velut quadam patria authoritate contenti, magistratu alio, qui potestate vel jurisdictione aliqua eminentiore multitudini præesset, neutiquam haberent opus. Quamdiu igitur Czechus in vivis fuit, œconomicus, ut ita loquar: fuit in repub. Bojema, magis quam regius principatus.

III. Czecho mortuo, perstitit aliquandiu

[1] *Cosmas Chr. l. 1. Chr. Boleslav. c. 2.*
[2] *Ioh. Dubravius Hist. Boj. lib. 1.*

diu populus Bojemus in beata illa ac turbarum nescia simplicitate, concordia, & æquabili societate; Rex ipse sibi quisque fuit. Posteaquam vero cœperunt homines peregrini commerciorum caussa ex Moravia, Norico, & Pannonia in Bojemiam commeare, & alii agrestem populi vitam fastidire, alii communem agrorum & nonnullarum aliarum rerum usum irridere, alii furto rapinave tranquillitatem publicam turbare, tum misceri cuncta insolitis concionibus, turbulentis cœtibus, & rixosis contentionibus. Cumque nemo esset, quem reverentur mali, implorarent vindicem boni, quique authoritate sua vulneribus reipub. posset mederi, defatigata victaque tandem malis tam pertinacibus multitudo omnis, cladi internecinæ antevertere constituit, & ad reparandum, via à Czecho jam pridem commonstrata, reipub. statum, animum rursus convertit. Mature itaque capto consilio, placuit unum aliquem virtute præstantem, bonum, justum, ac multitudini maxime gratum, ex sua gente virum, Czecho surrogare, auctaque pro temporum ratione aliquantum ipsius dignitate & potestate, rerum ipsi summam committere. Publico igitur conventu & concordibus populi suffragiis, in oculis Supani & Turesci

Turesci fratrum, qui sanguine Czechum attingebant, deferebatur regimen ad Crocum, tum quidem adhuc juvenem, sed opulentum & qui Czecho seni quondam, ob egregias animi dotes carus, & multitudini ob divinationis auguriorumque scientiam singularem, inprimis acceptus habebatur. Accepit autem à populo reipub. administrandæ potestatem Crocus, non ut princeps, qui ex arbitrio suo imperaret, sed ut Prætor, qui ex æquo & bono jus diceret [3]. Nondum enim ullæ exstabant scriptæ leges, sed id vim legis habebat, quod consuetudine moribusque populi esset approbatum. Et quia novi subinde gravesque emergebant casus, quibus decidendis nec consuetudo quicquam tum adhuc suggerebat, nec unius judicium suffecturum videbatur, addere quoque Croco placuit ex optimatibus quasi Senatores aliquot, rerum usu & experientia præstantes, qui lites cognoscenti ipsi pro tribunali assiderent, & quoties res difficilior occurrisset, capita cum eo conferrent. Atque hic secundus jam fuit crescentis in Bojemia majestatis gradus.

IV. Administravit ergo Prætoria ista ac *νόμων δημιουργικῇ* authoritate remp. populi sui Crocus ille, ejusque, cogno-

 minis

3 *Silvius. Dubravius.*

minis patri filius, & neptis Libussa, alius post alium, tantisper dum accepta à patribus morum simplicitas, frugalitas, satagendique in commune diligentia, in usu ac observantia fuit: cum vero commodum privatum publico anteponere, & habendi amore prius ignoto ardere didicissent in populo plerique, tum lites ex litibus seri, ac deferri antehac solitus honos & obsequium magistratui denegari, adeoque moderatum hoc ac lene regimen à potentioribus despicatui haberi, ab infirmioribus vero injuriis, quas patiebantur, remedium non invenientibus, princeps qui νεῦρα ἐπὶ ἀδικοῦντας haberet, & potentia esset instructior, optari cœpit. Rebus novandis non ultimam quoque caussam objiciebat imperium muliebre, quod permulti, ut viris indignum, pudendum, gentiumque cæterarum moribus improbatum, perosi, ferri diutius nec debere, nec absque dedecore posse, vociferabantur. [4] Corrigendum itaque errorem, & Libussæ viragini, quam non bene consulti rebus præfecissent, potestatem abrogandam, virumque ei, qui publico omnium consensu principatu dignus videretur, translata in ipsum uxoria dignitate, matrimonio jungendum.

[4] *Hagecius ad ann.* 715. 720.

gendum. Hoc Libussa comperto, metuens ne viro forte, quem nollet, nubere cogeretur, conventum indicit, & concione advocata, pro se, suisque gestæ reipub. rationibus, oratione jam ad gravitatem composita, jam apologis temperata, verba diligenter facit, si forte multitudinem adhuc tum fluctuantem ab incœpto avertere, & dignitatem præsentem suam, statumque, cum bona universorum gratia prorogare posset. Verum cum surdis fabulam narrari animadverteret, orare institit, ut ultro vellent rem eam suæ fidei curæque committere, & virum, qui Bojemiæ cum imperio præesset, quemque ipsa maritum habere dedignari non posset, Diis potius, (vates enim fuit, sortilega, & fatidica) quam hominibus authoribus creare. Cum autem consilium assensu comprobassent, eique populo principis, sibi vero mariti legendi, potestatem fecissent, postridie omnes ad audiendum oraculum, quod Dii per nocturna sacrificia facti propitii, de principe futuro ediderint, reverti jubet. Reversis postridie ad horam omnibus, & Deorum responsum à Libussa efflagitantibus, progressa illa cum puellis in medium: *Quod bonum faustumque, & felix sit*, inquit, *viri Bojemi, maritum mihi Dii, vobis principem, dant virum indi-*

indigenam, Przemyslum nomine. Legatos igitur actutum deligite, qui illum adeant, principemque consalutatum in arcem Wysschradum deducant. Deliguntur ergo decem ex omni numero primores, Libussæque sistuntur, cogituri, quo loco quærendus esset Przemyslus. His illa: *Candidus hic,* inquit, *asturco meus, vobis viam præibit, & principem vestrum, ad ejus genua provolutus, indicabit; hunc vos sequimini.* His dictis, & data legatis, qua Przemyslum induerent, veste pretiosa, equum dimittit.

V. Faciunt jussa illi, & equi ad Aquilones cursum moventis vestigia premunt. Qua iter habuerint, vici ad Bilinam amnem à veteribus exstructi ostendunt. *Brozanky, Hlinany, Rzeblovice,* ab equi hujus effectis, videlicet, vadatione seu mersatione, in limo volutatione, & hinnitu, dicti. Appropinquans tandem Stadicio vico equus, de via deflectit, & ad virum, vervactum quoddam bubus duobus proscindentem, propius accedit, poplitesque ei ac cervicem, quasi venerabundus, submittit. Quo legati viso, accedunt & ipsi, viroque, post reverenter habitum honorem, unde, à quo, & quid veniant, exponunt. Is cognita adventus caussa ad præstigias quasdam (vates enim & ipse ac divinandi sciens fuit)

con-

confugit, iis demum fine postmodum facto, ad legatos conversus: *Cedamus* inquit, *pareamusque numini, ab aratro nos ad solium principale vocanti: Libussam, natam loco illustri puellam, fortunatis hymenæis nobis conjungemus, consentientibusque populi universi votis datos imperii Bojemici fasces viriliter capessemus.* Læti hoc responso legati, vestem, quam à Libussa acceperant, confestim promunt, indutumque ea principem equo imponunt, & ut in Wyssehradum arcem pergere cum ipsis velit, orant. Impetrant quod orant, Wyssehradoque tandem propinquantes Lybussam cum omni gynæceo, & effusos in occursum principis proceres populique turbam ingentem obviam cernunt. Exceptus igitur festis acclamationibus Przemyslus, in arcem introducitur, & Lybussa solenni ritu in uxorem ducta, non modo, ut decessores, judex, rector, protector, verum & princeps ac dominus, *(ann. 588.)* ab omnibus salutatur; atque ut ne qua in principum inaugurationibus solita adhiberi pompa, prætermissa videretur, dignitatis insignia (in his erant Czechi veteris sella, vestis talaris, mitra scipioque,) pro more accepit.

VI. Rerum hoc modo potitus apud Bojemos Przemyslus, magistratum, uxoris

ris æquo ac suo arbitrio gessit, Bojemos, gentem feroculam, frænos pati, ac dicto audientes esse coëgit, legibus ab se positis, (quarum pleræque nec hodie obsoleverunt) constrinxit, & ut verbo uno dicamus, quid more patrisfamilias, ævo priore usitata administrandæ reipub. procuratio, à recens invecto dominatu despotico distaret, sero intelligere docuit. Vnde videmus, tertium hunc fuisse altius connitentis inter Bojemos principum majestatis gradum. At vero utut consortis in imperio præter uxorem impatiens fuit, nec potestatem suam ullis cancellis circumscribi tulit Przemyslus, cum tamen mortem Lybussa obisset, & ipse jam quoque ætate vergeret, tum Wlasta duce excitati muliebres motus diuturni, tum aliis etiam de caussis fœcunda turbarum seges, fecit ei regimen ferendo difficile, ac valde onerosum. Advocatis igitur in consilium nobilioribus, quos jam tum quoque homines nostri *Zemany* & *Wladyky* vocabant, [5] delectos communibus omnium suffragiis, paucos aliquot locupletiores in societatem oneris adscivit, ita tamen, ut arduis saltem ac difficilioribus in rebus consilio ipsorum & opera uteretur, non ut

---

5 *Hagecus ad an.* 720. & 1072.

ut dignitatem cum ipsis suam communicaret. Vocavit autem illos *Lopoty*, à curarum anxietate, quos ætas posterior *Vrzedniky Zemske*, cognominare maluit. Latinis, proceres, primores, optimates, solent dici. Horum de numero erant Dolislaus, Ctiradus, Milaussius, Hynchuvogius, Vurssus, & alii, quorum nomina ignorantur.

VII. Gubernabatur porro, constanter in hoc splendoris fastigio consistente, Przemysli auspiciis introducto dominatu isto quasi despotico, resp. Bojemorum ab invicem succedentibus Przemysli & Libussæ nepotibus præter propter quadringentos & quinquaginta annos continuos, ad id videlicet usque tempus, quo manus quater mille argenti marcis perunctus, Germanorum Imp. Cæs. Henricus ejus nominis IV. Herbipoli, vel Moguntiæ, ut perhibent alii, principum Imperii conventum agens, (*ann.* 1082. vel (ut quidam volunt) 1072.) [6] Wratislao Duci, Brzetislai Pugnacis filio, dignitatem de Romani Pontificis [7] assensu auxit, & corona capiti

[6] *Cosmas hist. lib. 2. Monachus Pegaviensis in vita Wiperti. Michoviens. hist. lib. 3. cap. 4.* [7] *Thuan. hist. lib. 46.*

capiti imposita, regem ex Duce creavit. Quartus ergo hic fuit amplificatæ summo apud Bojemos magistratui majestatis gradus, in quo illa, (nisi quod post Wratislai Wenceslai IV. Albertiq; Regg. obitus, interrupta quodammodo fuit) sextum jam seculum numerans, hodieque consistit. Non disputamus jam, illata in Bojemiam dignitate illa regia, & eam consequuta Wratislai Regis multo quam unquam frequentiore, cum principibus Germanis conversatione, aulæque imperialis consectatione, melior sit an deterior facta provinciæ & incolarum conditio: Principi illa forsan honorificentior, quam reipub. utilior; vel, qua liber ac juris sui Simson in insidias Germanicas pelliceretur, Delila quædam dolosa fuisse videri potest. Suspicari certe nihil prohibet, arripuisse inde Germanos captatam diu occasionem arrogandæ Imperatoribus suis in Bojemiam supremæ potestatis, & spargendæ in vulgus opinionis, principes qui non regalia, quæ vocant, de manu Imp. accepissent, rebus in Bojemia legitime præesse non posse.

VIII. Quam latè vero vel olim patuerit, vel hodie pateat despotica illa regnantis apud Bojemos principis potestas, cum ex hinc inde collectis monumentis

quorum

quorum gestarum in nostra gente rerum descriptores meminerunt, tum inprimis ex legum regni fundamentalium sanctionibus cognoscitur. Constat enim ab ipso etiam Przemyslo, leges quibus Nezamyslus filius postea quam ad reip. clavum pervenisset, populum gubernare jubebatur, esse latas,[8] temporisque progressu, rebus videlicet id tandem exigentibus, à provinciæ optimatibus, de principum assensu paulatim cumulatas, ac consuetudine observantiaque diuturna usque adeo confirmatas, ut corpus reipub. universum iis velut basi fundamentoque solido innixum, hactenus in statu suo steterit inconcussum, nec ullus princeps novus, priusquam in eas, ad regni fines (siquidem peregre accersatur,) vernaculâ linguâ sua, in solenni verò inauguratione Bojemica, more majorum, jurasset, aditum ad gubernacula habere potuerit. Illæ etiamnum, sicut principibus, ad tuendam dignitatis majestatem, continendumque in officio populum serviunt, ita populo adversus principum tyrannidem iniquitatemque omnem, præsidio sunt. Permulta sane principibus in moderanda ex arbitrio repub. illæ largiuntur, sed nonnulla populo quoque,

M vel

8 *Hagec. ad an. 722. & 745.*

vel soli vindicant, vel cum principe communicant. Quæ quid vetent, quid sanciant, si plenius cognoscere quis velit, eum nos, ad repetitum ex vetustate & usu magistro constitutionum provincialium codicem, ablegamus.

IX. Vetantur illarum authoritate Reges (*A.* 2.17.19.) à regno quicquam abalienare pignorive dare, (*A.* 3.) libertati regni legibusve, ullo modo obrogare; (*A.* 9.) præter Barones, Equites, Civitates, plures in Regnum Ordines invehere; (*A.* 13.28.) vasallos de feudis Majoribus alibi quam in arce Pragensi, vel, ut minimum, intra Bojemiæ fines, investire; [9] (*A.* 30.) feuda item ipsa & clientelas, quæ ultra regni limites sunt sitæ, vendere, alienare, aut ab oneribus consuetis quoquomodo liberare, (*A.* 20.) nuntios, sive de inserendis, sive de expungendis rebus quæ reipub. sint, ad tabularii custodes ordinare; (*A.* 22. *L.* 23.) patrocinio, publicave fide sua judicii provincialis jurisdictioni, vel potestati hæreditarii domini, quenquam eximere; (*A.* 27.) alienigenas ad arcium præfecturas vel publicas functiones ullas admovere; (*A.* 29.) præter morem priscum, jura, & libertatem, militiam incolis

lis

[9] *Comit. an.* 1545.

lis imperare; (*A*.23.C.5.) in jus vocati judicium defugere, & si qua sunt similia. Contra vero habent Reges ex eadem provincialium constitutionum authoritate (*A*. 3.) soli, plenum jus ac potestatem statuendi, quod velint, de rebus quibusvis, quæ tum conservando, tum illustrando splendori majestatis regio, honesteque augendis reipub. commodis conferant, nec ab institutis moreque recepto, vel boni viri arbitrio dissideant. Ideoque (*A*. 4.) comitia illi conventusque Ordinum soli indicunt; (*A*. 12. 14. 15. 16. 19. I. 42. N. 1.) nundinarum mercatuumque, condendorum privatim testamentorum, & metallifodinarum jura, vectigalia, portoria; nobilitatis insignia; urbium arciumque tum ædificandarum muniendarumve, tum demoliendarum facultatem, redemptionem pignori creditoribus regiis datorum bonorum; clientelas item post defunctos absque hærede possessores ad fiscum devolutas; ut & bona quomodolibet ἀδέσποτα sive vacantia, multasque, quibus volunt conferunt & largiuntur; (*K*.37.) incolas, qui regiis & reip. hostibus militant à militia avocant, eosdemque nisi paruerint condemnant; (*Q*. 11.) cœnobiorum monasteriorumque bona pro libitu vel distrahunt vel oppignorant; (*S*.10.11.)

 per-

perduelles, hostesque reipub. professos, purgandi caussa Senatum postulantes, data ad tempus fide publica securos præstant; (*W*. 2.) eruti ex fodinis auri argentique canonem ac emolumenta sibi vendicant, & nonnulla id genus alia, voluntate imperioque absoluto moderantur.

X. In cæteris vero limitata, vel cum optimatibus quodammodo divisa est ipsorum potestas & administratio. Leges enim de quibus loquimur, non parvis in rebus eandem esse volunt amplissimi Senatus & Regum in Bojemia libertatem, jus, & potestatem, permittuntque nominatim actoris arbitrio, utrum coram dicasterio regni majore, an coram Rege ipso velit cum adversario experiri; (*A*. 6.) de capite & existimatione; (*K*. 22. *X*. 12.) de injuriis, (*O*. 43.) de falsi crimine, (*A*. 32.) de religionis approbatæ turbationibus, (*L*. 40. *S*. 5.) de vi privata, (*Q*. 6. 7.) de reluendis pignoribus regiis, (*R*. 21.) sumendæ de notorie maleficis ac sceleratis vindictæ arma, æque regni Senatui Magno ac Regibus in manus dant; sicut Reges, ita & Senatum jubent, (*I*. 45. 54. 62.) pupillis tutores vel ætatis veniam, si opus sit, dare, eorumque, ut & furiosorum, commodis invigilare, & ne qua expilandis, dilapidandis,

dis, distrahendisve ipsorum hæreditatibus fraus iis à tutoribus vel curatoribus fiat, obicem ponere; (*F.* 15.) si quibus transumendorum ex tabulario de initis contractibus apographorum cuicunque; (*C.* 48.) quoties constituendorum ad lites procuratorum generalium, sociis vel tutoribus; (*I.* 59.) quoties contrahendorum ingratorum agnatis matrimoniorum, virginibus pupillis, facultas est concedenda; (*K.* 7.) quoties sunt sororum innuptarum factæ cum fratribus de patrimonio transactiones confirmandæ; (*K.* 10.) quoties fraternitatis sive consortii, & rerum communionis jura conferenda, parem in his omnibus faciunt provincialis judicii majoris, & Regum jurisdictionem.

XI. Vt communis ergo est in his omnibus Senatui amplissimo cum Regibus, neque his magis quam illi *αὐθεντικῶς* concessa decernendi ratio; ita ad Ordinum universorum, vel ad minimum ad Optimatum, primorumque voluntates & consilia, alligata est prorsus Regum voluntas, si quid novi (*A.* 5.) *B.* 2. 11.) in distribuendis, quæ terrestria vocamus, muneribus, (aulica enim & fiscalia, ut & minoris momenti ministeria quævis, Rex, ut vult, libere distribuit,) (*Z.* 4.) in rogandis vel abrogandis

 legibus;

legibus; (*A.* 17.) in alienandis, transcribendis, vel pactionibus ullis adstringendis, insertis in corpus coronæ Bojemicæ ab Imp. Cæs. Carolo IV. opidis, arcibus, ditionibus, & provinciis; (*A.* 18.) in facienda alienigenis emendorum in regno bonorum soli potestate; (*L.* 6. 9. 10. 31. 32. 33.) in coërcendis ulciscendisve publicis hostibus, & eorum fautoribus, vel quavis alia vi armata, in vindicandis ab exteris injuriam passis, ut & liberandis in captivitatem abductis regni incolis; (*D.* 49.) in cogendis ad officium contumacibus jurisque prævaricatoribus; (*W.* 8. 15.) in statuendo cudendæ monetæ modo & pretio; (*A.* 10.) in cooptando in numerum judicum alicujus tribunalis, Regio caussarum patrono, (fiscalem aliàs vocant,) si quid, inquam, in his cæterisve majoris momenti negotiis Rex velit decernere novi, rem prius vel ad Ordines universos in comitiis, vel ad Optimates collegialiter, in consistorio suo referre, nec consilium ipsorum modo sed & assensum exquirere habet necesse.

XII. Hæc igitur est gubernandæ apud Bojemos meos reipub. ratio, hic magistratus summus, hæc principum, hæc populi universi majestas. Ritus porro commendandæ principibus reip. ac in ipsorum

rum inaugurationibus adhiberi solitus, non uniusmodi semper fuit. Primis illis, ante & post Przemyslum, temporibus, cum Bojema gens adhuc à Christianorum sacris erat aliena, brevissimus is fuit & simplicissimus; apud novitios Christianos, & ante quam reges regnarunt, aliquanto sane splendidior, sed non multum operosus; post reges verò creatos, exemplo gentium aliarum evasit cum apparatu magnificentior, tum festivitate, stipulationibusque regum & populi mutuis, solennior. Prisci illi, ex gentilismo nostri majores, & qui prius quam Episcopa Pragæ fuit erecta, sub Christianis aliquot principibus vixerunt, habuerunt satis convocata ad Gezercam, subiectum Wyssehrado fontem, omni populi multitudine, prolatisque in medium, Libussæ solio, & Przemysli mitra ducali, ac pera agresti, cum factis querno robore calceis, [10] duces novos, stipulati prius ab ipsis in gubernando patrii moris observantiam, publice proclamare, in Libussæ illud solium collocare, agrestiumque calceorum & peræ intuitu, ad originis tenuioris considerationem & modestiam commonefactis, mitram ducalem solennibus cum acclamationibus, veneratio-

[10] *Hagec. ad an.* 833. *Dubr. hist. lib.* 2.

ne, ac obſequiorum conteſtationibus, in caput imponere. Claudebant πανήγυριν iſtam epulæ, communis lætitiæ teſtes. Cum vero Chriſtiana religione gens eſſet imbuta, & Epiſcopatus à Boleſlao Pio conſtitutus, adhiberi ad hanc celebritatem cœpit ipſe etiam Epiſcopus, qui inaugurationis tempore, cum reipub. toti ac duci novo, felicia quæque precaretur, tum multitudini in peragendo majorum more, actu iſto ſolenni, religione & pietate præiret.

XIII. Regibus tandem populo datis, eorumque coronatione ad Archiepiſcopos devoluta, creverunt & pompa & ceremoniæ: coronæ, ſceptri, pomi, gladii, annuli, unctionis uſus invaluit, miniſteria inter viros eccleſiaſticos & politicos proceres diſtributa. Quæ qua ratione ætate noſtra, & à quibus expediri ſoleant, paulo plenius, quam ab aliis forte eſt factum, libet explicare. Ergo quoties de inaugurando rege conſentiunt regni Ordines, ad condictum diem, (quem ab electione per novum regem acceptata, intra menſem ſextum jubet denuntiari lex Carolina,) Regalia, quæ vocant, ſeu regni κειμήλια ex Caroloſteina arce à regni Optimatibus afferuntur, convocanturque in arcem Pragenſem è regno præcipui omnes, ac ex unitis

regno

regno provinciis legati, ipsaque etiam numerosissima plebis turba confluit. Ad Sacrarium D. Wenceslai, in quo regni illa, pridie ejus diei Pragam allata, κειμήλια reconduntur, Carolosteinenses, uterque Burggravius & vasalli, die pariter & nocte in excubiis sunt. Supremus vero regni Curiæ-Magister interea regiam, palatium, comitiumque, & theatro in ea erecto, ædem metropolitanam D. Vito sacram, in qua ex consuetudine inveterata peragi solet hic actus, tapetibus, pannoque rubro, & cæteris, quæ tantæ festivitati opus sunt, splendidissime ac operosissime adornat. Vbi ad diem horamque in Comitium veniunt omnes, Burggravius Regni supremus, valvas comitii jubet aperiri, & rogat omnes: velintne, ut electus votis communibus Rex, publice ac majorum more ab se proclametur. Cumque voce concordi assentiuntur Ordines universi, tum ille voce quantum potest sublata: *Supremo,* inquit, *omnipotentis DEI numini gratum, amplificando in nostra gente cultui ejus sincero accommodum, regnoque huic honorificum, utile, felixque & faustum id sit. Ego Burggravius Pragensis supremus, ex officio meo, in nomine beatissimæ, sanctissimæ, ac individuæ Trinitatis, unius DEI nostri, Serenissi. principem N. in*

 regem

regem Bojemiæ electum, & acceptum esse pronuntio. Hoc audito multitudo omnis exclamat; *Vivat, vivat, vivat, N. Bojemiæ Rex!* & concilio dimisso, Ordines ex comitio in D. Venceslai sacrarium, regalia visuri discedunt. Legati similiter provinciarum regno unitarum, &c, cum suæ quisque dignitatis insignibus, Canonici, Præpositi, Abbates, Holomucensis & Wratislaviensis Episcopi (quos duos jam olim Regis Assistentes vulgus appellavit,) ipseque adeo Archiepiscopus Pragensis, in templum veniunt, & loco quisque suo consident.

XIV. Quorum adventu ad sacrarium D. Wenceslai nuntiato, Burggravius proceresque ex Bojemis alii, numero frequentes, Regem in templum deducturi in regiam abeunt, & quamprimum Regis alloquendi potestas iis fit, venerabundi, honore prius ipsi habito, per Burggravium idiomate Bojemorum vernaculo, in hanc sententiam verba faciunt: *Hodie, Princeps Sereniss. tres inclyti hujus regni Ordines, majorum laudabili more, secundum leges ac libertatem gentis, conventu publico, in supremo regni Dicasterio, Regem te Bojemiæ declararunt ac pronuntiarunt, precati ex animis universi, ut hanc Majestatis Tuæ in legitimum Bojemiæ Regem electionem atque acceptationem,*

tionem, faustam & felicem esse velit jubeatque DEVS. Quoniam vero inaugurationi Majestatis Tuæ, ac coronationi solenni, dies hæc est constituta, orant omnes qua par est veneratione, ut primum omnium, cum publica universorum, tum privata singulorum, Regni hujus incolarum, privilegia, immunitates, libertates, jura, & leges, vetustas laudabiles, consuetudines ac instituta, facto eam in rem diplomate singulari, rata habere ac confirmare; itemque festa Majestatis Tuæ inauguratione, de repub. ad legum normam gubernanda, decessorum Tuorum Bojemiæ regum exemplo, sacramentum sive juramentum regium præstare publice velis. Hæc cum dicta sunt diploma privilegiorum confirmatorium Burggravio tradit Rex, & quæ inaugurationis tempore decessores sui ex legum præscripto præstare essent soliti, se similiter sacramento interposito præstiturum, Ordinesque omnes & singulos clementer habiturum, recipit. Itur igitur in metropolitanum D. Viti templum. Eunt autem bini & bini, Civitatum Regiarum delegati, Minoris, Novæ, Majorisque Pragæ Senatores: hos sequuntur ex Nobilitate equestris Ordo & Barones, quotquot in comitatu Regis illo reperiuntur. Divertunt vero ad destinatam in templo ordini quique suo pergulam.

gulam. Optimates vero, & publicis regni muneribus insignes proceres in ædis sacræ vestibulo Regem, cum aulico comitatu suo, caduceatoribusque, & ensifero adventantem, excipiunt, & recta in D. Wencessai sacrarium deducunt.

XV. In sacrario Rex exsutus veste sua à Supremo regni Camerario, trabea talari auro picta coloris phœnicei induitur. Interea dum Rex induitur, Archiepiscopus cum Episcopis, & Clero omni, ab altari magno, ad idem sacrarium, Regem prodeuntem ad erectum coram altari magno solium Regium deducturus, venit. Præstolante igitur pro foribus Clero, sacrarium reseratur, & primi prodeunt hæreditariis in regno muneribus fungentes proceres, post eosque cum regalibus Optimates, qui progressi, clero ad latus dextrum subsistunt. Archiepiscopus accedens propius, Regi in vestibulo stanti paucis benedicit, & mox inter tympanorum tubarumque sonos ingentes, Clerici primi Archiepiscopo ad altare magnum præeunt; sequuntur regni dapifer cum prægustatore, portantes uterque, ille deauratum, hic argento obductum panis libum; pocillator cum collega, portantes uterque plenum vino doliolum, ille deauratum, hic argento incrustatum; tertio loco inter Subcamera-

rium

rium & Carolosteinensem Burggravium medius, incedit gerens sceptrum, regni Archi-Notarius; huic proximus it inter Archi-Cancellarium & Curiæ Iudicem Supremum medius, cum pomo aureo Archi-Dicastes; quinto loco cinctus à latere dextro portante bacillum nigrum Supremo regni Curiæ Magistro, à sinistro vero coccineum capitium gestante regni Archi-Camerario, ingreditur gestans coronam Regni Bojemiæ Interrex seu Burggravius Pragensis supremus. Optimatibus istis succedunt caduceatores & Marescalli, dexter provincialis cum recondito in rubenti vagina holoserica D. Wencessai gladio, sinister vero aulicus cum gladio evaginato. Marescallis proximus ingreditur capite discooperto trabeatus, inter Holomucensem & Wratislaviensem Episcopos medius, Rex, qui tandem consistentibus sibi ad dexteram, gestantibus Regalia proceribus, in genua ante solium regale provolutus, Archiepiscopum precantem audit. A precibus his erectus, ab iisdem episcopis, verba faciente Holomucensi, & stantibus Regi à tergo proximis Burggravio Archi-Cancellarioque, traditur Archiepiscopo apud altare coronandus. Archiepiscopus regalibus ex procerum manibus ordine acceptis, coronam collocat in altari medio;

medio; Ensem verò in vagina in cornu dextro, pomum, sceptrum, annulum, liba, doliola in sinistro. His actis in genua cum toto circumstantium cœtu procumbit, & Litania canitur.

XVI. Ea finita Optimates & Episcopi, Regem ab altari, ad solio Regio propinquum locum priorem reducunt, qui cum in genua, velut ante, subsidit, Archiepiscopus eum rogans: *Vis fidem sanctam*, inquit, *à Catholicis viris Tibi traditam tenere, & justis operibus observare?* Respondente; *Volo:* pergit, &: *Vis*, inquit, *regnum tibi à DEO concessum, secundum justitiam patrum Tuorum regere & defendere?* Respondente; *Volo, & ope fretus divina, modis me id omnibus facturum promitto.* Missæ officium, quod vocant, à Musicis inchoatur, & Rex paulo post surgens, solium Regale conscendit, cinctum parte dextra ab Episcopo Holomuc. Burggravio, Curiæ-Magistro, & plerisque proceribus Bojemis, sinistra vero ab Episcopo Wratislaviensi, Archi-Camerario capitii gerulo, caduceatoribus, & Marescallis. Iamque recitato ex Epistola textu sacro, siletur prorsus, & Rex Burggravio Ephorisque regni cæteris comitatus, per Episcopos ad altare denuo ducitur. Hîc in genua procumbens Rex, Archiepiscopo librum

Euangeliorum apertum tenente: & Burggravio verba præeunte, Bojemica lingua juramentum facit, [11] &: *Iuramus* DEO, inquit, [*matri Deiparæ, sanctisque omnibus,*] *in sacro hoc Euangelio, velle nos & debere, Baronibus, Equitibus, Nobilibusque, item Pragensibus, Civitatibusque reliquis, ac universa Communitati Regni Bojemiæ, Instituta, leges, privilegia, exemptiones, libertates & jura, adeoque vetustas, bonas, laudabilesque consuetudines, inviolatas servare, ab hoc eodem Regno Bojemiæ, nec abalienare quicquam, nec oppignorare, verum pro nostra virili id potius augere ac amplificare, & omne quod bonum honorificumque Regno illi sit facere: Ita nos* (hæc dicturus, digitis manus dextræ duobus, Euangelii librum contingit,) DEUS *adjuvet, & sancti omnes.* Iurantis Regis verba excipiunt Archiepiscopus & Episcopi illi ambo, orantes alius post alium ex formula. Absolutis precationibus, nudatum ab advolutis lateri ejus dextro, regni Archi-Camerario & Cubiculariorum Decurione supremo, Regis lacertum dexterum, pectusque & scapulas, ungit oleo, latusque gladio D. Wenceslai (porrigit hunc illi ex altari acceptum Marescallus) præcingit,

[11] *Constit. Reg. A. 2.*

cingit, annulum digito manus dexteræ indit, sceptrum in dextram, pomum vero in sinistram tradit, preculas identidem miscens Archiepiscopus.

XVII. His ita pro more peractis, sedenti in solio Regi dexter assistens Burggravius, oratione ad proceres populumque Bojemiæ conversa contentissime, voce ter repetita rogat, &: *Vultis*, inquit, *vestro huic Regi subjici, obtemperare, fidelesque esse, & Regnum Majestatis suæ, ope vestra ac opera firmum præstare: tum etiam præbetisne vestrum ei coronando assensum?* Annuentibus & terna similiter responsione comprobantibus dicta universis, ad Regem convertitur, & venerabundus rogans: *Visne Rex clementissime*, inquit, *privilegia cuncta, libertates, immunitates, jura, leges, vetusta laudabilia instituta, & consuetudines cum publicas tum privatas, tribus regni hujus Ordinibus omnibus, sartas tectas servare, nec eas ulla ratione violare.* Rege, præstaturum ea omnia respondente, Archicamerarius capitio coccineo illo, Archiepiscopus vero unà cum duobus illis, quorum aliquoties meminimus, Episcopis & Burggravio, regiò illo diademate caput Regis, precibus adhibitis, cingit. Episcopi porro secedenti pone altare, coronamque gestanti Regi, oleum

quo

quo ungebatur abstergunt, vestemque convenienter aptant. Vnde cũ is, Archiepiscopo preces ingeminante, reversus in solio consedit, Burggravius ad proceres, populumque omnem, fidem ab iis Regi & subjectionem stipulaturus, in verba Regis juraturos, præfatur & ait: *Quandoquidem N. princeps serenißimus legitime Rex est electus ac coronatus, in nomine D. O. M. ego Majestatem suam omnibus tribus Ordinibus, universo regni hujus populo, Regem Bojemiæ pronuntio, esseque jubeo. Vultisne igitur Majestati suæ fideles esse, obtemperareque ac subjici?* Velle, respondentibus, & singulis monitu ejusdem Burggravii digitos duos sursum erigentibus, primus ad Regem propius accedit, ac factus illi supplex, impositum capiti Regio diadema, digitis duobus contingit, &, ut idem omnes, qui loco non prohibentur, cum veneratione præstent, commonefacit. Hymnus interea eucharisticus B. B. Ambrosii ac Augustini cantatur, & cum Optimates, tum quivis alii ex Baronum Equestriumque Ordine, quod Burggravium fecisse viderunt, supplices ac venerabundi pro se quisque faciunt, tacta vero digitis corona, Barones fere Regi à dextris, Equites à sinistris consistunt. Rex tandem procidentes in conspectu delectos aliquot, gladio

 D. Wen-

D. Wenceslai in brachium sinistrum ter percutit, ac militiæ auratæ Equites creat.

XVIII. Cantores porro & Archiepiscopus, hymno illo lætitiæ finito, pergunt in Missæ officio, cumque cantando ad Offertorium, quod vocant, perveniunt, consurgit Rex, & medius inter Episcopos, accepta ex dapiferi pocillatorisque hæreditarii manibus duo panis liba illa, & vini vascula, Archiepiscopo ad altare offert., tota arce Pragaque omni, campanarum pulsibus, & majorum æque ac minorum tormentorum fragoribus personante. Post hæc Pacis tesseram osculatur Rex, & mox corona ei capitioque, inter iterata campanarum ac tormentorum muralium tonitrua, per ArchiCancellarium amotis, sceptroque & pomo Archi-grammateo ac ArchiDicastæ in manus redditis, ad altare inter Episcopos medius accedit, Eucharistiamque, (Burggravio & Curiæ regni Archi-Magistro linteamen tenentibus) ex Archiepiscopi manu sumit. Quod dum fit, stantes propter solium hęreditarius regni à dextris, regius vero aulicus à sinistris, Marescalli, aut, si alteruter, interea dum coram hostia fit adoratio, religione prohibitus secessium quæsierit, (id quod an. 1575. accidit,) substitutus ab eo interim vicarius gladium uterque strictum mucrone

mucrone ad terram defixo tenent; nec ante quam Rex ab altari surgit, attollunt. Reverso denique ab altari, & in genua procumbenti illi; benedicit conceptis verbis Archiepiscopus, & campanæ jam tertium tota Praga pulsantur, machinæque grandiores, simul & minores displo-duntur.

XIX. Sacris ad hunc modum finitis, Rex in ornatu regio, gestans regalia, eadem qua ingressus erat pompa ac comitatu, templo egreditur, & per panno constrata tabulata, palatiumque majus, in tabularium Regni, & mox in supremi Dicasterii conclave, ad epulas solennes concedit. Ab ipso vero templi vestibulo qua Rex ingreditur, usque ad Dicasterii limen, fusi recens aurei nummi & argentei, in turbam confertim stantem disperguntur, omnes præterea captivi regii dimittuntur liberi; [1] In area vero arcis, rubrum albumque vinum, plenis labris fluit, ac à turba promiscua hauritur. Tympana interim & tubæ, clangore sonoro, epulis Regalibus signum dant. Instructæ jam ante ponuntur apparatu exquisitissimo, mensæ duodecim, præter Regiam nempe seorsim loco paullo editiori stantem, pro singulis Regni

 Opti-

[1] *Cosmas Hagecusque ad an.* 1037.

Optimatibus ſingulæ; Baronibus ad menſæ Regiæ latus dextrum; Equeſtribus ad ſiniſtrum. Ad ſuam quiſque accumbit: Rex cum viris Principibus regumque exterorum legatis: Optimates cum invitatis ea de cauſſa, familiaribus aulæ potioribus, & amicis quiſque ſuis. Menſæ ſub conopeio accumbenti coronato Regi, miniſtrant hæreditarii dapifer, prægustator, pocillator, cum accitis eam in rem ab ſe ex nobilitate junioribus permultis. Ad cubiculi vero regii cuſtodiam, excubare toto illo coronationis die tenetur, ex Wladiſlai Regis inſtituto, nobilis ſtirpis Swaroviæ natu maximus. Omnes denique abſentes æque, ac epulis Regiis præſentes, feſtis clamoribus ingeminant: *Vivat, vivat, vivat triumphatis ſuis & reipub. hoſtibus, N. Bojemiæ Rex.* Menſis remotis, trabea Regi in tabulario Regni exſuitur, Regaliaque ab eo Optimatibus recondenda traduntur. Sic Rege in regiam cum comitatu aulico, aliis vero huc & illuc in diverſa euntibus, Optimates cum proceribus & regni primoribus regalia è veſtigio in D. Wenceſlai ſacrarium referunt, ibique tantiſper dum poſt tertium quartumve diem in conditorio ſuo arcis Caroloſteinæ reponantur, clientibus arcis illius, diurnis pariter & nocturnis vigiliis cuſtodienda credunt. XX. At-

XX. Atque hæc ævo nostro usitata inaugurandorum Bojemiæ Regum est consuetudo, hæc pompa, hic ritus, hæ ceremoniæ: Quoniam vero regni quærendi viæ duæ duntaxat sunt legitimæ, (viam armorum, quam quidam his addunt tertiam, tyrannorum potius quam Regum esse ducimus, nec arma, quæ ambitionis cupiditati serviunt, justa judicamus) quoniam non aliæ, inquam, legitimæ sunt quærendi regni viæ, quam Electio populo non extorta, & Hæreditas ex sanguinis propinquitate nata, videtur prope necessarium interrogare, qua vi, quove, hæreditatis an electionis jure, ad principatus illud fastigium conscendant Bojemorum Reges novi; statuere autem hac de re non cuivis est promptum. Etenim ejus quæstio hæc est generis, ut de ea ex historiæ patriæ scriptoribus, & eorum plerumque, vel verbis alienis factæ recitationi, vel linguæ lubricitati imputandis fortasse, ac inconstantibus loquendi formulis, vix certi aliquid possit concludi. Leges etiam regni fundamentales, privilegiaque, quin & optima legum interpres consuetudo ipsa, ac observantia diuturna, in sensus contrarios trahi nuper cœpit. Cum enim Ferdinando Archiduci Austriæ, vivente adhuc, remque urgente Matthia rege,

designato ac coronato (*ann.* 1617.) Bojemorum Regi, regnum post mortem Matthiæ, Bojemi, conventu cum unitarum regno provinciarum legatis frequentissimo, abrogassent, & Fridericum V. Electorem Palatinum (*an.* 1619.) regem creassent, acerrime longeque majoribus, quam unquam, contentionibus, de regni jure, deque dandorum Bojemis Regum rationibus, sicut armis, ita & calamis, certatum utrinque fuit. Ferdinandus princeps, ab Electoribus interea Romanorum Imp. creatus, & qui ab eo stant, contendunt Bojemiam esse regnum hæreditarium, & principes quotquot ei ad hoc usque ævum cum imperio præfuerunt, (unico via exorbitanti rebus imposito Georgio rege excepto) hæreditatis intuitu, fasces ejus apprehendisse. Ordines Bojemi contra constanter dicunt, & tantum non clamant, electione gentis liberæ, non hæreditate, dignitatem consequutis principibus se paruisse semper, diversumque sentientes, quicunque sunt, acceptæ à majoribus libertati suæ, vim manifestam facere queruntur. Gladius Ferdinandum fecit in hac caussa superiorem; calamorum concertationes, approbatum à parte utraque judicem nondum videntur invenisse. Vt igitur in hac à togatis etiam agitata quæstione

ſtione ſeu diſceptatione, habeat unde rerum momenta promat ac ad veri cubile aditum faciliorem inveniat poſteritas, excerpta ex variorum, quæ inſpicere eſt datum, diſſertationibus variis, tum Imp. Cæſ Ferdinandi II. tum Bojemiæ Ordinum, producta in publicum tuendi juris ſui argumenta, in theſi duntaxat, non in hypotheſi (ſingularia enim quæ utrinque in controvertentium partium diſputatione permulta occurrunt, ab inſtituto noſtro videntur aliena) pro ingenii modulo noſtri, recenſebimus. Iudicium nobis tanta de lite non ſumimus. Volumus enim ab omni id genus temeritate quam longiſſime abeſſe.

XXI. Allegatur ergo ab iis, qui Bojemos reges hæreditatis jure ad regnum pervenire volunt, cum conſuetudo, & inde à Libuſſæ ævo introducta, nec niſi ſemel interrupta, obſervantia; tum à ſupremo gentis magiſtratu eam in rem edita, ac legibus regni publicis expreſſa privilegia, geſtarumque rerum teſtis hiſtoria. Servatum videlicet perpetuo fuiſſe propagato ex Przemyſlo & Libuſſa generi hunc honorem, & primum duces, poſtea vero reges, ex ſolo illo, ſucceſſione ordinaria jure nunc majoratus, nunc primogenituræ, fuiſſe ad reipub. clavum aſſumptos, tantiſper dum mares

essent superstites. [2] Cum vero stirps mascula in Wenceslao III. defecisset, ideoque *per morsum mortis Regum generatio fortis Esset devicta*, [3] fœminis sanguinis ejusdem, habitum fuisse honorem eundem, ac primum Annam Henrici Carinthii, postea vero Elissam Iohannis Lucemburgici uxores, Wenceslai, cujus meminimus, sorores, ad sceptra fuisse vocatas, earumque jure maritos ipsarum, esse in dotali regno rerum potitos, Elissæ sobolem regnasse ordine. Et cum Ladislaus rex, ejus ex Iohanne Lucemburgico abnepos, absque liberis decessisset, virilisque proles regia nulla exstaret, adeoque post Ladislaum electus in seditione Georgius Rex, tandem similiter occubuisset, reditum esse ad genuinum sanguinem regium, & Wladislao Ladislai ex sorore Elisabeta nepoti, regni diadema impositum; ab eo vero primum ad Ludovicum filium, & hoc sine prole è vivis exempto, ad Annam filiam transmissum. Hujus porro Annæ, ex Ferdinando marito posteros, Maximilianum, Rudolphum, & Matthiam Impp. ordine sibi in hoc regno successisse, ac, eodem quo antecessores, hæreditatis jure, ad reipub.

[2] *Ius hæredit. Ferd. fol.* 18, 19. 44.
[3] *Chronic. Aulæ regiæ.*

reipub. Bojemæ gubernacula conſcendiſſe. Æquitatem igitur ipſam ac majorum morem ſequutos Ordd. vidiſſe ſemper, quod (ut [4] & à Frider. III. Imp. aliquando monebantur) electione haud quaquam opus ſit, in iis quos natura Reges dediſſet; ita ut inconcuſſa tot ſeculorum obſervantia, certiſſimo ſit documento, rebellione exſecranda [5] contaminari illos omnes, qui majorum his moribus, vetuſtatiſq; venerandæ exemplis obluctari, ſimul etiam auſu nefando, Regibus pro arbitrio, ac per nudam electionem creandis, florentes, Albertinis pariter & Carolinis pactis veteribus ſubnixos, in Auſtriaca domo Bojemi ſanguinis principes, ab hæreditariis regni Bojemici faſcibus, quantum in ipſis eſt, arcere neutiquam erubeſcunt.

XXII. Perpetuæ huic ac tam vetuſtæ obſervantiæ, (præteritis vetuſtiſſimis illis, Hoſtiviti nempe cum Mſtibogio fratre concordatis, & teſtamentaria Brzetiſlai I. de principatu diſpoſitione) ab iiſdem hæreditarii juris patronis ſubjunguntur *ſecundò*, privilegii (*an.* 1212.) à Friderico II. Imp. Bojemis olim dati

 decla-

[4] *Silvius Hiſt. Bojem. cap.* 58. [5] *Juſtitiæ Imperat. author propoſ.* 12. 13. 22. 23.

declaratoria Imp. Cæs. Caroli IV. (*ann.* 1348.) Bulla Aurea, Rudolphi Imp. (*ann.* 1290.) privilegium Erfordianum; Wladislai Regis eo nomine secundi (*an.* 1510.) dispositio, posterior Ferdinandi I. Regis (*ann.* 1545.) recognitio, pro directorioque liberis ab eo relictus codicillus; itemque optimatum, & quorumvis in magistratibus ministeriisve regiis constitutorum, usu recepta juramenta. Omnia hæc partim ab universa Bojemorum populo (*ann.* 1547.) comitiis calatis esse comprobata, [6] & Constitutionum provincialium Codici, pro publica indubitataque lege inserta, partim observantia quotidiana confirmata.

Caroli Cæsaris Bullam quod attinet, ea expresse determinari, *Electionem Regis Bojemiæ in casu duntaxat & eventu, quibus de genealogia, progenie, vel semine, aut prosapia regali Bojemiæ, masculus vel famella superstes legitimus nullus fuerit oriundus, ad Prælatos, Duces, Principes, Barones, Nobiles, & Communitatem regni præfati & pertinentiarum ejusdem, rite, juste, & legitime pertinere.* Constare sibi Carolum hunc Imp. (*ann.* 1356.) etiam in Bulla Imperii Aurea Noribergensi, [7] ut qui reservans Imperatorib.

[6] *Ius provinc. A.* 1. [7] *cap.* 7. §. *si vero.*

ratorib. de vacantibus in Imperio Electoratibus ſecularibus proviſionem, regnicolas Bojemos exceperit, & ſi quando nullis exſtantibus regii ſanguinis hæredibus Electoratum ejus regni vacare contigerit, proviſionem *juxta continentiam conceſſorum Bojemis privilegiorum, & obſervatam conſuetudinem diuturnam*, Ordinibus ipſis, non Imperatori, competere oſtenderit. Sicut ergo in Electoratibus ſecularibus cæteris, hæres proximus ſuccedit jure hæreditario; ita & in Electoratu Bojemico, ac in regno ipſo, quod ab Electoratu ſeparari nequit, [8] proximum Regis defuncti hæredem, hæreditatis jure debere ſuccedere: Et ſicut proviſio Imperatori in cæteris Electoratibus ſecularibus, non niſi cum nullus eſt hæres, comperit; ita Electionem Ordinibus in Bojemia, non niſi cum regnum vacaverit, hoc eſt, cum nec mas, nec fœmella ſanguinis regii ſuperfuerit, concedi. Manifeſti id eſſe juris, ampliuſque etiam probari ex Rudolphi I. Imp. Atteſtatione, [9] quam de competente in Imperio Regibus Bojemiæ Electoratus jure, Erphordiæ dedit. In ea ipſum quoties Regis

[8] *Ius hæred. Ferd. II. pag. 15. 16.*
[9] *Mel. Goldaſt. tomo. Conſtitt. II. pag. 86.*

Regis facit mentionem, & quicquid in Imperio & Imperatorum electionibus, juris Regi tribuit, toties hæredum ipsius meminisse, iisdemque similiter tribuere. Neminem ergo nisi qui vel insaniat ipse, vel Imp. insaniisse somniet, hæreditariam Regum in Bojemia successionem negare posse.

Wladislai Regis de liberis suis (*ann.* 1510.) factam, sigillo regio munitam, nec illam obreptitiam, verum tam à Bojemis, quam ab Vngaris Ordinib. publice approbatam dispositionem huc quoque facere, qua testatur Rex, *Si contigerit Regem Ludovicum filium absque hæredibus decedere, Annam filiam, Ludovici sororem, vi juris, exemtionum, & privilegiorum regni Bojemiæ, legitimam Regni Bojemiæ hæredem futuram.*

Regis Ferdinandi I. Recognitionem posteriorem, sesquianno prius quam uxor ejus Anna regina, in vivis esse desisset, Ordinibus datam, ut & ejusdem Regis liberis paulo post Annæ matris obitum directorii vice relictum Codicillum, cum his consonare, in quo utroque asseverat Rex, *post luctuosum Ludovici Regis in prælio absque hæredibus interitum, Annam suam uxorem, utpote Ludovici Regis sororem germanam, & legitime natam* hæredem, *vigore libertatum,*

tum, privilegiorum, & constitutionum Imp. Caroli IV. factaque à Wladislao Rege Dispositionis, veram quoque, ac ab Ordinibus agnitam & acceptatam Regni Bojemiæ esse hæredem, atque Reginam, ideoque Regnum ipsum Bojemiæ, quamdiu supersunt ex regio sanguine sive masculi, sive fœminæ, non pertinere ad Electionem Statuum, sed cadere in superstites regii sanguinis personas. Status præterea ipsos recognovisse, quod Regnum id, non per Electionem, sed per legitimam hæreditatem & successionem ad Annam Reginam, tanquam hæreditariam reginam & dominam, transierit. Probari rem hanc denique posse ex usitatis, cum à Magistratibus inferioribus ac Ministris quibusvis regiis, tum à Burggravio supremo, & arcium Pragensis Carolosteinianæque Præfectis, ex præscripto legum provincialium præstari solitis, juramentorum formulis.[10] Singulos nempe illos, præterquam quod Deo jurant & Regi, jurare pariter Regis hæredibus; qui nequaquam id aliâs facturi, vel Ordd. ipsi permissuri essent, si quæri, non nasci, sibi reges sentirent. Assensos autem esse his Regg. suorum Constitutionibus, Attestationibus, & ordinationibus Ordines Bojemos

10 *Ius provinc. B. 3. 7. 8.*

Bojemos publice universos, elucescit plus quam satis ex eo, quod earum etiam in ipso legum regni Codice accurate meminerunt,[11] profitentes expresse, eligendi Regis se potestatem legitimam non ante habere, quam cum Aurea Caroli Imp. Bulla, & Regum, Wladislai Diplomate, Ferdinandique Recognitione, definitus casus inciderit. Accepisse in hanc sententiam privilegia Bojemorum etiam, tam Bavariæ Ducem Maximilianum nuper, quam Poloniæ Regem Iagellonem jam olim. Bavarum videlicet, cum attentatæ recens Electionis Bojemicæ acceptationem Friderico agnato[12] dissuaderet, prudenter monuisse, quod tametsi *Ordd. Boj. suo modo habeant Reges eligendi potestatem; Electionem tamen istam esse quadamtenus hæreditariam, & ad hæredes alligatam.* Iagellonem vero Bojemorum legatis, cum regnum hoc ei offerebant respondisse;[13] *Scire se, Bojemiam Wenceslai regnum,* HAEREDITARIO IVRE *ad Sigismundum fratrem pertinere.*

XXIII. Gestarum præterea hac in gente rerum scriptores plerosque omnes, esse

---

[11] *Ius provinc. A. 1. B. 20.* [12] *Epist. Monaco 24. Sept. 1619. data.* [13] *Cromer. Polon. orig. lib. 18.*

esse similiter in hac sententia. Vbicunque enim, vel ex suo, vel ex populi sensu, in hac caussa scribunt, semper hæredum, paternæque hæreditatis facere mentionem. Legi videlicet apud Cosmam [14] scriptorem non malum, *Esse justitiam Bojemorum, ut semper inter Principes eorum major natu solio potiatur in principatu*. Et, *Sobieslaum* (loquitur de Sobieslao seniore) jure hæreditario, *in principatus solio elevatum fuisse avito*. Silvii verba [15] similiter esse, quod; *Nezamyslus Pryemyslo morienti fuerit* hæres *dictus. Hostivitum Neclani principis majorem natu filium*, hæredem *à patre fuisse institutum. Legatos Alberti Austrii flexisse Bojemos, cum Elisabetam* Alberti uxorem suaserunt *non esse* paterna hæreditate *privandam, Albertumque & uxoris, & suo jure, & soceri judicio præferendum*. Reginæ quoque legatos alios, rogasse ut ne Bojemi *contra jus gentium, paternam* hæreditatem *puero* [Ladislao] *adimerent. Negasse Fridericum* Imperatorem, *orphani, cujus tutelam gereret*, hæreditatem *se quoquo pacto invasurum*. Iohannis Dubravii [16] esse quoque stylum similem, ut qui

[14] *Hist. Bojem. lib.* 3. *ad an.* 1100. 1125.
[15] *Hist Boj. cap.* 9. 55. 57. 68. [16] *Hist. Boj. lib.* 2. 7. 1. 17. 19. 28.

qui scribat, *Wenceslaum* ætatis prærogativa, partes priores in successione *principatus abstulisse, & inter ipsum Wratislaumque fratrem minorem*, hæreditatem *fuisse divisam*. Propinquum morti Brzetislaum Pugnacem, decreto statuisse *ut ex principum filiis ne alius ad* paternam *regni* successionem, *nisi natu maximus proveheretur, cæteri fratres, sorte quisque suo contenti essent;* Et *quemadmodum parens inter filios* hæreditatem *distribuerat, sic partem à quoque suam ab ipso funere fuisse aditam. Ottacarum Regem, ex Cunigunde uxore superducta, Wenceslaum* regni hæredem *procreasse. Bojemos* hærede *regni amisso, Pragam in domum Episcopi, ad jus comitiorum coiisse. Rudolpho Rege mortuo, ingenti rursus certamine comitia esse inita, & in his Iohannem Præsulem jus Annæ, quæ Henrico nupta fuit*, ex legibus *propugnasse, cum diceret, fratribus non exstantibus, primam sororibus in* successione regni *caussam esse, non quidem ut ipsæ regnent, attamen marito regnum acquirere poßint, si eum habuerint, quem aut pater, aut regnum illis dederit. Vota omnium & suffragia huc inclinasse, ut Ioh. Lucemburgensis Rex postularetur, hac conditione, si Elisabetham* regni hæredem *in matrimonium acciperet. Nuntium ex Vngaria* advo-

advolasse nuntiantem, reginam Elisabet, marem enixam esse; & perinde regni Bojemiæ hæredem. Wencesl. Hagecum [17] denique præ omnibus his, rem istam crebrius inculcare. Ex permultis ipsius narrationibus hæc esse evidentiora cum ait: *Vogenum (ann.* 804.) *à primoribus declaratum fuisse principem tanquam* hæredem: *Drahomiram (ann.* 917.) *vicariam reipub. administrationem ambientem fuisse in Ordinum conventu protestatam, quod nemo à Bojemis possit eligi princeps, filiis ipsius ex marito principe susceptis exstantibus; Ipsorum videlicet* esse in principatu successionem. *Convocatos à Friderico (ann.* 1178.) *Barones, Equitesque ipsum statim* tanquam *Wladislai Regis & patris* hæredem assumsisse *in Dominum. Przemyslum (ann.* 1226.) *habuisse id gratum ut Venceslaus filius esset suus in* regno hæres: *Przemyslum regis Wenceslai filium*, Bojemiæ hæredem *(ann.* 1254.) *copias magnas conscripsisse: Othonem Brand. Marchionem (ann.* 1279.) *machinatam esse ut Bojemi universi delerentur, &* hæres *quoque ipse Wenceslaus interiret; proceres vero Bojemos ab eodem Marchione (ann.* 1280. *&* 1281.) *ut* hæredem dominumque ipso-
O rum,

[17] *In Chron. Bojem.*

rum, *quem in arcta custodia tenebat, regno redderet, efflagitasse, nec id prius, quam exsoluta pecunia grandi, impetrasse. Wenceslaum II. Regem (ann. 1305.) cum vitæ finem erat facturus, filium proceribus commendasse, atque ut ei velut* Domino suo hæreditario *morem gererent, admonuisse. Annam & Elisabetam ejusdem Wenceslai filias, in publicis regni comitiis (ann. 1306.) provocasse ad Bojemica privilegia, quæ sancirent ut Regno* Rex hæres, *ubi per marem nequeat, saltem per fœminam optetur.* Apud Imp. Henricum VII. *(ann. 1310.)* professos publice esse Bojemorum legatos, *Wenceslaum seniorem, cum moreretur, reliquisse* regni hæredes *Wenceslaum filium, & Annam Elisabetamque filias;* hunc vero ipsum Wenceslaum, *nec marem, nec fœminam* hæredes *reliquisse; Henricum Carinthium, jure uxoris* hæredis *regnum occupare.* Pragenses Sigism. Imp. cum conventus *(ann. 1419.)* Brunæ Moravorum ageret, per legatos orasse, *ut sua Maj. Cæs. tanquam* Dominus & hæres *in regnum suum Bojemiæ veniret; Vertente tamen anno, de ipso tametsi patris* hærede *ac fratris* successore *à finibus regni, in primis vero ab Vrbe regum sede, penitus arcendo, nec pro domino unquam agnoscendo conspirasse.* Sigismun-

dum

dum nihilominus *(ann. 1420.)* in arbitros consensisse, perque eos Pragensibus, siquidem *sibi ut* Domino hæreditario *subjici vellent*, gratiam obtulisse, & præteritorum oblivionem sancire voluisse: Spretam tamen fuisse admirandam hanc Imperatoris lenitatem, & Pragenses in factum per primores Bojemos, de arcendo à sceptris Bojemicis hæreditario Rege ac domino, Decretum Czaslavianum, *(ann. 1421.)* consensisse. Commotum rei indignitate Imp. ad Ordines universos Czaslaviam scripsisse, & solenniter denuntiasse, *quod si pergant ipsum iniquis istis rationibus* hæreditario suo regno Bojemiæ *excludere, non sit injuriam tam enormem diutius neglecturus. Commentum enim esse, & ab omni ratione alienum, quod spargant* hæreditatem suam & regnum proprium esse *aliqua ab se infamia commaculatum. Reductos igitur (ann. 1422.) in viam fuisse regia denuntiatione hac ex nobilitate non paucos, & contra satagentes Coributi in regnum inauguratione cives Pragenses, magna contentione decertasse, ac, propterea quod Regem jam ante haberent legitimum Wenceslai fratris* successorem, *Carolique patris* hæredem, *Sigismundum Imp. in Regis Rußi coronationem consentire noluisse.* Sublato è vivis Alberto Rege,

O 2 Reginam

Reginam enixam fuiſſe filium patri poſthumum Ladiſlaum. Hunc à Bojemis,& prius, & poſt, (*ann.* 1440. 1441. 1443. 1444. 1446. 1451. 1453.) quam fuit natus, votis concordibus compluries, ac cum Procopii Rabeſteinii, tum Friderici Imp. judicio, *verum patris hæredem* fuiſſe pronunciatum. Cum Wladiſlaus Rex deceſſiſſet, Ludovicum filium, (*an.* 1518.) miſſo in Bojemiam Ioh. Zierotinio, poſtulaſſe ab Ordinibus, ut *tanquam Dominus ipſorum hæreditarius*, & Rex Bojemiæ coronatus, ad regimen admitteretur. M. Danielem Veleſlavinum, [18] etſi recentiorem, judicio tamen & diligentia, ſcriptoribus illis vetuſtioribus nihilo inferiorem, id quoque agnoſcere. Vocare eum, ratione videlicet eadem, Eliſabetam Sigiſmundi, & Annam Vladiſlai, Regg. filias, *unicas regnorum Vngariæ Bojemiæque* hæredes; qui ſcriptores omnes, cum & terantur complurium manibus, & probentur à pleriſque omnibus, fieri non poſſe, ut tam concors, totieſque repetita ipſorum aſſertio, in dubium merito poſſit vocari. Nihil obſtare quod jactant cerebroſi quidam, frequentem ſcilicet, & in ipſo legum Bojemicarum

[18] *Calend. hiſtor. in Genealogia Caroli IV. & Ferdin. I.*

rum Codice, & in his ipsis historiæ patriæ scriptoribus, occurrere usum vocum *Wolenj*, & *vvoliti knjzie* vel *krále.* [19] Iis namque non nisi abusive significari, quod ipsi comminiscuntur, *Electionem*, & Eligere *principem* vel *Regem*; sed revera, quemadmodum in cæteris hæreditariis regnis est usitatum, *Acceptationem* seu *assumptionem*, &, *acceptare*, seu *assumere Principem vel Regem.*

XXIV. Hæc autem sunt quæ à juris Regum Bojemorum hæreditarii patronis produci, ut adamantina, observavimus, & ex verbosis dissertationibus, in narrationem breviorem contracta, exponere voluimus. Dabis jam nobis, amice Lector, veniam, si Minerva fortassè, quam res exigit, pinguiore, alterius quoque partis, & eorum, qui Reges Bojemis nasci negant, quique viros principes, liberis populi Bojemici suffragiis legi, ac ad reipub. gubernacula vocari contendunt, hac tempestate protracta in lucem argumenta colligere, ac pro instituti ratione nostri, recensere tentaverimus. Provocant igitur etiam illi, ad vetustam consuetudinem & observantiam perpetuam, regni privilegia, observan-

O 3 tiæ

[19] *Ius hæred. Ferd. II. pag.* 41.

tiæ istius priscæ confirmatoria, non largitoria, Pontificum Romanorum, aliorumque principum exterorum judicia, & historiam. [1] Consuetudine apud omnes Slavici nominis gentes usitata,& longa, per secula aliquot continuata observantia, ajunt [2] jus sibi id quæsisse Bojemos, ut, multo quam Australis mundi plagæ gentes, liberius viverent, nec nisi creatis, voce votoque populi omnis, magistratibus, morem gererent. Virtutis meritorumque opinionem,non sanguinis jura, in iis qui reip. gerendæ destinabantur, fuisse spectata. Neminem id posse negare, cui vetustatis Czechicæ exempla non sunt ignota. Primos gentis conditores, cum in regionis oras commigrassent,nec judicem, nec principem habuisse: Quicunque in sua tribu, *persona vel moribus honoratior habebatur, sine exactore, & sine sigillo, ad eum confluxisse, & de caussis dubiis, ac illatis injuriis, salva libertate, disputasse.* [3] Inter honoratiores illos, fuisse Czechum quasi πρωτεχέλον & omnium primum, cujus

[1] *Deductio caussarum abrogatæ Ferdin. II. dignitatis Bojem. parte* 1.
[2] *Procop. de bello Gothico lib.* 3. *Bodin. de rep. lib.* 5. [3] *Cosmas rerum Bojem. lib.* 1. *princ.*

cujus moderationę monitionibusque paternis sit factum, ut ipsum multitudo omnis, non modo præ cæteris venerari, verum & genti novitiæ toti, cognomentum ex ejus nomine adsciscere voluerit. Cum vero gente temporis progressu multiplicata, & Czecho sene dudum morte sublato, (quia reipub. clavum nemo tenebat) contentiones ac altercationes, vulgo frequentes oriruntur, collatis in commune sententiis, ventum eo esse, & populo omni placuisse, ut reipub. moderandæ præficeretur cum dignitate aliquis unus, quem populus liber, muneri isti obeundo idoneum sponte delegisset. Et quamvis superstites in populo erant nati stirpe clara viri, qui sanguine Czecho jungebantur, quique, si hæreditarius fuisset Czechi principatus, à successione excludi jure nequissent, [4] *Crocum tamen*, procreatum diverso genere virum, iis fuisse prælatum, & voce populi publica, gubernandæ multitudini præfectum. Cumque is, ordinata apud Bojemos repub. Polonis tandem, [5] eadem ab iis de caussa evocatus, vellet, ut propinquis, similiter gratificari,

 transla-

[4] *Pulcava hist. Boj. c. 3. Hagecus ad an. 671.* [5] *Alex. Guaguin compen. rerum Polonic. M. Daniel. Calend.*

translatam ab eo, populi suffragiis, fuisse dignitatem in filium patri cognominem Crocum juniorem. Et ex hac origine fundamentoque profluxisse apud Bojemos jus principum Electione creandorum, ac via hac unica, principes regesque, quotquot genti cum imperio præfuerunt, dignitatem suam esse consequutos.

XXV. Exercuisse vero jus id populum Bojemum, in viridique observantia tenuisse perpetuo, tam cum domesticos sanguinis regii principes reipub. dabat, quam cum peregre ipsos, ex extraneis familiis cooptabat. Apparere id in quadraginta fere continuis actibus, quibus post minimæ natu Croci filiæ Libussæ vitaginis pauloplusquam duodecennalem reipub. administrationem, totidem Bojemi sanguinis principes, intra septingentos & septendecim præter propter annos, traduntur communi populi omnis voluntate rerum summæ fuisse præfecti. [6] Sublatis è medio tandem, anhelantium ad premendam imperio Bojemiam æmulorum ex Austria artibus detestandis, patre quidem Wenceslao II. (*ann.* 1305.) veneno, & unico ei cognomine filio Wenceslao III. (*ann.*

[6] *Hagecius ad an.* 715. 720.

(*ann.* 1306.) percussoris telo, [7] tametsi Suihovii, Hasenburgiique Barones, illi ex Wladislao Wratislai Regis primi filio quintogenito; hi vero ex Cassa Croci Ducis filia natu maxima, legitimis natalibus descendentes mares, præsto erant, neutiquam tamen, vel ipsos illos, juris hæreditarii prætextu, ad regnum adspirasse, (quod alioquin si hæreditate, non electione, regnum hoc deferri credidissent, haudquaquam prætermissuri fuisse videntur) vel populi suffragiis vocatos esse. Electum nempe esse, fugato competitore Henrico, Rudolphum Alberti I, Imp. filium (*ann.* 1306.) principem sanguinis jure nullo subnixum, interemto Wenceslao Regi succederet. Spontanea vero, an extorta fuerit ista Rudolphi Regis electio, de eo litem intendere non esse opus. Constare id tamen, cum idem Rudolphus, anno in regni administratione nec dum plane completo, vitam (*ann.* 1307.) commutasset cum morte, inter Bojemos, de Regis electione, acres excitatas fuisse concertationes, aliis alium volentibus; donec post altercationes acerbas, etiam in-

O 5 vito

[7] *Pulcava histor. Bojem. cap.* 88. & 89. *Chron. Boleslavien. c.* 97. 98. *Michov lib.* 4. *cap.* 3.

vito Imperatore Alberto, Henricus, nuper à Rudolpho profligatus, Wenceslai tucidati sororius, calculo partis majoris, rerum est potitus. Huic triennio post, quia impotenter & avare tempub. gerebat, potestatem ab Ordinibus fuisse abrogatam, & Iohannem Henrici Imp. filium (*ann.* 1310.) [8] Regem postulatum & unctum. Illum, postea quam ex uxore Elisabeta Wenceslai Regis cæsi sorore natu minima, plures procreasset filios, fecisse quidem, quid post mortem suam iis fieri vellet, Dispositionem paternam; sed cum metueret, ne ea ab Ordinibus aliquando, ut scriptura privata, pro nulla censeretur, (*ann.* 1341.) postulasse in comitiis calatis, ut eam ratam haberent, & ex filiis, quem vellent, successorem sibi designarent Ordines. Quod etiam impetravit. Regnasse igitur post eum, de populi assensu absque controversia, cum filium Carolum, tum nepotem Wenceslaum. A Wenceslai morte, (nullos enim habebat liberos) fratrem ejus Sigismundum Imperatorem, gessisse quidem se pro regni hærede, Bojemis proceribus nonnullis in hoc etiam ipsum adulantibus; quia tamen nova erat ejus hæc prætensio, atque is interea, nec exspe-

[8] *Chron. Elvvangense.*

exspectato legitimo Ordinum assensu ac vocatione, absque comitiis, arce Pragensi regia utraque occupata, & militum præsidio commeatuque communita, in paucorum Bojemorum præsentia, ac inter strepentia, (*ann.* 1420.) collecti[9] ex peregrinarum gentium colluvie, militis arma, coronam regni arripuit, difficilimos in perferenda, exemplo olim nocitura hac insolentia, ex nobilitate plurimos, tum inprimis Pragenses, esse expertum. Non solum enim à gerenda repub. ignominiose rejiciebatur, sed & electos Wladislaum Iagellonem, Witoldumque & Coributum, regni sibi æmulos ac adversarios objici dolebat.[10] Vix tandem anno quindecimo post, cum jam mutuis se vulneribus Bojemi attrivissent ipsi, pacis artibus magis, quam vi armata, ægerrime obtinuisse, ut violentia ista ac illegitima coronæ regni apprehensio sua, (*ann.* 1435.) conventu Ordd. frequenti, rata haberetur; ac decretum de se ad regni sceptra admittendo fieret. Morienti Sigismundo successisse populi Electione libera, vocatos ad regnum, ante Ferdin. I. ex familia Austriaca Albertum, à potiore nobilitatis parte, quatuorque & viginti Civita-

[9] *Dubrav. hist. lib.* 24. [10] *Dub. lib.* 26.

Civitatibus perseveranter recusatum, itemque post velitationes multas, ejus filium posthumum Ladislaum; ex Cunstataea Georgium; ex Iagellonica Wladislaum & Ludovicum, Reges quinque. Omnes illos fassos esse ipsos, ordinum se decreto ac electione libera, ad dignitatem regiam pervenisse. [11] Ferdinandum I. Ludovici sororii sororium & successorem, item Maximilianum ejus filium, ut & Rudolphum Matthiamque nepotes, eadem, non diversa via ac lege ad culmen in Bojemia regium conscendisse, id quod ex omnium illorum usurpatis eam in rem, cum prensationibus, tum scriptis documentis, cuivis sit obvium. Etenim Ferdinandum I. quamvis initio, *mere privata*, quaeque nec comitiorum decreto, nec sigillo regni publico vim legis unquam accepit Wladislai soceri, de Anna uxore dispositione (*ann.* 1510.) seductus, postulabat per legatos, ut cum uxore regni haerede naturali, Rex in dotale regnum, vi dispositionis ejusdem, & Viennae (*ann.* 1515.) factae

[11] *Silvius histor. Boj. cap.* 55. *Bonfin. decad.* 3. *lib.* 4. *Hagec. ad an.* 1453. 1458. *Wladisl. privilegia varia, & facta vice Ludovici Recognitio.*

factæ transactionis assumeretur; [12] cum tamen nihil suæ prætensioni isti ab Ordinibus deferri intellexisset, & aliquanto tamen post, ex renunciato ad se Electionis decreto, melius comperisset, Regem se oportuisse declarari, non hæreditarii juris cujusquam necessitate vel prætogativa, verum suffragiis populi liberi liberis, gratum id habuisse totum, & comprehensa literis Recognitione, publice esse professum, *quod Barones, Nobiles, & etiam Civitates, & tota Communitas Regni Bojemiæ, ex sua libera & bona voluntate, juxta libertates illius Regni* ELEGERINT *se in Regem Bojemiæ, non ex aliquo debito.* At vero confirmatum tandem in Regno, deque successore anxium, malis hominum turbulentorum, proditorumque patriæ nonnullorum consiliis esse usum, qui libertati Bojemorum illi in occulto invidebant, viasque ejus quoquo pacto opprimendæ circumspiciebant. Et quamvis complura, tam augendo domus Austriacæ splendori oportuna, quam evertendis Bojemorum privilegiis institutisque veteribus servientia, (*ann.* 1545. 1546. 1547.) extorta interea paulatim Ordinibus

[12] *Legator. Ferdin. ad. Bojemos ann.* 1526. *in comit. postulata.*

nibus fuere, animadvertisse tamen brevi post, Regem sagacem, malum fore diuturnitatis custodem metum, & ea quæ violentis rationibus istis, genti hæreditarios dominos natura aversanti extorsisset, nec diu duratura, nec apud posteritatem locum inventura. Ea propter neque Carolinæ declarationi, neque soceri dispositioni, neque obtrusæ ab se Ordinibus vel obreptitiæ Recognitioni posteriori fidere voluisse, sed comitiis Pragam (*ann.* 1549.) indictis clementissime postulasse, ut Maximilianus maximus natu filius, Rex Bojemiæ ab Ordinibus designaretur, & mortuo sibi successor declararetur. Assensisse post captum publicè consilium, postulatis Ferdinandi Ordines, & facta in ipsius præsentia liberæ electionis proclamatione, usurpaudorum Bojemici Regni insignium ac tituli, Maximiliano (*ann.* 1562.) potestatem fecisse, coronatione in patris mortem dilata, quæ anno post decimotertio demum fuit peracta. Lætum vero Ordinum voluntate tam prompta Maximilianum, per Henricum Vualdesteinium, (*an.* 1549.) itemque datis Vallidoleto literis (*an.* 1554.) prolixas iis (*an.* 1554.) egisse gratias, addita Recognitione, qua reipub. de ea ex legum præscripto olim gubernanda, cavebat.

vebat. Viciſſim, cum idem Maximilianus Rex, anno ab inauguratione ſua duodecimo, Ordines Bojemos pro more convocaſſet, Erneſtum filium, & VutatiſlaumPernſteinium in Bojemiam ab eo fuiſſe miſſos. Datum iis in mandatis fuiſſe, ut regni proceres privatis prenſationibus Rudolpho filio natu maximo conciliarent, quorum commendatione is, Rex à populo aſſumeretur ac declararetur. Sed cum Wilelmus Roſenſis regulus, clandeſtinis prenſationibus iſtis offenſus, palam dictitaret, Bojemicum diadema dignum probe eſſe, in quo petendo opera major collocetur; Bojemiſque in Regum delectu, eandem eſſe, qua Poloni gaudeant, libertatem; rejectos illos maſculo hoc reſponſo, ab incepto deſtitiſſe, atque ad Regem Imperatorem re infecta rediſſe. Maximilianum igitur demerendo Roſenſi per Richardum Streinium arcem Raudnicenam cum opido ac latifundiis univerſis obtuliſſe, & nihilo minus comitiis publicis (*an.* 1575.) ejuſdem filii ſui, eodem modo quo Rudolphus ipſe poſtea (*an.* 1608.) Matthiæ fratris, deſignationem ab Ordinibus precario tandem quærere habuiſſe neceſſe, & conditionibus certis impetraſſe. Rudolphi denique & Matthiæ Regg. confeſſiones,

siones, liberæ creandorum regum potestatis Bojemicæ testes, ut & Coronæ Regiæ ab Ordd. postulationes, (*ann.* 1608.) cum in transactione ad Pragam inter fratres facta, tum in mandatis, quibus legati ad comitia Pragensia missi Bojemo-Brodæ instruebantur, inque Recognitionibus, tempore quo Matthias Rex tum designandus tum inaugurandus erat, Ordinibus ab utroque datis, esse, repetito subinde liberæ *Electionis* vocabulo, expressas, quarum, quia plurium manibus teruntur [13] recitare verba nihil attineat.

XXVI. Accedere his omnibus tacitam hæreditarii in Regno Bojemo juris ab ipsis Regum liberis refutationem, quod inter eos inventus hactenus fuerit nemo, qui more in hæreditariis provinciis frequentato, Bojemiæ se principem vocaret ipse, vel à Patre, aliove quoquam vocari sustineret. Alioquin, nisi notoria esset legendorum pro arbitrio principum apud Bojemos libertas, neutiquam illos vel designationem coronamque à populo sibi obnoxio fuisse tam sollicite exposcituros, vel à principatus hæreditarii titulo abstenturos. Quin nec regem quidem hactenus ullum fuisse,

[13] *Deduct. Boj. in Allegat. N.* 61. 62.

fuisse, qui ab inauguratione sua, non regnum hoc suum, à provinciis, quas habebat, hæreditariis, loquendi etiam formulis distinxerit, quique Rex hæreditarius vocari gestierit.[1] quod si id quis vel maxime attentasset, Ordines procul-dubio fuisse, vel intercessuros, vel *hæredis* aut *hæreditarii* voces, non aliter quam ex vi stipulationis, qua, solenniter ab unoquoque ex Ordd. stipulanti in sua inauguratione Regi promissa fides ac subjectio, ipsos etiam promittentium hæredes perinde obligatos tenet;[2] vel pro. hærede paternæ spei ac sanguinis, non axiomatis; hæreditatis seu peculii ac patrimonii, non regni: aut certè non aliter quam simpliciter *Za Potomka*, pro successore vel possessore omnino accepturos, sicut videlicet eas olim in suis ad Ottonem Marchionem, & Frider. III. Imp. legationes accipiebant, &c, ut non raro eas in ipso jure quoque Cæsareo[3] accipi constat. Esse audaciam affirmandi non ferendam quod adversarii dicant[4] *Brati, vuzyti, przigiti, uznati krale,*

B &c Zuvo-

[1] *Speculum. Proscripti à Ferdin. Frider. pag.* 10. [2] *Constitut. reg. A.* 18. 3 *l.* 2. *ff. de bonor. possess. & l.* 138. *ff. de verbor. signif.* [4] *Ius hæred. Ferdin. II. pag.* 41.

& *zvvoliti krale*, in Bojemica lingua esse indifferenter æquipollentia. Nam quod inter *sumere*, *accipere*, *acceptare*, *agnoscere Regem*, & *eligere* seu *deligere Regem*, discrimen Latine loquentes statuere cunque velint, idem revera in Bojemica lingua, si nativam vocum significationem servemus, esse statuendum. *Diediczny* & *Woleny Kral*, Bojemis κατὰ πόλεμον tam inter se opponi, quam Latinis *hæreditarius* & *electus Rex*.

XXVII. Necesse quod moremur, si quis in consequentiam juris hæreditarii trahat, quod in hujus regni principatu, maximam partem ejusdem stirpis ac sanguinis principes, alii aliis successerint. Idem agi in Imperio Germanico, quod inde a Sigismundi Imperatoris obitu ad hunc usque diem, totis fere annis ducentis, non nisi ab unius familiæ Impp. fuit administratum. Videri idem in Vngariæ Poloniæque regnis. Et actus quosvis, esse ex agentium intentione dijudicandos, contractusque ex contrahentium proposito vel destinatione regulandos. Ingratitudinis esse indicium, & inceptum absurdo absurdius, ex mere voluntaria ac liberrima facultate, contra agentium mentem voluntatesque, facere velle necessitatem. Quod rex alter alterum ex eodem genere exceperit, virtuti-

bus id, & innato erga regiam prolem Bojemicæ nobilitatis studio esse adscribendam.[5] Merita hic regum, non hæredes, in filiis coronari. Fieri porro id, quia libet, quia expedit, non quia oportet. *Εἶναι βελτίους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων.*[6] Videntur sanè jura majestatis regnaque proclivius conservari, quæ ab avis & majoribus accepta erant & custodita. Acutè à Bodino[7] ac verè scribi, quod tametsi Bojemi, Poloni, Dani, Tatari NULLA VI sibi Regum creationem eripi patiantur, filios tamen omnibus anteferri putent oportere, ut successionis beneficio bellorum civilium stirpes elidantur. Ex constante ergo tot seculorum observantia, luce meridiana clarius jus illud esse, quod Bojemi eligendis voluntate populi libera suis Regibus jam olim usu se cepisse, & hodie quoque integrum habere contendunt.

XXVIII. Observantiam hanc diuturnam illustribus etiam inclytorum Ducum & Imperatorum, Sobieslai nempe senioris, Philippi, Friderici II. Caroli IV. aliorumque, diplomatis esse Bojemæ genti confirmatam. Publicis videlicet

[5] *Besold. de successi. regia l. 1. dissert. 1.*
[6] *Aristot. polit. l. 3. c. 8.* [7] *Bodin. lib. de repub. 6. cap. 5.*

delicet id genus Instrumentis, confirmatum saltem fuisse creandorum suffragiis principum morem patrium priscum, ac approbatam, non datam tum primum genti, usitatam hanc perpetuamque observantiam. Neutiquam scilicet opus sibi vel olim fuisse, vel hodie esse privilegiis ullis aut concessionibus, acquirendo demonstrandove ei, quod inde à primis originis suæ authoribus, accepissent, habuissent, & quo studiosissime usi semper fuissent. Et primum quidem à Sobieslao Bojemorum Duce, consentiente populo universo, comitiis calatis, deliberatione matura, tempub. Bojemam accuratius fuisse ordinatam, & lato de creandis in posterum principibus Bojemis decreto fundamentali, lege æterna cautum, (ann. 1135.) ut *Vacante principatu Bojemio, Barones, Equites, Civitates, Præfecti sive ecclesiastici, sive seculares, ac clientes provinciæ, Pragam convocentur ad diem universi & votis consentientibus principem intra triduum eligant. Quod si in partes scindantur, nec convenire inter se possint, tum eum vocem habere, principemque declarari debere, quem Senatus & Civitas Pragensis suffragio approbasset. Principem porro electum, priusquam rempub. capessat, adeoque quam primum Pragam sit ingressus, Baronibus, Equi-*

Equitibus, Civitatibus, de ratis habendis tuendisque eorum jurib. ac libertate, debere sacramento cavere. Si quando vero Princeps vim ab hostibus inferri provinciæ sinat, injuriamque istam ac dedecus negligat, Ordines tum universos, nec viritim ei, nec obsequiis ullis amplius teneri, nisi emendet, ac præstito ante magistratum initum sacramento satisfaciat.[8] Regnante porrò Wladislao I. fuisse, fundamentalem legem hanc repetitam, ac (sicut in Regis Vuladislai II. apud Cutnam electione (*ann.* 1471.) ex producto à Pragensibus ea de re digno fide documento vetusto, itemque subsequuta Recognitione regia constat,) definito habendis post regis cujusque mortem id genus conventibus, tempore loco que certo, ex populi omnis assensu auctam, adeoque etiam tabulis regni insertam. Iurare præterea in eam solitos Duces Regesque Bojemiæ posteriores omnes. A Philippo Cæsare, Bojemis ob Przemysli Ducis, gentisque fortitudinem (*ann. praterpropter* 1200.) non solum Regem ex Duce salutatum, verum & privilegio insigni, eligendorum regno temporibus æternis Regum potestatem, magnis principum Imperii acclamationibus

P 3

[8] *Hagecius ad dict. ann.*

nibus Moguntiæ esse roboratam.[9] Hoc tamen ipso, principum Bojemorum dignitati, non usitatæ in optando magistratu summo, gentis libertati, novi aliquid accessisse. Imp. Cæsarem Frid. II. avi patruique vestigia prementem, privilegio similiter luculento Bojemos ornasse, (*ann.* 1212.) voluisseque in perpetuum, ut QUICUNQUE AB IPSIS IN REGEM ELECTUS *fuerit, ad Imp. accedat, regalia* DEBITO MODO *recepturus.*[10] Velle videlicet Fridericum, ut principes Bojemorum omnes, sint posthac, & salutentur, non, sicut antehac, Duces, verum Reges; & id quidem, non qui hæreditatem paternam creverint, sed qui ad dignitatem, populi Bojemi electione pervenerint. Carolum IV. Imp. cum stabiliendæ in Germania paci Bullam Auream (*ann.* 1356.) Noribergæ conderet, similiter privilegia hæc de libera Ordd. Bojemiæ in præficiendis regno Regibus, electione, solenniter confirmasse, cum attestatur,[11] *Vacante regno, Bojemiæ regnicolas* jus habere

9 *Hagecus ad an.* 1200. *Buxdorf. in Dissert. ad Aur. Bull. thesi* 82. *Dresser. millenar VI. part. secunda.* [10] *Hagecus ad an.* 1212. *Deduct. Alleg. pag.* 41. [11] *Aurea Bulla cap.* 7. §. *si vero al.*

habere eligendi Regem *Bojemiæ juxta continentiam eorundem privilegiorum*, & observatam consuetudinem diuturnam. Ius autem illud Regis eligendi, ex diuturna eaque observata consuetudine à populo Boj. nec quæri nec haberi potuisse, nisi regnum multo ante Caroli Imp. ævum aliquoties vacasset. Vacasse porro id non quod Reges liberis caruissent, vel dignitati sponte renuntiassent, vel exturbati à potentiore fuissent; sed quod morte exstincti, locum successori à regnicolis eligendo vacuum reliquissent. A Wladislao rege ejus nominis in Bojemia secundo, cum dissidentibus adversus nobilitatem Civitatibus, sedens pro tribunali jus aliquando redderet, legem regiam esse latam, [12] ut posthac ab Regis cujusque obitu Regi electione creando comitia intra mensem habeantur. Nec tanti esse æstimandam, vel aliam Caroli Bullam, illam privilegii Fridericiani, (quod bona quorumvis pace sit dictum) elusoriam magis quam declaratoriam; vel ea vetustiorem Rudolphi I. de Bojemico Electoratu Attestationem Imperatoriam; vel bellum Smalcaldicum; vel Regum fortasse Bojemorum offensas; ut concessiones tam

P 4 inclytas,

[12] *Decision. Wlad. R. an.* 1502. §. 1.

inclytas, ac pacis in Imperio conservandæ basin unicam, uno quasi ictu rescindant, vel ob privata cujusquam emolumenta, caussamve quamvis aliam, ratione ulla convellant. Declaratoriam certe Bullam istam, (*ann.* 1348.) esse multis modis vitiosam. Præterquam enim quod interpretationem non sumit à consuetudine, esse factam præter Bojemorum intentionem, à diversum rogato, nec reipub. sed caritatibus domesticis prospiciente Carolo necdum Imperatore; abrogatam ab ipso, cum privilegiorum Bojem. confirmatione eodem die, tum initis postea (*ann.* 1366.) reciproco contractu, cum domo Austriaca pactis contrariis, quæ & ipsa quoque jam olim sunt Georgio Regi ab Imp. Friderico III. cæterisque Austriacæ stirpis principibus (*ann.* 1558. & 1462.) remissa, resignata ac abolita; adeoque rejectam etiam à Bojemis per complures actus contrarios. Et sane, qualis qualis est, sibi eam ipsi repugnare, cum confirmatam à Frid. II. Bojemis regum legendorum libertatem, nunc ad defectum tam masculini quam fœminini regum sanguinis restringit; nunc, *per quemcunque modum vacare contigerit regnum, ad Prælatos, Duces, Principes, Barones, Nobiles & Communitatem regni & pertinentiarium ejusdem,*

rite, juste, & legitime, in perpetuum pertinere concedit. Attestationem Rudolphi I. (*ann.* 1290.) Ethphordiensem, esse ex eo rerum genere, quæ non multum sint expetendæ. Imperatorem enim hunc cum Ottacaro Regi patri, quæsitas (*ann.* 1262.) legitimo investituræ Cæsareæ titulo provincias tres nobilissimas, Austriam nempe, Stiriam, & Carinthiam, (*ann.* 1276.) per vim dolo mistam, eripuisset, & mortis ei se caussam (*ann.* 1278.) dedisse doleret, [13] Wenceslao filio, in generum jam quoque adscito, Regi tum ob ætatem (annos is explebat demum viginti,) demulceri adhuc oportuno, in compensandæ injuriæ paternæ vicem, ludicro isthoc, fucum facere non intempestivum duxisse. Hæredum Regis generi jura inculcare ipsum hoc diplomate tam operose, ut de jure ac libertate Bojemica vel opprimenda cogitasse ipsum, vel non, quemadmodum oportuit, probe informatum fuisse cognosci queat. Dicere namque hic ipsum non potuisse, vel à Rege, vel à populo Bojemo, se, ut id testaretur, fuisse interpellatum. Titulos videlicet dignitatis dare, quam vitulos reddere, oppido fuisse

P 5 satius;

[13] *Annal. Henr. Sterenis. H. Mutius lib.* 21.

satius; si tamen is quicquam tibi dedisse est censendus, qui ex asse, quam ante habeas, unciam vel sextantem quoque decerpat. Nec enim nihil esse, quod quidam quærunt, an non honor Regum Bojemiæ ac dignitas major tum fuerit, cum ii ex Ottonis IV. constitutione (*ann.* 1209.) convenientibus ad diem, creandi Romanorum Regis caussa Imperii Electoribus, in ipsorum collegio sessitabant diffidentium votorum arbitri, quam cum ex Rudolphina hac Attestatione collegarum loco esse cœperunt? [14] Bellum Smalcaldicum quidem, (*ann.* 1547.) sicut Germaniam, ita & Bojemiam calamitate multis nominibus lugenda involvisse, Aureæ tamen Bullæ Carolinæ posterioris, ne vel unum ἰῶτα dispunxisse vel imminuisse. Bojemum per id tempus Regem, vulgatis toto regno, ac paulo post etiam typis descripto volumine uno comprehensis suis edictis, citationibus, pro tribunali accusationibus, condemnationibus, palam certe fecisse, offensæ, quam vindicare constituisset, caussam, perduellione (ut interpre-

[14] *Goldast. Constit. tomo 3. Fascic. temporis ætate sexta ad an. 1004. Chron. Boleslavien. cap. 48. Petr. de Andlo de Imp. Rom. lib. 2.*

terpretabatur, dedisse ex Ordinum regni corpore proceres, equites, civitates sane complures, sed regni tamen corpus totum nequaquam. Novum igitur non immerito posse videri, quamobrem non solos authores suos tenuerit pœna, sed evagata etiam latius, ad regnum totum redundarit? aut quamobrem dispositp passim ad terrorem in armis milite, conventu Ordinum non suo, in publico legum provincialium Codice, non tantum usitatæ [15] juramentorum formulæ insolentibus heredum regiorum auctariis interpolabantur, verum etiam, custos libertatis priscæ de regibus creandis [16] lex regni vetus & fundamentalis, antiquabatur? nova, & illa certe ad casum incertum, ad ἀνωνυμόγραφους scripturas nescio quas, Imp. Caroli IV. Bullam, Wladislai Regis diploma, & ad Regis ipsius, qui ea tum jubebat, Literas alligata, verbis elusoriis surrogabatur? Multas in regni tabulario à Bojemis legi Caroli Bullas aureas, multa Wladislai diplomata, non unas hujus Regis literas: quamobrem, quæ Caroli Bulla, quod Wladislai diploma,

---

[15] *Ius provinciale Vetus mihi Octernione H. vij. O. x. Novum B. iij. vij. viij.*
[16] *Ius provinc. Vetus mihi O. iij. b. & O. xj. a. b. Novum A. j. B. xx.*

ploma, quæ Regis Literæ hîc debeant intelligi, non est disertè expressum? Quotumquemque inter Ordd. tum fuisse, qui liberè, quod sentiret, dixisse, qui hæc (ut jam adversarii interpretantur,) non de alia, quàm de vitiosa illa Declaratione Carolina, quàm de privata, nec publicè unquam pro lege ab Ordd. agnita Wladislai de liberis Dispositione, quam de Recognitione Ferdin. I. post annum à coronatione sua duodevigesimum obreptitia, accepisse possit credi? hoccine fuit, velut Ioh. Sambucus [17] arbitratur, libertatis amplitudinem castigare? annon hæreditario dominatui sensim invehendo, æquivocatione, novationibusque id genus fuit usus? Quæ si; vel his forte graviora recentiora, tantopere quem terreant, ut Bojemos fuisse aliquando Troes lugeat, eum cogitare debere, domitos esse ut pareant, non ut serviant. Posse olim surgere ætatem, quam melior fortuna sequatur; Et, neminem populum diutius ea conditione esse posse, cujus eum pœniteat, [18] quodque vi vel metu fit, à Prætore non haberi ratum.

XXIX. His obiter ad hunc modum productis, succedere Pontificum Romanorum, principumque exterorum, de Boje-

[17] *Orat. in obit. Ferd. I.* [18] *Livius l. 7.*

Bojemica in regibus optandis libertate consentientia judicia. Clementem Papam interpellatum à Bojemorum rege Iohanne, de danda Archiepiscopo Pragensi consecrandi Reges Bojemos facultate, gratificatum ei esse, & Bullam Avenione (*ann.* 1343.) edidisse, qua Archiepiscopo eidem, inaugurandorum ritu solenni, haudquaquam pro hæredibus se gerentium, sed futuro tempore quovis *electorum*, in Bojemia Regum, potestatem facit. Diserte enim ab ipso statui:19 *ut Archiepiscopus Pragensis, qui est, vel erit posterioribus temporibus, concessa sibi ab Apostolica sede facultate, prædictos Bojemiæ Reges, in fide & religione, Ecclesiæ Romanæ addictos*, qui Electi fuerint, *ungere, coronareque cum solennitate ad id requisita possit.* Eandem præterea Bullam esse testem, Iohannis Regis non diversum quoque in hac caussa fuisse judicium, ut qui (Clemente recensente,) studiose & humiliter orarit, *ut Reges Bojomi, qui tempore posteriore fuerint ad Regnum* ELECTI, *sua unctionis coronationisque solennia, ex manibus Archiepiscopi Pragensis, qui pro tempore esset futurus, sumere possint.* Eugenium quartum una cum Synodo, quæ tum Basileæ conve-

19 *Hagec.*

convenerat, ad Albertum Austrium Sigism. Imp. generum, & Cazymirum Polonum, electos in dissidio Bojemiæ Reges, Oratores quidem de pace suos, Wratislaviam misisse, quam. cum ii plene conficere non possent, multis hinc inde jactatis, *(ann. 1439.)* rem eo perduxisse, ut potestas fierit Bojemis, *denuo quem vellent regem creandi*, id quod tamen mors Alberti regis abruperit.[F] Pium pontificem, rerum Bojemicarum inprimis scientem virum; scisse probe quod Georgius Rex, unico electionis, nullo hæreditatis, titulo, ad Regnum Bojemiæ fuerit à Regnicolis vocatus, ut legitimum tamen Regem eum ad conventum Mantuam *(an. 1458.)* invitasse, & Wratislaviensibus præcipiendo *(an. 1459.)* mandasse, *ut desistere à calumniis omnibus vellent, & ita se erga eundem* REGEM *habere, ea non denegando, quæ ei deberentur jure.* Sixtum IV. cum Imp. Fridericum III. ob investitum Wladislaum Regem increpabat, deserte scripsisse *(ann. 1477.) quod nemini sit dubium solos proceres. Bojemos qui sint Catholici, & à quibus Matthias Corvinus antehac fuit in Regem* ELECTVS, *habere legitimam* [illegible] Regis

---

[F] *Ant. Bonf. rer. Vngaric. decad.* 3. *l.* 4. *Cromer. de Orig. Pol. gent. lib.* 21.

Regis eligendi potestatem, & Sedem Apostolicam ex authoritate sua potuisse pronunciare ELECTIONEM *Wladislai Poloni*, propterea *quod ab hæreticis fuerit facta, de jure esse invalidam, & quæcunque in electione* ISTA *essent decreta vel constituta, vim nullam habere*. Principum aliorum de Bojemorum in optandis regibus libertate, ac jure manifesto cognosci judicia, ex eorum expeditis ad Bojemos legationibus, quibus in comitiis creando Regi dictis, orando, prensando, pollicendo, largiendo, haberi sui suorumque rationem postulabant, coronamque ambibant. Fecisse id Impp. Albertum (*ann.* 1307.) pro filio Friderico, Henricum VII. (*ann.* 1310.) pro fratre Waltramo, Sigismundum (*ann.* 1437.) pro Alberto genero, Carolum Galliarum Regem (*an.* 1458.) pro filio: & pro se vicissim quemque, Fridericum nempe III. Imp. Cazymirumque Poloniæ, & Matthiam Vngariæ Reges, Wilhelmum Saxoniæ, Sigismundumque & Albertum Austriæ, (*ann.* 1471.) ut & Wilhelmum Ludovicumque Bavariæ Duces, (*ann.* 1526.) quosdamque alios, qui, si hæreditate reges regno obvenire judicassent, neutiquam in tanta Bojemici sanguinis regii principum, sexus utriusque multitudine, invadendæ hæreditati

alienæ,

alienæ, in totius orbis conspectu, tantopere invigilaturos fuisse. Poloniæ Regem Wladislaum, [2] factam Cazymiri fratris electionem Bojemicam, non modo pro legitima agnovisse, sed & in Albertinorum de ea repudianda missorum ad se legatorum conspectu, impeditum eam negasse. Invitato ad sceptra Bojemica Alberto Bavaro, in capessendis iis obstitisse, non tam hæreditatis alteri debitæ opinionem, quam distractam in studia contraria gentis religionem. Etenim eum (*ann.* 1440.) cum electionem de se factam renuntiassent legati, & articulos religionis Bojemicæ in quos consentiret, recitassent, Bojemica lingua (ut fertur) respondisse: *Si quis stans districto telo, me aut vitam deponere, aut in articulos istos consentire juberet, vitam amittere, quam consentire malluero:* Egisse denique genti toti gratias, nec dignitatem, quæ offerebatur, gratam habuisse. [3]

XXX. Iam vero quod Pontifices Romani, Imperatores, principes, adeoque Reges etiam quidam Bojemiæ vel regnicolæ ipsi, in Bullis, Rescriptis, pactionibus, contractibus, literisve suis, hæreditatis

[2] *Bonfin. decad.* 3. *lib.* 4. [3] *Hagecus Specul. Proscr. Frid. pag.* 138.

tatis & hæredum regiorum Boj. faciebant quandoque mentionem, notariorum id incogitantiæ ac oscitantiæ esse imputandum. Abreptos namque stylo Curiæ aliàs apud Reges populosque hæreditarios recepto atque frequentato, in his esse hallucinatos, nonnullos præterea non tam axiomatis quam sanguinis hæredes scribendo intellexisse. Sed & clausulas id genus, quæ ex notariorum consuetudine apponuntur, parum operari, à Collegio I.C. Bononiensi, esse jam olim in caussa Finariensi responsum. [4] Nec nihil esse, quod uni hujus generis literario instrumento, sexcenta, tum vetera tum recentiora, possunt opponi, quæ in materia alioquin competenti, hæredes prorsus fuisse præteritos ostendunt. Si historiam quis, sive domi, sive peregre scriptam, velit evolvere, & omnia quæ ad hanc caussam facientia occurrerint allegare, habiturum testium pelagus patentissimum. Cosmam, Hagecum, Dubravium, domesticos; Mutium, Bonfinium, Cromerum, Roo, peregrinos, esse instar omnium. Passim ab illis doceri Bojemos jus liberum habere Regum populi suffragiis regno præficiendorum, & jure etiam hoc suo, quoties casus tulit, Q semper

[4] *Iac. Menochius Resp. in caussa Finar.*

semper usos esse libere. Cosmam [5] referre, quod cum Przemyslus ad principatum accerseretur, his ipsum legati compellarinr verbis: *Domina nostra Lybussa, & plebs universa, mandat ut cito venias: te ducem, te judicem, te rectorem, te protectorem, te solum nobis Dominum* ELIGIMUS. Referre porro eundem (*An.* 1037.) *semper in Ducis* ELECTIONE *fieri, ut decem millia nummorum, aut plus, in populum spargantur. Zpitihnevum omnes Bojemicæ gentis magnos & parvos*, Communi consilio, & volunrate pari, (*ann.* 1055.) *elegisse sibi in Ducem.* Imperatorem cum pecunia ab Vldrico expugnabatur, dedisse quidem ei *ducatus insignia & vexillum*, (*ann.* 1101.) *sed in Ducem* eligendi optionem *posuisse in arbitrio Bojemorum.* Et, Vldricum sane expostulasse cum proceribus per legatum de repulsa, ac contendisse ur, quia Borzivogio esset ætate major, pro patriæ more, admitteretur ad principalis sedis honorem; operam tamen perdidisse, nec ejus prætensionem quicquam apud proceres valuisse. Svatopluco in castris ad Glogovum ex insidiis cæso, postulatum à quibusdam, & ab Imp. Henr. in Ducem evectum fuisse (*ann.* 1109.) Othonem occisi

[5] *Chron. lib.* 1. 2. 3.

cisi fratrem, *sed quia id sine consensu Bojemorum fiebat, frustra fuisse eorum temeritatem*, recitatoque in concilio decreto priore, *Wladislaum qui Svatopluco principatum* ineunte jam tum votis universorum successor ipsi designatus erat, *jura principatus jure adoptata*, omnibus assentientibus *obtinuisse*. Dicere praeterea authorem, ex ipsius se Sobieslai principis ore audisse, cum ad frequentes tum in palatio Wyssehradensi Ordines queribundus diceret (*an.* 1130) [6] *O Boemienses proceres, non laudo, neque extollo me, sed veritatem dico; Vivente fratre meo Duce Wladislao, neque scuto, neque alia vi, istum Ducatum percepi, sed* DEI misericordia & electione *fratris mei adhuc viventis* vestraque omnium *sum adeptus, hacque ratione & justitia, me juste & rationabiliter arbitror possedisse*. Silvium scribere quoque his similia. [7] Legatos nempe qui à Libussa & populo Czechico ad Przemyslum erant ablegati in hanc ipsum sententiam fuisse affatos; *Salve bone vir, quem nobis superi dederunt principem. Solve boves, atque ascenso equo, nobiscum venito; Libussa te virum, Bojemia Ducem poscit.* [8] Confessio apud

Q 2 Holo-

---

[6] *Paraleip. Cosmae.* [7] *Hist. Bojem. cap. 6.* [8] *cap. 30.*

Holomucium Wenceslao Rege, *venisse forte Pragam, ducem Carinthiæ Henricum; hunc Bojemos Regem sibi delegisse. Ferentem vero id ægre Albertum Imp. repente coactis copiis Bojemiam esse ingressum, Henricoque regno deturbato, Rudolphum filium suum Regem constituisse.*[9] *Qui cum absque liberis* (Ebendorferus[10] Canonicus & Professor Viennensis relictum ab eo tradit fuisse filium, qui tamen ne glebam terræ Bojemicæ à patre hæreditatis jure acceperit,). *primo regni sui anno decessisset, dissentientes inter se Bojemos, alios Fridericum Rudolphi fratrem, alios Henricum, quem dejecerant, petiisse; Vicisse Henrici factionem.* Ab Imp. Regis Alberti morte,[11] *Bojemos, qui ejus caussa, inter se dissidebant, apud Pragam convenisse, atque ad* eligendum novum Regem, *ad* VIII. *Calend. Maias diem statuisse.* Dubravium[12] esse quoque in hac hæresi, & diserte scribere, Bojemis post abrogatam Borzivogio dignitatem, turbulentissime inter se agentibus, *coisse tandem gentis Senatum, & de principe vel revocando, vel novo deligendo consilium iniisse: paucis revocari* Borzivo-

[9] 31. [10] *Chron. Austriac. lib.* 3. *ad ann.* 1307. [11] *Silvius cap.* 57. [12] *Hist. Boiem. lib.* 4. & 8.

Borzivogium placuisse, caeteris omnibus vociferantibus, ab aratro potius rusticum quemvis, quam Borzivogium, Deorum ipsorum contemptorem, ad principatum revocandum esse. Pragam à funere Zpitihnevi; Wratislao, Conrado, Othone, convenientibus, in eo conventu ab omnibus Ordinibus Wratislaum post Zpitihnevum natu maximum, Bojemiae principem fuisse declaratum. [13] *Vita excedente Conrado principe, haesisse in ambiguo diu Ordines, num Brzetislaum ab exilio ad regnum paternum revocarent, ut cujus etiam tum veteres mores suspectos habebant, an domi potius eligerent unum aliquem ex fratribus ejus, qui regnaret.* Interfecto apud Glogovum Svatopluco, & Othone ejus fratre à quibusdam, Waceco authore, in castris principe lecto, *Hermannum Pontificem, & Fabianum palatii arcis Wyssehradensis tunc Palatinum deplorata in comitiis Svatopluci caede sicaria, haud minore dolore fuisse questos*, de electione *in castris facta, contra majorum instituta moremque veterem, dein contra jusjurandum, quo fidem suam Wladislao obligaverunt, ne ad aliud quam ad ipsum post obitum Svatopluci, principatum deferrent. Huc fluentibus non solum* Ordinum

Q 3 pra-

[13] *Hist. Boj. lib. 9.*

praestantiorum, sed etiam popularium animis, ipsum etiam Othonem cum aliis, *Wladislaum* principem salutasse. Cum autem Borzivogius exsul à Wladislao hoc principatum, ut frater natu major, repeteret, rejectum fuisse ad Ordines, & hoc à Wladislao retulisse responsum; *Non esse rem privatam, quam Borzivogius peteret, sed ad universi populi suffragium illam pertinere. Proin haud ab uno fratre, sed ab* omnibus Ordinibus *principatum esse ambiendum, quoniam id demum firmum, stabileque futurum fuerit quod communi consilio decretum esset.* [14] *Cum, persolutis defuncto Wladislao fratri justis, ad ineundum principatum Sobieslaus Pragam venisset cum uxore, Othonem ei prius de arce Vicegrado non cessisse, quam comperit principalibus comitiis illum* omnium Ordinum consensu principem declaratum fuisse. [15] Cum ad sedandam conflatam à Sobieslao, sibi & Friderico filio in Cæsaris aula invidiam, legatos ad Cæsarem misisset Wladislaus Rex, exorasse illos aliud nequiisse, *nisi ut Rex Wladislaus vel ipse regnum continuaret, vel daret* liberam Bojemis eligendi successorem potestatem. [16] *Conradum ex Asia reducem, cum nuntium in*

[14] *Dubrav. lib. 11.* [15] *lib. 13.* [16] *lib. 14.*

in itinere accepisset, Friderico mortuo principem se Boemiæ ab Ordinibus declaratum esse, *vertentem se ad suos dixisse; Nunc bene navigavi, postquam naufragium feci, unde ad principatum usque emersi. Henrici-Brzetislai corpore Doxanos illato*, de Successore in comitiis *fuisse* ab Ordinibus variatum, *primoribus ad Przemyslaum, uti cæteris ætate priorem, inclinantibus*; alia *nobilitate* cum ipsis civibus *Zpitihnevo adolescenti*, ob memoriam *Cunradi suffragantibus: Obtinuisse tandem sententiam qua Przemyslai frater Wladislaus de custodia ereptus, princeps constituebatur.*[1] *Confisso Holomucii Wenceslao Rege adolescente, Boiemos Pragam in domum Episcopi ad jus comitiorum coiisse, summaque contentione* de Rege eligendo certasse, *aliis peregrinum regem penitus aspernantibus*, aliis *inter Rudolphum Cæsaris Alberti filium, & Henricum ex Carinthia, qui præsens aderat, variantibus.*[2] Albertum Austrium Sigism. generum, compositis Budæ rebus, in Bojemiam acceleraſſe *ut* electionem *ibi de se factam præsens comprobaret, confirmaretque contra omnes qui ab illa non solum* dissentiebant, *sed alium jam sibi* Regem, *plane puerum* delegerant. Exstincto

Q 4 morte

[1] lib. 19. [2] lib. 28.

morte Ladislao rege, *majore quam unquã ambitu comitia regis creandi in Bojemia caluisse, adeo multos magnosque competitores fuisse, qui illa calefaciebant.* [3] *Sed non defuisse Gubernatori providentiam ad cavendum, ne prius ulli Oratores in Senatum vocarentur quam* Rex futurus deligeretur. *Locum* eligendo regi *fuisse in domo prætoria Veteris urbis constitutum.* Imbecilliorem aliquando corpore Georgium Regem, ac de Regni successore solicitum, vocasse *ad se primores ex omnibus Ordinibus, scireque ex illis voluisse, quid de Regis, successoris in regno sui caussa agere, quemve regem sibi legere destinassent; cumque illi apud Polonos Regem esse quærendum respondissent*, dejectum *de spe succeßionis suorum, satagisse modis omnibus, ut dites atque opulentos filios relinqueret.* Eo vita functo [4] ob varias *omnium tunc Ordinum voluntates, placuisse, ut comitia Regis creandi ad Montes Cutnenses transferrentur. Rosinsem, Sternbergium, NovoDomæum regulos, contentißima suffragatione Matthiam juvisse: Sed majorem numerum Wladislaum Cazymiri Poloniæ Regis filium, etiam tum adolescentem, nullarumque partium factionibus per ætatem infectum,*

[3] Dubr. lib. 30. [4] lib. 31.

infectum, Regem popoſciſſe, *numeroque prævaluiſſe*, Hagecum ſcriptorem,[5] (ſicut & Dubravium nuper) domui Auſtriacæ conſecratum, rem iſtam multo quam alios crebrius inculcare. Ex permultis ipſius narrationibus hæc hominibus contentioſis oculos vulnerare cum perhibet: (an. 721.) *Libuſſam concitatæ à Rohonio, adverſus regimen muliebre ſuum, Bojemorum nobilitati injunxiſſe, ut ad diem, quem principi eligendo primo quoque tempore eſſet conſtitutura*, Libiui *ſibi præſto ſint omnes. Rem ſi ipſorum arbitrio velle permittere, ut quem dominum populo elegerint, ipſa habeat maritum. Morem ſi ei geſturam, obſequio, quam ab iis ipſa ſit experta, haud paulo majore.* Vocatis igitur ad diem, Divûm de principe optando reſponſa ediſſeruiſſe, ac legationis, qua electio ei denuntiaretur, ad Przemyſlum ocyus cum muneribus deſtinandæ monitricem fuiſſe. Legatos, cum equo duce ac indice principem novum repererunt, Libuſſæ, cognominatique à Czecho populi omnis nomine, his eum verbis compellaſſe; (*ann.722.*) *Salve, & ſolve boves, princeps lectiſſime, ſolve: Libuſſa domina noſtra, & populus Czechorum omnis, jubent te venire* Q 5 *abſque*

[5] *Chron. Bojem.*

absque mora, ac fasces principatus sumere; res nostra universorum, nosque adeo ipsi, in tuis sumus manibus: te principem, te judicem, te rectorem, te defensorem, te dominum solum elegimus. Vltimo tandem principatus (*ann.* 745.) anno correptum morbo gravi Przemyslum, convocasse Optimates, & quod *princeps olim ab iis esset* electus *magnas egisse gratias, orantem ut eandem Nezamyslo filio vellent servare fidem. Spe autem bona ab iis impletum, vitæ finem fecisse, & Nezamyslum principem* electum *in ejus solio ducali fuisse collocatum.* Sic *Nezamyslo decedente,* (ann. 783) *Optimatum mandato convenisse multitudinem omnem, &* elegisse *concordibus cunctorum votis in principem Mnatam ejus filium, sic Wogenum, Ostromeczio* (ann. 804.) *accersitum, fuisse* electum; *sic cum Wogenus* (ann. 832.) *fatis concessisset, convocato populo universo, disceptatum inter Optimates ac primores, utri è duobus ejus filiis committenda esset rerum summa: conventu frequenti populum* (ann. 873.) elegisse *principem, & in principali solio collocasse Neclani filium Hostivitum. Borzivogium principem* (ann. 890.) electum, *cum paulo post ritus sacrorum veteres abjecisset, concursu populi facto, fuisse de dignitate* (ann. 894.) dejectum, *sed*

sed post multiplices, etiam cruentas consultationes, quarto anno post (ann. 898.) *revocatum. Zpitihnevo mortuo, & Borzivogio sceptra quæ abdicarat resumere abnuente,* (ann 907.) electum, *rebusque impositum fuisse Wratislaum: Wratislai hujus filium & successorem Wenceslaum in palatio Wyssehradensi conventu procerum frequenti* (ann. 921.) *dixisse ad matrem; Esse se videlicet patris voluntate ultima relictum patrimonii heredem, ab Optimatibus vero primoribusque & melioribus terræ universis* principem electum. *In Boleslai Sævi locum fuisse* (ann. 967.) electum *ejus filium cognomento* Lenem *Boleslaum.* Post fata Brzetislai Pugnacis; Bojemos *cum conventu ad Wyssehradum publico Brzetislai principis testamentum deliberatione matura expendissent,* (ann. 1055.) elegisse *sibi principem, voluntatibus consentientibus, Zpitihnevum defuncti filium natu maximum. Ab ejus morte fratrem Wratislaum, unanimi cunctarum voluntate* (ann. 1061.) electum *fuisse principem.* Cum Otto à quibusdam, Waceco suasore, princeps in castris apud Glogovum postulatus, Pragam inaugurationis ergo esset *(an. 1109.)* adductus, *fuisse ab Optimatibus & multitudine cætera, insolentia isti intercessum, &, quia præter assensum populi publicum, absque mandato*

mandato VVacecus cum Theodorico rem eam essent ausi, decretum factum, ut temeritas ista, nec locum, nec vim ullam obtineret. Via igitur juris & populi universi electione. *pervenisse ad culmen hoc dignitatis VVladislaum, Svatopluci jam olim designatum successorem. Morienti porro huic VVladislao, maxima Bojemorum universorum congratulatione*(ann. 1125.) *suffectum fuisse Sobieslaum fratrem juniorem. Hunc cum de structis vitæ suæ insidiis questurus, concionem* (ann. 1130.) *aliquando advocasset, verba ad primores populi facientem dixisse;* Vobis me vos, vivo adhuc Wladislao meo fratre dominum elegistis; *locum itaque hunc dignitatis adeptus sum* D E I *misericordia &* vestra electione, *ac devolutionis æquitate. Defuncto vita Sobieslao exarsisse in populo creandi caussa principis, turbas ingentes, aliis in alium inclinantibus, postremo tamen (ann.* 1140.) *convenisse Naczeradi prudentia universos,* & elegisse *principem VVladislaum VVratislai Regis ex VVladislao filio nepotem.* Wladislai hujus filium Fridericum, gratia populi excidisse, & Bojemiæ finibus vel ingratiis excessisse. *Eo (ann.* 1182.) *discedente proceres sibi* elegisse *dominum ex Moravia Cunradum. Ducem. Inferiis Henrico-Brzetislao principi Doxanis cum luctu*

ilictu peractis, (ann. 1197.) *convenisse regni primores, & de principe* eligendo *tractasse: Przemyslum & VVladislaum fratres productos fuisse ut Candidatos. Hunc ex custodia extractum, & in dominum* electum, *rerum accepisse habenas, illum ne injurias acceptas vindicaret, præteritum, vicem ejus miserantibus ex nobilitate tenuioribus plerisque. Fridericum Imp.* (*ann.* 1212.) *fecisse in dicta Basiliensi Bojemorum regi eam gratiam, ut ipse & ejus successores, regia dignitate ornarentur,* non Cæsarum munere sed populi sui electione. *Iubente Przemyslo Rege (ann.* 1226.) *convenisse Pragam Ordines Bojemos, & de filio ejus VVenceslao, vivo tum adhuc patre, in Regem* eligendo *consultasse.* Alberti lusci Imp. filium Rudolphum (*ann.* 1307.) *deprehendisse, nonnullos ex Bojemis ab se, ut quem inviti* elegissent, *animo esse alieno.* Irritatos Henrici Carinthii dominatu avaro ac socordi proceres, (*ann.* 1310.) *alios mutuum rogasse, ideone Regem ipsum* elegissent *ut Bojemicis rapinis seque suosque ditaret? an non principis reipub. securi potestatem, ut habuissent* eligendi, ita habeant abdicandi? *alios respondisse, Henrico Cæsari esse filium Iohannem, & fratrem VValramum, posse alterutrum* postulari regem. *Accitos Lectum à*

Iohanne Rege regni Ordines, in os ipsi (ann. 1318.) *objecisse; Habere se ab antiquo, comprobatum à Regibus Imperatoribusque, jus & facultatem domini* Regisque, qui placuerit, eligendi & assumendi: *mirari se magnopere, qui fiat, quod nihil pensi habeat Rex, suo absque scitu, Ludovicum regno obtrudere, Ordinumque in* regibus eligendis jura, *irrita facere, quod nullo modo sit tolerabile. Comperta Sigismundi morte, (an.* 1437.) *convenisse Pragam Ordines, & videntes reipub. esse ex usu, ut Rex absque mora* eligeretur, elegisse Regem *alios quidem Albertum Austrium Sigismundi generum, alios vero Cazymirum Poloni regis fratrem: Et Albertum fuisse Pragæ (ann.* 1438.) *ab iis qui ipsum* elegissent *splendide exceptum. Albertum Bavarum de sua in Regem Bojemiæ (ann.* 1440.) electione *fuisse per legatos factum certiorem. Barones, Equites, Pragenses, & civitatum aliquot legatos, post longam, de iis, quæ è rep. essent, deliberationem, (an.* 1458.) elegisse *simul &* declarasse *Regem Bojemiæ Georgium. Pratoriis apud Cutnam comitiis, post multam deliberationem, concertationesque varias, consensisse(ann.* 1471.) *tandem Ordines & Regem* elegisse *VVladislaum. Iustis Ludovico Regi persolutis, viros octonos ex singulis*

gulis Ordinibus selectos, sacramento fuisse devinctos, (ann. 1526-1527.) ut Regem dominumque regno eligerent; Et, *Regi electo Iglaviam usque obviam fuisse itum.*

XXX. Hæc quæ sic οἴκοθεν petita recensentur, & multa, & parte sui majore superflua fortasse cuipiam posse videri; importunitatem tamen adversatiorum esse tantam, ut testium paucitate vel brevitate nolit esse contenta. Devorandam igitur esse necessario, & exterorum quoque historicorum consensu accumulandam hanc prolixitatem. Clarius esse, quàm ut ἰδιογνώμων quisquam citra pervicaciam possit ἀντιγνωμονεῖν, Iovii de hoc suis temporibus indubitato jure testimonium, cū[6] *Bojemi*, inquit, *nequaquam reges è popularibus, sed ab externis nationibus, quem virtute atque justitia potiorem putaverint*, VETERE INSTITUTO *sibi* DELIGUNT, *ita ut, modò Vngaris, modò Polonu, & (ut hodie videmus) nonnunquam Germanis, Bojemiæ regnum deferatur.* Præcipuum & accuratum historiæ Germanicæ scriptorem Mutium,[7] esse quoque usurpatæ in regibus creandis Ordinum Bojemorum libertatis testem, cum

---

[6] *Paulus Iovius hist. lib. 30.* [7] *German-Chron. lib. 22.*

cum ait: *A scelerata VVenceslai adolescentis nece, Bojemos post longam consultationem* elegisse *Henricum Comitem Tyrolis & ducem Carinthiæ. Albertum vero Imp. ubi intellexit Henricum* electum in regem, *in Bojemiam cum exercitu movisse, & ejecto Henrico, fecisse Regem Bojemiæ Rudolphum filium. Post Rudolphi mortem, magnam inter Bojemos obortam esse controversiam; alios enim alium voluisse regem. Quosdam aliquem Bojemum voluisse; aliorum quosdam Fridericum Rudolphi fratrem, quosdam Henricum Carinthium petiisse. Henricum quidem omnes fuisse* electuros, *nisi multi à tumultibus abhorruissent. Vbi Henrici Imp. filius,* (de Iohanne [8] loquitur) *fines Bojemiæ attigit, occurrisse illi obviam Henricum, quem Bojemi in Regem* elegerant. [9] *In Bojemia testamento, quo hæres regni Bojemici Albertus constituebatur, promulgato, quosdam* recusasse *Albertum, & Casimirum regis Poloniæ fratrem* Regem salutasse *Bojemorum: Et, Bojemos qui Regis Poloniæ fratrem in* Regem Bojemiæ elegerant, *comparasse copias. Post mortem Alberti, in Bojemia fuisse magnas dissensiones, aliis alium regem volentibus. Convenisse totum Bojemicum regnum,* variasse

[8] *Germ. Chron. lib.* 23. [9] *lib.* 28.

variasse sententiis in Rege eligendo. Fuisse qui vellent Ladislaum, sed majorem partem contradixisse, & ducem Bavariæ Albertum elegisse. [10] Exempto è vivis Ladislao, *de Regno Bojemiæ contendisse multos. Bojemos in magno omnium procerum & magistratuum conventu, audisse horum omnium caussas ex Orationibus eorum, verum judicasse se quoque viros esse. Quamobrem* elegisse *Georgium Pogebradium.* Confirmari hoc jus etiam à Bonfinio, [11] qui scribit, cum Georgius Rex humanis excessisset, *Cutnam Henricos omnes ac alios è Bojemis convenisse, ut* ex more Regem eligerent. Rudolphi Cæsaris historicum Ioh. Sambucum, hoc loco non debere præteriri, cujus Oratione in Ferdin. I. obitum hæc sint verba: *In Hungariam Vormatia Regem designatum esse profectum; Exin* XXVII. *anno,* Regem electum *Bojemiæ.* Polonicarum rerum scriptores, cum Michoviensem, [12] tum inprimis Cromerum, [13] calculo hæc suo similiter comprobare. Cromero perhibente, *post Sigismundi mortem, fuisse Bojemos in duas factiones divisos, & partim Albertum, quem Vngari jam sibi regem creaverant*

R *& coro-*

[10] *lib.* 29. [11] *decad.* 4. *lib.* 2. [12] *lib.* 4. *cap.* 53. 62. 67. [13] *lib.* 21. 27.

& coronarant, partim Cazimirum VVladislai regis fratrem ad regnum invitasse, Silesiorumque Duces & nobilitatem Bregensem, Cazimirum electum regem *Bojemorum approbasse. Georgii Bojemiae Regis Oratorem Albertum Costcam Postupicium, retulisse ad Poloniae regem Cazimirum, filium ejus aliquem, ab Georgio, de sententia Bojemorum procerum,* successorem, *praeteritis filiis suis* destinari, non hæreditario jure quod nullum esset regni apud liberam gentem, *sed singulari quadam omnium Bojemorum in Cazimirum propensione, & linguae cum Polonis communione. A morte Georgii Regis, comitiis Pragae creandi novi regis caussa institutis, inter Bojemos neutiquam convenisse. Nam alios Polonum, alios Vngarum, alios Caesarem cupiisse, nonnullos Henricum Georgii defuncti filium maluisse. Fuisse qui ad regem Francorum spectarent: Ludovici quoque Bavari mentionem nonnullos fecisse. Ad extremum in comitiis ad Cutnos montes, VVladislaum Cazimiri Polonorum Regis filium*; Regem fuisse ab iis renunciatum. Ferdinandi Archiducis Bibliothecarium de Roo quanquam in extollenda principum suorum generis dignitate & gloria est impiger, & quanquam per pacta affinitatesque cum Regibus Bojemis,

mis,[14] quæsisse eos hæredibus suis jus ad sceptra Bojema censet; interdum tamen veritatis vi ipsa convictum, Electionis Bojemicæ jura & usum, nec dissimulare, nec silentio involvere posse, ut cum scribit; [15] *Bojemiæ proceres exstincta in VVenceslao regum familia virilis seminis,* de novo creando rege, *consilia Pragæ iniisse, dissidentibusq; in Rudolpho Alberti Cæs. filio, & Henrico Carinthio procerum studiis, VVenceslai regis sorores Annam & Elisabetam in comitia venisse, uti sui ratio haberetur, orasse. Fuisse itaque Henricum Annæ maritum in* regem electum. *Cæsarem vero* Electionem, *non accedente Imperii authoritate factam, nullius momenti esse docuisse. Rudolphum paulo post Pragam cum exercitu ingressum, nemine ob metum intercedente; ab iis qui aderant, in* regem electum, *& à Moguntino coronatum esse.* [16] *Bojemos aliquot proceres, ac senatum Pragensem, abdicato Sigismundo, VVitoldum Lituaniæ ducem, per legatos ad regnum vocasse.* [17] *Recitato in procerum conventu Sigismundi testamento, Bojemos re diutius in consilio agitata, tandem ad Nonas Maij Albertum* regem creasse; *solos inter-*

 cessisse

[14] *historiar. Austr. lib. 1. 5.* [15] *lib. 2.* [16] *lib. 4.* [17] *lib. 6.*

eosisse eos qui à Barbara regina in consilium adhibiti fuerant. Ab his omnibus uno consensu Casimirum VVladislai Poloniæ Regis fratrem fuisse nominatum, & (sicut in margine legitur,) *contra Albertum* electum *Bojemiæ* regem. *Ptac̃zoni, qui missis nuntiis orabat, ne Albertus invita sua factione regnum adeat, in quo sine suo atque suorum suffragio firmam sibi fidem nunquam esset habiturus, responsum à Cæsare per eosdem esse*: Non precatio se regem esse, *sed jure, & potiorum* electione, *nec plura emercari suffragia opus habere.* [18] *Ladislao vita functo Bojemos Pragæ comitia regi creando habuisse, & ex multis ejus regni competitoribus, qui variis ex caussis* (recitari hic causſas) *ad id aspirabant, Georgium faustis omnium acclamationibus, Bojemorum* regem esse salutatum. Wladislao Casimiri Poloniæ regis filio, Bojemiæ rege renuntiato, & in Regnum vocato, in comitiis, quæ Fridericus Cæsar cum Imperii Ordinibus Ratisponæ habebat, [19] *actum etiam esse de Bojemorum* Electione, *& an rata haberi deberet disceptatum. Improbasse vero eam Pontificem ut ab hæreticis factam, ac irritam fieri debere, per legatum suum contendisse. Matthiæ quoque*

[18] *lib. 6.* [19] *lib. 8.*

que legatos, ne ea ab Imperii Ordd. approbaretur intercessisse, quod ipse prior electus esset. Principes vero plerosque Imp. Friderici judicium sequutos ad VVladislaum proniores fuisse.

XXXII. Omnia hæc, quæ, ut jam explicavimus, ex observantia constante, regni privilegiis, virorum principum judiciis, historiaque, tuendo in creandis electione libera regibus juri Bojemico, proferri à multis didicimus, & hoc loco non incommode cõmemorari posse existimavimus, ajunt esse talia causæ ejus patroni, ut Ordinibus Bojemis nullius, tam Lectoris, quam arbitrii honorarii, vel judicis æqui (si forte in aliquem pars utraque velit aliquando compromittere,) censura ullo modo sit pertimescenda. Ego sicut judicium mihi de re tam ardua sumere metuo, sic alios expertiores, quo minus sumant, vel homines ingenuos quo minus de tam pertinaci hujus temporis controversia plenius scribere liberum habeant, neutiquam prohiberi oportere, video.

CAP. VI.

De Religionis Mutationibus & Regimine Ecclesiastico in Bojemia.

GEns nulla tam fera est, ut vel numen prorsus nullum esse credat, vel ritus ejus colendi nullos habeat. [1] *Omnes* inquit vir oris mellei, *religione moventur, & DEOS patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter, & retinendos arbitrantur.* Sic Bojemos δεισιδαίμονας semper, & religionibus deditissimos fuisse, sicut historia, ita cum vetera, tum nova ob oculos passim versantia monumenta, restantur. Variasse tamen cum tempore apud eos, ut numina ipsa, ita & cultus religiosos, quin & ipsas moderandorum sacrorum rationes, non ab re forte erit, si explicare conati fuerimus. Volumus autem accipi conatus hos, non in eam partem quasi vel natura sua impias ac jam olim ejuratas superstitiones resuscitare, vel plures quam unicam colendi numinis viam rectam statuere meditemur, sed ut tam diffidentium una in gente, totiesque mutatarum opinionum ac rituum sacrorum comparatio, vanitatem humani ingenii

[1] *Cic. 6. act. in Verrem.*

genii legentibus patefaciat, & unum id quod sit optimum, esse quoque cum antiquissimum, tum DEO proximum, velut in speculo spectandum proponat. Sic cum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent, oraculum editum est, eas quæ essent in more majorum: quo cum iterum venissent, majorumque morem dixissent sæpe esse mutatum, quæsivissentque, quem morem potissimum sequerentur è variis, respondit, Optimum. Mutatum vero persæpe apud Bojemos quoque fuisse sacris in rebus majorum morem, & religiones alias vetustissimo, alias medio, alias recentiore ævo, ut publice probatas, obtinuisse, nemo procul dubio est, qui vere dici neget. Videtur porro posse hoc loco non incommode agi, primum de religionis in hac gente variationibus, tandem de religioso in sacris rebus ordine, seu regimine.

II. Ævo igitur quo primi gentis conditores, mei majores, in has oras ingressi divos penates suos secum attulerunt, & aliquot seculis postea, profana, & eadem fere in Bojemia, quæ apud Slavicas gentes cæteras, culta fuit religio, iidem sacrorum ritus, eadem Deastrorum numina, quorum parens fere crediturfuisse

Græcia. Nec potuit, cæcum in divinis genus hoc hominum, publice receptis numinibus esse contentum: privatim sibi quisque domi quoque suæ DEOS confingebat. Credebantur autem ii alii aliis esse majores & potentiores. Maximus sane omnium fuisse perhibetur principio *Pron'* sive *Peron'* à verbere, forte Κεραύνι⊙ Ζεὺς, cui postea anteferebatur, vel ad minimum æquabatur, *Svvanto-Wyt*.[2] Illius cultui sacer erat locus in urbe veteri Starogrado apud Oldenburgum: hujus vero Iulini sive Vinnetæ, urbe apud Rugianos omnium quondam Europæ urbium maxima. Pronio nullum, Svianto-Vito adolescentis facie expressum, ponebatur simulachrum: Huic delubrum, illi lucus peculiaris, cultu amplissimo dedicabatur, ac statis uterque mensibus concursu maximo frequentabatur. Omnes illinc Slavi, ipsi adeo quoque Bojemi, rebus deploratis responsa ac opem petebant, omnes deastros istos sacrificiis honoratisque annuis colebant. Pronii cultus ex Græcia, ut diximus, ad Slavos videtur commigrasse, Svianto-Viti vero ex Mo-

nacho-

[2] *Chron. Slavor. authoris incerti cap.* 18. *Helmold. Chron. Slavor. lib.* 1. *cap.* 53. 70. 84.

nachorum Corbejensium disciplina profluxisse. Imp. enim Ludovici II. ævo, perhibentur ex S. Viti nomini consecrato cœnobio Corbejano, in Rugiam venisse monachi aliquot, religionis Christianæ præcones, jactaque in populo superstitioso ab ipsis tum fuisse qualiacunque, sed ea tamen immodica S. Viti martyris deprædicatione respersa Christianismi fundamenta. [3] Cum autem armis tributisque ambitiosorum ac avarorum nominis Germanici principum, cum cæteræ Slavicæ gentes, tum Rugiani quoque acertime premerentur, mutasse apud eos profano cum dominatu etiam novos cultus Christianos, & Rugianos, excusso jugo Germanico pulsisque Corbejensibus doctoribus, religionem vertisse in superstitionem, colendoque tam operose Svianto-Vito principia dedisse. Lucus & cultus Pronii à Geroldo Antistite succisus, Svianto-Viti vero simulacrum, direpto ejus fano ac ærario opulentissimo, à Waldemaro Danorum Rege concisum crematumque fuit. [4] Vestigia tamen venerationis Svanto-Viti, ex Slavicarũ gentium ani-

R 5 mis,

[3] *Helmold. Chron. Slavor. lib. 1. cap. 6. 53.* [4] *Helmold. lib. 1. cap. 84. & lib. 2. cap. 12.*

mis, necdum penitus eximi potuerunt. Hodie namque inter eos adhuc, amicum amicus manu gratulabunda exceptarus, *Witeg, vviteg*, vel, *Wjtam te*, solet ingeminare, compellationeque hac sua, Svianto-Vitum quasi Sospitatorem celebrare. Summis hisce Diis jungebantur Dii complures quasi intermedii, superi videlicet, & inferi: ac inferi vicissim partim stygii, partim terrestres, partim aquatici; nymphæ etiam, seu montium, fontium, & nemorum potentes Deæ. [5] Cælestium à me numero censentur, *Iasen, Ladon, Ziżlila, Marzena, Zivviena, Chvvotz, Zelun, Pohoda, Mokosla, Pochvvist*, vel, *Nehoda*, qui, nisi ego fallor, notant, Solem, Martem, Venerem, Dianam, Cererem, Typhonem, Mercurium, Serenitatem, Pluviam, Nimbum vel quamvis Intemperiem. [6] Inter Stygios videntur referendi, *Merot, Radamast, Njvva, Weles, Tasani, Sudice, Wily, Trzibek*, quod est, Pluto, Rhadamanthus, Proserpina, Ate, Eumenides, Parcæ, Hecate, Lues. Terrestres habiti sunt, *Lel, Polel, Sstetek*, sive *Skrzitek, Diblik*, hoc est, Genius, Liber, (Cromero Castor, Polluxque) Lar, Vesta.
Fontium,

[5] *Cromer. Hist. Polon. lib. 3.* [6] *Hagec. ad ann. 709.*

Fontium, montium, silvarum, imo & aëris Deos Deasque, à priscis illis Bojemis invocatos quoque fuisse memorant nostri scriptores, sed nomina eam in rem, quod sciam, nulla prodidêre. Domi similiter quisque suæ Deos fere sibi comminiscebatur, & præter publica illa numina, libamentis victimisque colebat. Sic Climbam Tetca Libussæ soror, Dyrsam Przemyslus, Crasatinam Nezamyslus, Kyhalam Banca, Crosinam Ludmila, coluisse feruntur.

III. Stetit autem profana hæc ac vanissima terriculorum istorum colendorum superstitio, seculis, ut dixi, aliquot, nec variavit prius quam (si Annalibus Fuldensibus 7 habenda est fides) Ludovici regis Franci opera ac jussu, baptizati in Theophania quatuordecim Bojemorum duces, cum hominibus suis Christianam religionem sponte suscepissent; vel (sicut nostri plerique omnes consentiunt) prius quam Borzivogius princeps Velehradi apud Moravos à Græcæ religionis Episcopo D. *Strachota*, h. e. Metudio vel Methodio Christianorum sacris (*ann.* 894.) Iunio mense esset initiatus. Qui cum domum revertisset, & religio-

7 *Annal. Fuldens. ad ann.* 845. *Sigebertus Gemblacensis.*

religionem quam recens erat amplexus, non modo palam profiteretur, verum etiam plantare in provincia conniteretur, efferata multitudo populi permagna, & ob abjectos absque consensu publico ritus sacrorum indignata, dignitate Borzivogium abdicavit, provinciæque finibus excedere coëgit. Caruit tamen intempestivus hic & male consultus populi fervor eventu exspectato. Nec enim homines, quam Borzivogii exemplo semel imbiberant, & superstitionibus patriis certiorem esse cognoverunt, religionem deponebant, nec respub. principe destituta, motus graves ac turbas perniciosissimas effugiebat. Revocare igitur ac loco priori restituere Borzivogium, necessitas imponebatur Bojemis. Revocatus ille rediit ex Moravia Pragam, (*ann.* 898.) stipatus ordinis sacri virorum comitatu frequenti. Excitus ab eo quoque est Archiepiscopus Welehradensis Cyrillus nostrate lingua *Crha* vocatus, qui populo vanis numinum commentis fascinato Christum prædicaret, ac legitimo unius, solius veri DEI cultu commonstrato, ritus religionis ordinaret, presbyteriumque & Scholas constitueret. Solertissima ille usus diligentia dexteritateque, brevi permagnos fecit in erudienda multitudine profectus, frequen-

frequentiſſimo populi concurſu conciones crebras in æde ſacra, quæ hodieque ante Lætam Curiam cognominatur, habere ſolitus. Quadriennio tandem poſt, conſtitutis prius ſacrorum adminiſtris & presbyterio Pragæ, pietatiſque ac liberalium diſciplinarum ſchola Budeczi, Romam, (*ann. 902.*) videndi magis quam diſcendi cauſſa, eſt profectus. Græcorum enim is in religioſis rebus inſtituta ſequebatur, & Græco, in pleriſque tum adhuc opido ſinceriore, non Romano ritu plantatam in Bojemia Eccleſiam ordinarat. Sumebat autem inter maximas ac continuas fere, gentiliſmo inhærentis multitudinis non mediocris inſectationes, conformata hæc ad Græcum morem apud Bojemos religio novitia, majora indies incrementa, primaque illa ſacrorum mutatione apparebat rem populi veteri paulatim in melius. Exſtructæ in provincia paſſim ædes ſacræ, & ſcholæ tanto purioribus caſtæ pietatis exercitiis ardentius perſonabant, quanto ſtercoreorum numinum vanitas, ſuperſtitioniſque prioris illuſio ſtulta, evidentior fiebat. Mira videbatur in terriculorum fanis larariiſque ſolitudo.

IV. Potiente vero rerum in Bojemia principe Boleſlao Leni, Mlada ejus ſoror (incertum cujus conſilio) Romam abit, & ritus

& ritus ecclesiæ Latinæ complexa, in Bojemiam redit, Iohannisque Romani Papæ XIII. Bullam de antiquandis Græcis, & introducendis Latinis religionis ritibus, fratri Duci reddit. *ann.* 967.[8] Hinc nata sunt secundum jam variandæ apud gentem meam religionis principia. Accepta namque Bulla Papali Boleslaus, procerum Christianorum concilium convocat, & præsulis Romani placitum iis aperit, simulque ostendit, stare sibi in animo, ut in arcis templo (templum hoc Venceslaus princeps & Martyr honori D. Viti dedicarat) Episcopum Romanarum ceremoniarum per provinciam moderatorem constituat. Monet præterea omnes, ut id calculo similiter suo comprobent, & sacrorum ritus à Mlada sorore Roma illatos, prolixeque collaudatos, secum ultro, cum amplectantur ipsi, tum suos quisque amplecti jubeant. Voluntate principis audita, fit murmur in concilio, parsque assensu dicta comprobat, pars vero muliebre judicium repudiat, nec bene à Cyrillo Methudioque constituta, novationibus ullis esse convellenda clamat. Perstat nihilominus in sententia princeps, & Diethmarum quendam Saxonem, qui nuper Pragam

[8] *Cosmas hist. lib.* 2.

Pragam ad tumbas Dd. Viti & Venceslai religionis caussa advenit, & ob facundiam linguæque Slavicæ scientiam, multum in aula carus fuit, Episcopum declarat. Ab eo igitur tempore gens Bojema scissa in tres religionum sectas fuit. Alii siquidem, quorum tamen numerus sensim minuebatur, gentili, alii Romano, alii Græco, more sacra tractabant. Temporis tandem progressu gentilismus prorsus exolevit, & nobilitas præcipua, ut & plerique omnes qui cum Germanis vicinis frequentiores esse, commerciaque habere consuêrant, à ritibus Græcis recesserunt. Tenuiores duntaxat & plebs rebus domi præsentibus contenta, Græci ritus sacra tenaciter servabat.

V. Æque autem vetustioris Græcæ, quam recentioris Latinæ disciplinæ sectatores, cœtus suos sacros agitare libere poterant, atque agitabant. Et cum nihilominus plebs rudior, partim ex paganismo repetitis, partim ex plausibiliore Latini ritus disciplina attractis opinionibus, Græcæ observantiæ sinceritatem sensim & incogitanter contaminasset, commodum evenit, ut religiosi quidam ex Galliis Germaniaque profligati, Petri Waldi discipuli, viri tum pietate, tum sacrarum literarum scientia spectatissimi,

(Ann.

(*ann.* 1176.) in Bojemiam venirent,[2] & delecto ad Zatecium Launamque domicilio, permultos ex qualis qualis tum adhuc Græcæ observantiæ incolis, familiares sibi facerent. His igitur nævos quibus religionem inquinatam haberent, illi qua fieri potuit modestissima ratione demonstrabant, & quid de unoquoque fidei. Christianæ capite castius esset sentiendum, ex scripto DEI verbo inculcabant. Factum hac monitorum opera est, ut & pietatis purioris consectatores, tam in bono quod hactenus tenuerunt obfirmarentur, quam emendandis in quibus hallucinabantur, advigilarent; & Latinarum partium Antistitibus stomachus commoveretur. Quamvis autem monachi sacerdotesque ex eorum grege, modis omnibus laborabant, ut nulla alia, quam quæ cum Romanæ Sedis decretis tota congrueret, religio in regno obtineret; ut tamen repurgatæ, quam diximus, pietatis exercitia nusquam publica essent, efficere haudquaquam potuerunt. Multis demum ac longis sudoribus Carolo temp. Bojemiam gerente, rem eo deduxerunt, ut cum suo, tumconsociorum ad recens Pragæ erectam studiorum liberalium Scholam universalem Zelota,

[2] *Hagecus*.

Zelotarum peregrinorum instinctu, omnes ab Ecclesiæ Romanæ institutis alienas religiones, promulgatis quibusdam statutis vetuerit primus in Bojemia Archiepiscopus Ernestus. At vero ne sic quidem, quod urgebant, consequi videbant tranquillitatis publicæ turbatores monachi. Intercesserunt enim Interdicto isti M. Iohannes Miliczius, Cuntradus *Stiekna*, aliique quidam viri docti & pii.[10] Nunquam ii eo poterant perduci, ut ab habendis more suo, nunc in arce regia, nunc ante Læram Curiam, vel loco quovis oportuno, cœtibus sacris abstinerent. Offensus eorum hac *μεγαλοψυχίᾳ* P.M. Gregorius XI. Miliczio sacris interdicebat, & excommunicationis fulmine in eum detonabat:[11] Sic cum viri isti in vivis esse desiissent, & jam quoque, sicut Ernestus Archiepiscopus pedem Iohanni *Vk*, sive Ocello, primo sedis Apostolicæ legato, ira Carolus Rex regnum Wenceslao filio, reliquissent, iisdem, vicinis Græco more institutis, rem divinam, in æde arcis regiæ sacra, sub turri majore, frequentibus concionibus, facere erat solitus M. Mar-

S thias

10 *Lobust. Presbyter Chron. Boj. lib* 1. *pag.* 14. 15. 16. 11 *Procop. Lupacius Ephemerid. hist.* 27. *Mart.*

thias de Ianova cognomento Parisiensis.

VI. Iohanne Archiepiscopo morte sublato, datus ei est successor Iohannes alius, cognomento Gensteinius, vir religioni pacique natus. Is quia sacrificis monachisque plus quam par erat indulgens fuit, lenitate sua ac conniventia causam iis præbuit, abhorrentis à Romanæ sedis placitis, sacrorum exercitii, sicut ex arcis regiæ, ac quibusvis toto regno templis, penitus eliminandi, ita brevissimo tempore post, omnibus prorsus in locis, partim dirarum imprecationibus, partim armis sanguinariis omnino sistendi. Etenim quia, nunc in nobilitatis veritatem amantis castellis, nunc in abditis silvarum recessibus, iuvisi sibi cultus sacra, à promiscua turba ingenti multitudine passim frequentari, nec dirarum anathemata quicquam contra proficere comperterant, armis correptis, in redeuntes à cœtibus sacris, manu militari insiliebant, eosque pulsabant, spoliabant, abducebant, mulctabant, excarnificabant, gladio vel igni perdebant, in metalli fodinas Cutnenses præcipitabant. Duravit malorum hæc lerna ac conscientiarum carnificina, ab Iohannis VI. Archiepiscopi obitu totos fere annos viginti. Gliscentibus vero adhuc tam perniciosis machinationibus istis, exci-

tavit

tavit Bojemiis DEUS fidelem voluntatis suæ veritatisque propugnatorem M. Iohannem Hussium, qui & politicorum rabiei sacerdotalis ministrorum inconsiderantiam, & sacerdotum ipsorum, in oppugnanda cœlesti Sapientia sævitiam, verbis acribus corriperet. Vocavit illum ex Academia Pragensi Iohannes Mulheimius, ac in sacello quod à fundatore primo Cruce Institore emptum, non ita pridem (*ann.* 1400.) consensu Wenceslai Regis, Iohannisque Archiepiscopi[22] ex obscuro splendidius ædificavit; quodque Bethlechem cognominavit, in sacra Verbi DEI prædicandi functione, M. Stephano de Colonia successorem dedit. (*ann.* 1401.) Aperuit autem permultis omnium ordinum hominibus in malitia non penitus obduratis, oculos ejus ministerio DEUS, ut tum ab ulteriore innocentis populi persequutione desisterent, tum agnitis monachorum Romanensium præstigiis, ad puriorem majoribusque olim suis probatam, colendi DEI disciplinam ipsi quoque transirent. Exacerbat isthac Hussi παῤῥησία Romanæ obedientiæ sacerdotes, indignantesque in profliganda, quam oderant religionis via, operam tot annorum suam frustra

S 2 fuisse,

22 *Husius in Postilla Dominica lætare.*

fuisse, jam apud Archiepiscopum, jam ad Regem, jam ad Cæsarem, jam ad Papam Romanum, multis ipsum criminantur, nec sudare desistunt prius, quam pellequs Constantiam sub fide Cæsaris publica Hussus, à Concilii Senatu (*an.* 1415.) hæreseos damnaretur, ac igni supplicio de medio tolleretur.

VII. Verum scripti sanguine judicii præcipitantia, quamvis Husso vitam eripuit, authoribus tamen suis, & eorum ordini toti, non tam profuit, quam nominibus multis nocuit. Hussi namque indefensi supplicio tam atroci, & mox (*ann.* 1415.) in Bojemiam allata Concilii Epistola gentis infamatoria, irritati ejus sectatores, conventu omnium Bojemiæ simul & Moraviæ Ordinum Pragæ acto, teque diu deliberata, per doctoris sui latus ac condemnationem totam Bojemorum gentem hæreseos ignominia notatam, injuriaque non ferenda esse læsam censuerunt. Expostularunt igitur (*ann.* 1415. 1416.) de injuria, cum sacro isto Concilii tribunali, cumque Sigismundo Imperatore, & ut de Husso præter jus ac æquum interempto, deque injusta genti toti hæreseos infamia, pacis sibi mediis satisfieret, rogarunt. Sed cum expostulatoriæ ipsorum literæ, neque à Concilio, neque ab Imperatore, dignæ, ad

ad quas responderetur, essent judicatæ, subornatusque, & mandatis sanguinariis (*ann.* 1417.) à Concilio instructus Iohannes Episc. Litomyslensis, classicum in regno canere, ipsos pro hæreticis traducere, Michelspurgium, Scopcum, Coldicium, Sternbergium, nonnullosque ex potentioribus primores alios, in ipsorum excidium concitare, non intermitteret, ferro emendationem, ab adversariis esse exposcendam, religionisque per Hussum, ad majorum disciplinâ instauratæ, libertatem priscam tuendam, decreverunt. Fecerunt autem initium ab ædibus sacris, quæ quia annis superioribus, introductis partis adversæ Sacerdotibus, suis in religione sociis per vim erant ereptæ, repeti eas ab invasoribus primum omnium oportere judicarunt. Protestati igitur per delectos sexus utriusque ea de re coram Wenceslao Rege, Nicolao Hussinecio verba faciente, exturbarunt ex iis sacerdotes omnes, qui vel Hussum sententia injusta damnatum esse negabant, vel doctrinam titusque sacros, apud ejus discipulos more majorum usitatos, improbabant. Sic vim quam aliis nuper fecerant, factam tum ab aliis pari ratione ferre cogebantur viri isti Romanistæ. Qui quia iniquis se modis vexari opinabantur, opem apud Sophiam regi-

 nam

nam (Wenceslaus rex hoc ipso turbarum initio vitæ finem fecit) contentissima prece implorabaut. Regina junctis sibi proceribus aliquot, milites Germanos sub præfectura Czenconis Wartenbergii, cum commeatu copioso, in arcem D. Wenceslai immittit, & bello Pragensibus inprimis denuntiato, minorem urbem *(ann. 1420.)* pene totam diripit, & igni injecto cremat. Imp. præterea Sigismundum, id quod etiam Martinus P.P. faciebat, adversus Bojemos acuit. His commoti plerique omnes, animo & manu prompti religionis ferro tuendæ authores, ad arma diversis sub ducibus, præcipue sub Iohanne Zizca concurrunt,[13] (*Pracʒata* vocarunt suam multitudinem) monachorum claustra invadunt, expilant, vastant, monachos, quos non fuga servavit, trucidant. Et quia Sigismundum passim per Imperium copias cogere, ac bellum Bojemis coërcendis meditari audiebant, antevertendum rati, non modo arcem utramque regiam Pragæ obsidione premunt, verum etiam defensioni necessaria cuncta adversus Sigismundum, accurata qua possunt diligentia, præparant.

VIII. Exarsit igitur de regione pariter

[13] *Behusla presb. Chron. Boj. l. 2. pag. 68.*

ter & de religione calamitosissimum, finitimisque etiam circumquaque luctuosum, Bojemorum adversus Sigismundum Imp. bellum, quod sicut huic inglorium, ita illis famæ immortalis comparatorium fuit, nec nisi Cadmea Bojemorum inter se pugna, ac cautæ Basiliensis concilii prudentiæ artibus, demum post annum quartum decimum sopiri potuit. [14] Cui componendo cum invigilatur, & concordiæ rationes utrinque circumspiciuntur, judicia Bojemorum, tum de pace cum Pontificiis sanciendâ, tum de fidei articulis non paucis, discrepare sunt visa. *ann.* 1433. Quos inter discipulorum Hussi pars major, in comprehensas Compactatis Basiliensibus pacis conditiones, consentiebat, & sacrorum ritus Romanos, solo calicis in sacra Synaxi usu plebi etiam reservato, amplectebatur prorsus omnes, quæ postea Calixtinorum secta vocabatur; pars vero numero minor, neque pacis, ut obtendebat, insidiosæ, olimque turbis perniciosis caussam daturæ conditionibus, seu Compactatis, assentiri, neque ab acceptæ à patribus, & jam tum ex Verbi DEI fontibus, & purioris vetusta-

14 *Avisamenta Sigism. ad Papam ap. Goldast. tomo Constit. III.*

ris observantia, mitifice illustratæ religionis doctrina, ad Pontificiorum placita desciscere voluit.

IX. Nova igitur iterum, & jam tum quarta emersit apud Bojemos religionis variatio, cum qua odiosa quoque & verbis contumeliosa eruperunt sectarum nomina, qualia necdum penitus sepeliri potuerunt, Papistarum videlicet, Calixtinorum seu claudicantium Hussitarum, & Picardorum. Calamum illi omnes sane semper posthac alii in alios stringebant: ferrum vero plerumque, Compactatorum socii Papistæ cum Calixtinis, adversus Picardos, seu (quemadmodum à multis vocabantur) adversus Taboritas, & hi adversus illos acuebant. Taboritæ tandem temporis progressu, usque adeo fuut attriti, ut qui viam hanc sequebantur, non nisi obscuri vivere, & in occulto rem divinam facere possent. Hinc factum est ut, à subterraneis latebris, *Gamnicy* & *Pivvnicȥnicy* per ludibrium vulgo nuncuparentur. Non feriabantur tamen in latibulis suis quantumvis abjectæ sortis homines illi, sed quam colebant, quamque armis defendere nequibant, fidei doctrinam, dissertationibus populari & Latina lingua scriptis, explicare atque ad posteros transmittere satagebant. Quæ lucubrationes cum

cum in manus etiam venissent quibusdam ex Calixtinis, hominibus veri discendi cupidis, prodierunt in lucem Ladislao regnante *(an. 1457.)* eorum nonnulli, & suorum dogmata pleraque, non minus quam Pontificiorum, ut superstitiosa in dubium vocabant. Contulerunt ergo de omnibus non semel, cum magistro apud Calixtinos primario Iohanne Rokytzana. Verum explorata ejus animi inconstantia, & in defendendis non vetustissimis, quas cum suis tenebat, opinionibus infantia, ad commonstratam Taboritarum Scriptis religionis viam respectabant. Cumque cœtus jam palam agitare, & numero augeri cernerentur, provocarunt eos, de consilio nobilitatis, ad disputationem Magistri Calixtinæ societatis. Venerunt igitur Pragam sub Eidus Septembr. *(an. 1479.)* muniti fide publica ipsorum antesignani, Michael Senex, Iohannes Chelczicius, & Procopius. Colloquio paulo post, in Carolina domo instituto, & dies aliquot continuato, post multas altercationes re infecta diversi abierunt. Ex eo tempore Fratrum nova hæc Vnitas, (sic enim vocari amant,) religionis doctrina & disciplina, à cæteris in Bojemia cœtibus diversa fuit. Ac tametsi adversus eos, incitati ab iis qui evertere ipsos, ut Tabo-

ritas, cupiebant, edictis, carceribusque detonabant, Georgius, Wladislaus, Ferdinandus, Rudolphusque Reges, redditis tamen ii ac *(ann.* 1507. 1535. 1564.) evulgatis fidei suæ rationibus, per omnes istos tempestatum procellas exagitationesque ad libertatis tandem portum enavigarunt. Quia enim Pontificii, à tempore quo Iesuvitas, (religiosorum sectam recentem) Pragam ex Italia adduxit Ferdinandus rex, *(ann.* 1556.) Fratribus quidem his & eodem cum iis pariter odio deflagrantibus in Germania apud Protestantes consecratis Pastoribus, eorumque sectatoribus palam, Calixtinis vero clam, graves semper erant, necessitas ultima suasit, ut qui gravabantur, cognitis ac conciliatis inter se religionis controversiis in societatem venirent, & tuendæ certioris amicitiæ caussa tot modis per adversarios labefactatis majorum cum Basiliensi concilio Concordatis, renuntiarent. Quod cum post velitationes operosas, longasque esset factum, & Concordata seu Compactata illa publico comitiorum decreto *(ann.* 1567,) vim privilegii ac legis amisissent, tum rati æquum esse Pontificii, ut pactorum (quemadmodum jactabant) desertores, tam Regis gratiæ, quam privilegiorum regni incapaces haberentur, Regem (is

tum

tum erat Maximilianus Imp.) adversus eos conciliabant, dictitantes, Reges Bojemos id genus hæreticis nullo teneri sacramento, nec ut eos subditorum numero censeant, lege ulla alligari. Decessorum Regum exemplo, esse cogendos tales, si ex Compactatorum formula, sacra detrectent tractare, ut vel Romanæ Sedis religionem profiteantur, vel Rege defensore, privilegiisque & juris beneficiis omnibus indigni declarentur. Egisse pari, vel majore, severitate adversus contumaces, Wladislaum *(ann.* 1508.*)* Ludovicum *(ann.* 1514.*)* Ferdinandumque *(ann.* 1547.*)* Reges,[15] ne quis forte novi hic quippiam agi, possit objicere. Expugnatus igitur importunis istis flagitationibus Maximilianus, Ferdinandi patris & Wladislai avi contra Compactatorum violatores commemoratis edictis, suum quoque adversus eorundem desertores *(ann.* 1568.*)* Vienna emittit.

X. Ægre id sane fuit Euangelicis, (sic enim jam tum quoque alieni à Pontificum institutis in Bojemia gaudebant vocari) viris cordatis pacisque cupidis. Captata igitur diu exonerandarum coram Rege querimoniarum occasione, partim belli Turcici consultationibus, partim

[15] *Sixtus.*

partim multa Regis à Regno absentia prohibiti, non prius eam satis opportunam, quam septennio post, potuerunt assequi. Venit tandem Pragam Imp. Rex Maximilianus, & convocatis ad diem regni Ordinibus, quæ è repub. videbantur, in comitiis *(ann.* 1575.*)* proposuit. Antequam ergo ad deliberanda negotia reipub. alia est ventum, questi apud ipsum sunt ad VIII. Eidus Majas, de Pontificiorum Ordinum insolentia, deque injuria, qua longo tempore gravabatur ipsorum religio, Euangelici Ordines, orarunt que ut sui ab hæreseos suspicione purgandi caussa, recitaretur coram Rege & universo populo, comprehensa singulari libello sua de fide colendique DEI ratione, Confessio. Vetabat id Rex, & de multiplicibus inter eos, ut ajebat, sectis, atque de sociis, qui confessioni oblatæ subscriberent, cognoscere prius voluit. Ringentibus hic Pontificiis & Vertumnis quibusdam perpaucis, sancita ea de caussa est plene, jam dudum incoata, inter Calixtinos quorum pars potior Protestantium in Germania exemplo, religionem sincerius interea, nec infeliciter, emendarunt, Fratresque. illos propior. concordia; agnoverunt se mutuo fratres & fidei domesticos utrique, & publicationem
confit-

confirmationemque recens conscriptæ Confessionis à Rege votis consociatis postularunt, & impetrarunt omnes. Audita namque publice in comitiis fuit ea Confessio, & religionem ex ejus formula sequentibus universis, est pax atque libertas, verbo regio data. Valuit ea quoque complures per annos, tantisper dum Iesuvitarum progenies, plumas nido majores explicare nequibat. Sed cum ea, patri in regno surrogato Rudolpho Rege, formatos in sua schola homines, ad primarias regni dignitates familiariaque regis ministeria obtruderet, ac admoveret, visa sunt subinde sopita adversus Euangelicos odia resuscitari, injuriæque recrudescere. Tecte tamen id quoad maxime potuit fieri, & juris prætextu ac ex intervallis, peragebatur. Templa confessionis sociis, passim vel eripiebantur, vel claudebantur, sacerdotes observantiæ Romanæ obtrudebantur, nobilitati dignitates abrogabantur, plebi ceremoniæ Pontificiæ imperabantur, ac sacrorum cultus quos amplectebatur, sistebantur. Bis etiam adversus eosdem socios, acsi plerique Picardi essent, Edicta valde severa, (*ann.* 1584. 1602.) à Rudolpho Rege, cum superiorum ejus generis Edictorum regiorum renovationibus, sunt impetrata.

XI. Quæ

XI. Quæ mala etsi diutius sane patienter tolerarunt Euangelici; cum tamen injuriæ unius impunitas, alterius esse putaretur illecebra, nec remedium ii qui debebant adhiberent, Rudolphus vero Rex, annis simul & curis fractus, ministrorum fere magis, quam suo arbitrio temp. administraret, nacti iterum tempus idoneum, conventu Ordinum frequenti, libellum Regi (*ann.* 1608.) exhibuerunt, eumque de injuriis, quas, contra translati ad superos Maximiliani Regis promissa, in religione, multis ab annis pertulissent, supplici querela certiorem fecerunt. Renovarunt præterea exhibitam ante annos triginta Maximiliano regi, publiceque in comitiis recitatam illam, de qua diximus, fidei suæ Confessionem, ac orarunt perseveranter, ut secundum eam ordinatæ religioni Euangelicæ, cujus ipsi essent sectatores, cujusque exercitium sicut Maximilianus olim, ita & ipse quoque postea, verbo regio liberum esse jussisset, pax perpetua non modo daretur, sed & diplomate regio confirmaretur. Impedire id sane sunt conati Iesuitarum gregales modis omnibus: preces tamen Ordinum indefessæ Confessionis Augustanæ principum intercessionibus adjutæ, Regem Rudolphum, principem natura modera-

tum,

tum, huc inclinarunt, ut de exercenda absque omni turbatione ac impedimento, oblatæ olim Maximiliano patri Confessioni Bojemicæ congruente religione, diplomate singulari caveret, *(an. 1609.)* constitutaque in transgressores pœna gravi decerneret.

XII. Hoc tamen nihil obstante, & Rudolphi in regno successore Matthia rege ad pleraque ejus generis conniventre, publicasque & ideutidem repetitas, læsæ partis querelas, non solum negligente, verum etiam, post longas tandem protelationes, penitus à se rejiciente, telam quam dudum incoarant Pontificii, politici æque ac clerici, pertexere sunt redorsi. Edictum de religionis pace Rudolphinum variè cavillabantur & interpretationibus privatis insolenter torquebant. Templa jam Euangelicis, non tantum adimebant, [1] sed quædam etiam à fundamentis diruebant, homines qui vim istam deprecabantur, & Edictum pro se allegabant, plebejos vinculis, proceres comminationibus asperis terrebant, de Fetmilco cæterisque Francofurtensibus sumptum non ita pridem *(ann. 1616.)* supplicium typis depictum, passim ob oculos, quasi similiter seditiosis objecta-

[1] *Apolog. Bojem. major. ann.* 1618.

objectabant, conventus religiosis consultationibus destinatos, & tam vetusto more, quam novis legibus concessos, Rege interim, idque consultò, curandæ valetudinis specie, Viennam abducto, turbabant, ac sub majestatis læsæ pœna vetabant. Tot igitur tamque indignis modis protitati, & ab authoritate regia male abutentibus præfectis, toties tamque atrociter offensi, religionis Euangelicæ socii Ordines, vim vi retundere, deque conculcantibus jura Adversariis, majorum se exemplo vindicare, randem constituerunt. Non ut datam regi fidem frangerent, vel sceptrum eriperent, vel ullo modo rebellare majestatemve imminuere vellent, sed ut legibus regni, diplomatique Rudolphino, honorem ac robur integrum conservarent.

Ergo (*ann.* 1618.) facto in arcem Pragensem concursu, duos ex multis suos ibi tum repertos Adversarios insigniores, qui aditu ipsos ad Regem excludere, & in religionis exercitio, prae aliis gravare, in laude ponebant, neque vel ipso hoc temporis articulo ab altercationibus intempestivis, prorsus abstinere volebant, revocata prius ipsis in memoriam, ac in os lecta, deulciscendis religioni datæ pacis violatoribus, solenniter in comitiis facta ante novennium,

nium, Protestatione sua, publicæ tranquillitatis turbatores declararunt, ac propterea de regii Consistorii fenestra cum Actuario præcipitarunt.

XIII. Sequuta hoc facinus est, non modo in Bojemia cæterisque el annexis provinciis, verum tota ferme Germania, calamitatum feracissima seges, ac belli implacabile cacoethes. Matthias namque rex, ut tum nostri plerique omnes suspicabantur, Bojemiæ genti & religinni infensorum hostium sanguinolenta, quam electorum Protestantium, quam [2] Vnitorum Imperii, quam [3] Slesiæ, quam [4] Austriæ superioris Ordinum pacifica consilia sequi, satisfactionemque qua rebellio hæc, ut ajebat, expiaretur, præscriptis conditionibus formidabilibus, rigide urgere, ideoque nec purgationi, nec deprecationi, nec obtestationi populi supplicis aliquo relicto loco, ferro quam calamo, turbas istas tentare, curareque maluit. Immisit videlicet paulo post in Bojemos per Moraviam militem suum non vulgariter instructum. Cumque necdum anno uno à turbarum istarum exordio plene evoluto, & rebus exulceratis magis quam compositis, in

T vivis

[2] 3. *Octob.* 1618. [3] 28. *August.* 1618. [4] 30. *Iun.* 1618.

vivis esse desisset, bellum incoatum, Ferdinando paulo post Imperatori creato, *(ann. 1619.)* conficiendum reliquit. Is excitis ad belli societatem Hispanis, itemque fœderatis in Germania Pontificiis, prælio ingenti ad Pragam in Albo monte *(ann. 1620.)* commisso, Bojemos castris exsuit, ac Fridericum Regem ab iis sibi oppositum, & ante annum solenniter coronatum, salutem fuga redimere coëgit, atque ita Bojemos victoria ista ex gente libera, Domus suæ (ut nunc stylus est) hæreditarios fecit. Et quia ferventissimus fuit Romanæ Sedis cultor, de iis à religione Euangelica, ad ritus Italicos avertendis, consilium statim à victoria cœpit. Iccirco presbyterium Pragense, Ecclesiarumque Ministros, & Scholarum magistros ubivis, ante omnia *(ann. 1621. 1622. 1624.)* est aggressus, primumque eos qui Pragæ, postmodum vero etiam eos qui aliis in locis erant, à functionibus sine discrimine deturbavit, & toto regno relegavit, quibus disciplinæ Romanæ sacerdotes scholarchasque substituit. Nec mora longa, datis ad Vicarios, aliosque omnis loci & dignitatis suos ministros, singularibus mandatis, quid cæteris incolis fieri vellet, demonstravit. Disponebantur igitur ad terrorem passim per opida

milites

milites præsidiarii, & ne cœtus sacri, nisi Romanensium, publice usquam, sive in templis, sive in Scholis haberentur, solerter est advigilatum: Virgines viduæque, viris Pontificiis vel invitæ junctæ, Euangelicis nubere prohibitæ; nemo qui non Pontificius esset, in civium numerum allegi permittebatur. Publicas etiam à Bojemis veteribus sapienter introductas, usque longissimo confirmatas regni Constitutiones & jura, Imperator hic arbitratu ipse suo antiquavit, descriptisque Viennæ, atque *(ann. 1627.)* ab se promulgatis legibus regiis, planè novis, inter cætera, ne ullius, præter Pontificiam, religionis profitendæ libertatem, Bojemi petere unquam posthac ab Rege suo ausint, lege singulari disertè vetuit. Ut ne vero posthac ullius, præter Pontificiam, religionis professio Bojemis unquam libera esse posset, novis Imperator, *(ann. 1627.)* ab se promulgatis regni Constitutionibus, inserta lege singulari sanxit. Strenue hic apud eum suffundebant frigidam veteres Euangelicæ religionis adversarii; quorum de numero cum is exstirpando in regno ex Græcæ disciplinæ incunabulis ab Husso quondam & Luthero repurgato cultui divino, Quatuor-Viros *(ann. 1617.)* constituisset, eosque potestate eam in rem absoluta-

instruxisset, summis illi viribus negotium festinarunt. Summissis namque in omnes partes monachis Iesuvitis & Capucinis, passim in opidis, & ubicunque locus ferebat, primariorum primum, postea mediocris, tandem promiscue cujusvis conditionis incolarum, in religione constantiam, nunc prensando ac mulcendo, nunc controvertendo ac comminando tentarunt. Qui traditæ semel sanctis in religione puritatis visi sunt tenaciores, iis dignitates abrogatæ, faciendæ rei rationes interclusæ, supellex continuis numerosi militis expilationibus, vel accisa vehementer, vel prorsus direpta. Vidisses tunc religionem à militaribus harpyjis celeriter edoctos, confertim ruere, monachisque supplicare, omnis sexus & ætatis ad Pontificia sacra transfugas, qui verbosis sacrificulorum pro suggestu declamationibus, tanto in cælum subvehebantur altius, quanto in majorum fide constanter perseverantes, in Stygis abyssum demergebantur profundius. Nec expleri hoc pacto potuit monachorum æmulcatorum insania. Nam quos nec promissis, nec comminationibus de sententia poterant dimovere, iis non tantum supellectilem librariam theologicam, sicut & cæteris quibusvis, adimebant, verum etiam libros

bros scriptorum suæ monetæ sophisticos, & in religionem Euangelicam contumeliosos, quin & fabulosos, obtrudebant, atque ut comprehensa iis dogmata assensu comprobarent, instabant. Sed cum nec ista tam multiplici solertia plerorumque constantiam expugnari posse cernerent, eos vel per magistratum loci in vincula sordidosque carceres compactos, non prius, quam imperata fecissent, dimittebant, vel, cum humanissime egerunt, ad purpuratos illos quos dixi, Quatuor Viros deferebant. Quatuor-Viri ergo illi, de iis qui delati erant, Edictis constituebant, contumaces hæreticos, quin & perduelles vocabant, divisisque in certas classes, tempus, quo regno excedere jubebantur, præfigebant, bona quæ efferre vel distrahere quis permittebatur, decimabant, & ad distrahenda per Mandatarios, relicta ab emigrantibus soli bona, annum dabant. Duravit Manlianum hoc imperium & vexatio integrum fere biennium, quo pars Bojemorum indigenarum permagna, & in divinitus tradita religione confirmatior, patriis penatibus valedicere est coacta, & in omnes propemodum orbis plagas dispersa. Nobilitati semestre unum itemque alterum ad emigrandum erat præfinitum. Abstraxit abalienavitque casus

 hic,

hîc, liberos à parentibus, fratres à fratribus, maritos ab uxoribus! Pupilli fine discrimine ex matrum sinu, aut agnatorum manu abrepti, mares Iesuviris, fœmellæ monialibus, in disciplinam sunt traditi! Si qui malum fuga evitarunt, & cum propinquis patria excesserunt, patrimonio mulctabantur, eorumque ad quos confugerunt bona publicabantur. Tametsi vero iis, qui regionem quam religionem maluerunt deserere, distrahendis, per institutos ex hominibus Pontificiis Mandatarios, ut diximus, quæ reliquissent bonis, annus unus & alter fuit concessus, processusque ram, ut jactabatur, moderati fama ubique sparsa: variis tamen elusionibus, quæsitis coloribus, ac speciosis machinationibus, eo res deducebatur, ut onera interea possessoribus exturbatis luenda, fructus vero primo fere occupanti diripiendi, relinquerentur, fundi denique ipsi, & quod moveri non potest, aut quam vilissimo vænirent, & venditi decimatentur more peregrè petito, aut cum emtorem non inveniebant, quasi res pro derelicto habitæ, fisco regio addicerentur. Obtinet igitur nunc post veritum Euangelicæ religionis exercitium, & exturbatos ejus cultores, sola inter Bojemos Romanæ Sedi conformis factorum

obser-

obſervantia, nec niſi in occulto reſtant ſparſim latitantes conformatæ ad Euangelicorum inſtitutæ religionis ſectatorum, tenues quædam reliquiæ. Exturbatis præterea per vim iſtam, in perpetuum eſt patriis finibus interdictum; incolæ etiam omnes, ne quem ex iis, receptum apud ſe clanculum quatentem, recto recipiant, aut alio communi officio juvent, ſeverè prohibentur. Contra venientibus, illis carcer, his mulcta gravis eſt denunciata.

XIV. Atque hæc ſunt quæ de Bojemorum religionibus, deque inſigniotibus earum variationibus memorare habuimus: Regimen religio ſum, pro religionum diverſitate, diverſum quoque fuit. Nam ſicut cæteris, etiam utcunque parvis in rebus, quæ ſtare diu velis, ordinem te ſequi, & certum gubernationis modum tenere eſt neceſſe: ita in hac ex præcipuis potiſſima continendæ ſocietatis hominum ratione, numinis nempe colendi diſciplina, ordinis commonſtrandi ruendique magiſtros eſſe oportet.

Semper Bojemia, tam cum profanæ gentilium ſuperſtitioni erat dedita, quam cum ad Chriſtianos religionis cultus traducta, ei renuntiavit, ideoque ad hoc uſque tempus, certos habuit ſacrorum Antiſtites, ἀρχιερεῖς, & moderatores.

Gentilium tamen sicut λειτουργίαν, ita & Archiflamines, flamines, sacrificos, victimarios, hierophautasque Czechicos, qui, & qualescunque erant, operose describere hoc loco, non multum attinet. [5] Probabile est, nominibus illos à Græcorum hierurgis magis quam re ipsa, fuisse diversos. Majori absque dubio usui est futurus labor, quem in describendo, Bojemis Christianis frequentato gubernationis religiosæ ordine, ponere cogitamus.

Quoniam vero apud Pontificios semper id genus omnia, quam apud Euangelicos (usitate illi SUB UNA, hi SUB UTRAQUE vocantur) erant hactenusque vulgo habentur, splendidiora, plausibiliora, & magnificentiora, ideo de usitato in Ecclesia regimine Euangelico quidem (quamvis in Bojemia vetustiore) posteriori, de Pontificio vero priori loco constituimus tractare. Ordiemur autem rem, à Boleslai Lenis, Bojemiæ principis ætate. Is enim fuit primus, qui illatum, ut diximus, [6] in hanc oram à Mlada sorore, sacrorum Sedis Romanæ morem, Bojemis commendavit, erectaque Pragæ in sacra D. Vito æde episcopa paulatim confirmavit.

XV. Sum-

[5] *Hagecus sub. ann.* 1093. [6] *Sup. huj. c.* §. 4.

XV. Summus igitur moderandæ religionis arbiter inter Romani moris sectatores Bojemos, seculis aliquot fuit, constitutus ab hoc Boleslao Episcopus. Huic postea successit gradu eminentior Archiepiscopus. Subordinatos is pedetentim uterque sibi comparavit, augescente annis fere singulis beneficiorum, quæ vocant, multitudine, ordinis inferioris sacerdotes, Abbates, Præpositos, Decanos, & notos Romanis hominibus Antistites cæteros, qui & factis operarentur, & cæteram, ut clericorum, ita plebejorum multitudinem, in disciplina religiosa continerent. [7] Inferioris Ordinis Antistitum, quomodo alii aliis successerint, nomina, neque accurate, nisi in suis fortasse cœnobiis, consignabantur, neque quæ consignabantur, propter temporum injuriam, integra ad nos transmitti potuerunt. Episcoporum nihilominus & Archiepiscoporum series ac successio, quamvis & ipsa alicubi, ut mea fert opinio, hiulca, ad ævum hoc est conservata.

Adspirare autem, ut ad Episcopam, ita ad Archiepiscopam, nemini qui Bojemus gente non esset, aut linguam Bojemam non probe calleret, per leges regni licuit;

T 5 cuit;

7 *Hagec. ann.* 1088.

cuit; ac proinde non semel, principibus, populo homines peregrinos obtrudentibus, motæ ab Ordinibus erant acres controversiæ. Ius porro nominandorum ac legendorum, ut Archiepiscoporum, ita & Episcoporum, conferendarumque quarumvis Prælaturarum perpetuo Principibus & Ordinibus Bohemis, ex primorum Cleri consilio, comperimus fuisse liberum: Investituram sive confirmationem, à Moguntino præsule, Episcopi hoc modo electi, (non tamen Archiepiscopi) petere habebant necesse. Successerunt igitur, hac via promoti, ac alii post alios in cathedra Pragensi sederunt, hoc ordine:

I. Diethmarus Saxo: 968

II. Wogetiechus sive Adalbert? 969

III. Strachyquas —— 995

Hunc cum Moguntiæ, ab Archiepiscopo investituram accepturus, coram altari prosternebatur, spiritus malignus corripuit, pauloque post suffocavit.

IV. Bohdalus sive Theodotus, Medicus, Saxo: —— —— 997

V. Eccardus sive Helicardus 1018

VI. Hyza seu Iso, Albus & Blandus cognomento, *Nec?ech*: —— 1024

VII. SSebyrius sive Severus: 1030

VIII. Iaromitus sive Gebhardus, Wratislai Regis frater —— 1067

IX. Co-

IX. Cosmas ——— 1091
X. Hermannus ——— 1099
XI. Maynhardus Vafer, *Neczech* ——— 1122
XII. Iohannes ——— 1134
XIII. Otto ——— 1140
XIV. Daniel Baro à Lippa 1148
XV. Fridericus, Neczech 1170
XVI. Valentinus, Obtrusus, Neczech ——— 1178
XVII. Brzetislaus Henricus princeps ——— 1182
XVIII. Daniel Milicus ——— 1197
XIX. Andreas ——— 1214
XX. Peregrinus ——— 1224
Hic, quia modestus, ac politicæ prudentiæ parum fuit gnarus, exauthoratus fuisse scribitur.
XXI. Iohannes ——— 1228
XXII Burcardus seu Bernardus à Sulevicz: ——— 1236
XXIII. Nicolaus Baro à Rosis 1239
XXIV. Iohannes Drazicius: 1258
XXV. Tobias Bechyne 1279
XXVI. M. Gregorius ——— 1296
XXVII. Iohannes ——— 1301
Hagecus [8] præterea ubi natalia Caroli, postea Imp. ejus nominis quarti attingit, author est, infantis regii baptismo interfuisse

[8] *Ad an.* 1316.

fuiſſe cum aliis, Hermannum Archiepiſcopum Pragenſem; quem, ſi nullum ſubeſt mendum, quo loco reponam, non invenio.

XVI. Et hæc quidem de Epiſcopis: Archiepiſcopi à Papa petendi anſam, Iohanni Regi præbuiſſe ſanna quadam perhibetur Wratiſlavienſis Epiſcopus Nankerus. Ademit Epiſcopo caſtrum Mieliczianum Rex, (*ann.* 1337.) [9] neque id, quamvis anathemate feriebatur, repetenti reſtituere voluit. Videns diras nihil proficere, dicteriis Regem impetere cœpit Nankerus, ac ad Wratiſlavienſes Coſs. inter alia dixiſſe perhibetur; Regem iſtum, bonorum Eccleſiaſticorum Invaſorem, eſſe, qui Rex habeatur, indignum. Regulum, non regem, ipſum eſſe. Quæ verba cum ad Regem eſſent renunciata, indignatus monacho, ſciſcitari ſcommatis cauſſam ab eo jubet: reſpondente Epiſcopo; Bojemiæ Principem, quia Metropolitanum non haberet, ac inunctionis in regem ſuæ ſolennia, ab Archiepiſcopo Germano, qua prece, qua pretio, emendicare cogeretur, Regem, vel omnino non eſſe, vel, ſi ſit, omnium eſſe minimum. Convitium ſanna iſta ſibi factum dolens, ac, quam anathemate

[9] *Michovienſ. hiſt. Polon. lib.4.cap.22.*

themate gravius offensus Rex, non quievit ante quam ex invidia, qua Romæ conflagrabat Archipræsul Moguntinus, Henricus, tempus nactus idoneum, Bullam à Clemente PP. obtinuit, qua Pragensis Episcopa à Moguntinæ sedis jurisdictione eximitur, & in Metropolitanam promovetur;[10] Holomucensis quoque Episcopa à Moguntina penitus absolvitur, & Lytomyslæ nova constituitur, ut ambæ Pragensi Archiepiscopæ deinceps sint suffraganeæ. Ius præterea ungendorum recens electorum Bojemiæ Regum Archiepiscopo Pragensi confertur.

Iohanne igitur Episcopo, cujus jam meminimus, vita functo, & Bulla hac Papali cum pallio Archipræsulatus insigni, in Bojemiam allata, Episcopus Iohanni nuper surrogatus, Romæque confirmatus,

I. Arnestus Pardubicius, pallio illo primus solenniter induitur, ac Pragensis Metropolitanæ Ecclesiæ Archipræsul salutatur, 1343. Huic in eodem munere, suffecti à Rege & Optimatibus, successerunt ordine;

II. Iohan-

---

[10] *Annal. Henr. Rebdorf. Chron. M. Alberti Argentin. ann.* 1346. *Hagec. ad ann.* 1343.

II. Iohannes *Vk* sive Ocellus 1364. Hic præterquam quod ab Vrbano Papa confirmationem obtinuit, honore etiam novo est auctus, & Romanæ Sedis Legatus natus cum successoribus appellatus.

III. Iohannes Gensteinius, cognomento *Supj krk*, Patriarcha Alexandrinus & Episcopus Misnensis 1380. Vir fuit religiosissimus ac precationibus intentissimus: qui aliquanto post, visione quadam terrefactus, & de incumbentibus jam jam regno cladibus horrendis admonitus, alimentaque à successore necessario suo, quoad viveret pactus, Romam abiit, & cucullum indutus dignitatis cathedram reliquit

IV. Wolbramo, qui eam conscendit an. 1398. Hic coronavit Sophiam Wenceslai Regis uxorem. Ei est suffectus

V. M. Nicolaus Puchnicus. 1400. Veneno intra annum exstinctus. Huic surrogabatur

VI. Zbynecus Baro à Leporibus 1401. Homo literarum rudis: & post illum

VII. M. Albicus Vniczovius 1411. Medicus, & vir jam tum cum magistratum iniret, ætate affecta. Cum hoc, quia sordidum & auri avidum videbat, versuram de dignitate paucis post diebus fecit

VIII. Cunradus Westphalus 1411. Hic decennio post, Evangelicorum, qui tum

tum Hussitæ vocabantur, Religionem amplexus, Consistorio Presbyterii Pragensis Euangelico, sigillum officii contulit, & jurisdictionem confirmavit, latifundiaque Archiepiscopalia, procetibus utenda fruenda pignori dedit. Quamvis autem quinquennio post ejus fata, ab Ordinibus, de assensu Sigismundi Imp. in Archiepiscopum fuit electus (*ann.* 1436.) M. Iohannes Rokytsana; quia tamen is quatuor Pragensium articulos ejurare abnuebat, nec confirmationem dignitatis à Papa impetrare, nec ut in numero Archiepiscoporum recenseretur, à Pontificiis obtinere potuit. Ab ejus morte vacavit sedes hæc, & sacrorum Pontificiorum gubernatio penes Præpositos templi metropolitani fuit, per annos unum & nonaginta, ad id videlicet usque tempus, quo Imp. Regis Ferdinandi I. Edicto, Archiepiscopus est declaratus

IX. Antonius Mohelnicius 1562. Hic ad Concilium Tridentinum regius Orator fuit.

X. Martinus, Antonii popularis. 1581.

XI. Zbynecus Baro Berca 1592. Hic (*ann.* 1605.) Septembri mense vitæ suæ ultimo, Synodum nationalem habuit Pragæ, cujus placita, exacerbandorum animorum inter Pontificios & Euangelicos,

licos, proritamenta, ac veluti sudes in oculis fuêre; accumulatæ porro attentatis aliis compluribus, turbas, quæ nec dum conquieverunt, accendêre. Mortuo illi est suffectus

XII. Carolus Baro Lambergius 1606. & huic mente capto,

XIII. Iohannes Lohelius 1614. huicque mortuo

XIV. Arnestus Comes Harrachius 1623. Trium istorum nemo tria verba, lingua populi, cui docendo præficiebantur, commode proferre sciit. Postremus hic inter exstirbandæ nuper è Bojemia religioni Euangelicæ constitutos à Ferdinando Imp. Quatuor-Viros, quorum paulo ante meminimus, princeps fuit.

XVII. Reliqua est gubernandorum apud Bojemos Euangelicos sacrorum ratio, & administrationis ordo. Apud Pontificios is perpetuo fere idem, apud Euangelicos vero pro temporum ratione varius fuit. Apud Pontificios, summi moderandorum sacrorum præsides, perraro dignitatem aliter quam cum vita amittebant; apud Euangelicos, prout, & quotiescunque, è re videbatur, mutari erant soliti: apud Pontificios gubernatio monarchiæ, apud Euangelicos aristocratiæ similior, obtinebat. Vetustissimi autem sui in moderando divino cultu or-

dinis

dinis primordia D. Cyrillo Archiepiscopo Welehradensi feruntur accepta Bojemi Euangelici. Is enim cum à Borzivogio I. Pragam esset adductus, in principis sacello apud Læram Curiam, cum Concionesauditorio frequentissimo habebat, tum docendæ religionis Ministros populo, (*an.* 902.) [11] Ministrisque ipsis presbyterorum collegium, Leiturgiam, ac ceremonias sacras, more Græco ordinavit. Ordine in hoc collegio, 000 gradu primus, scribitur fuisse Paulus Caichus, vir ob pietatem Borzivogio Lidmilæque carissimus, qui tam antequam exturbatus à Suatoplugo Rege in Bojemiam è Moravia venit, quam postequam ex ea recessit D. Metudius, sacro in mea gente ordini præfuit. Huic quemadmodum & presbyteris ejus collegis cæteris, ut quisque de vita decesserat, surrogabantur consilio communi ex Ministrorum (sacerdotes vulgus vocabat) omni numero, qui judicabantur maxime idonei. Administrata autem hac ratione, & in pietatis disciplina conservata fuit gentis meæ Ecclesia, toto Borzivogii, Zpitihnevi, Wratislai, Weoceslai, Boleslai Sævi, & aliquanto Boleslai Lenis dominationis tempore, per annos præter propter se-

V ptua-

[11] *M. Daniel Adam Calend. ad Eid. Maj.*

ptuaginta, ad eam usque tempestatem, qua Diethmarus Episcopus Ecclesiarum Bojemicarum regimini à Bolesłao fuit præfectus. Neque tamen Græcæ disciplinæ illi tam infensus, abrogandoque penitus, introducto per D. Cyrillum ordini intentus, vel fuit, vel propter potestatis brevitatem esse potuit Diethmarus, ut ritus gentis Bulgaræ tum statim, velut sanciebat PP. Iohannes, antiquatos quis fuisse objiciat. Wogetiechus ejus successor, qui annos viginti quinque in dignitate transegit, natus & enutritus in ea disciplina fuit. Latinæ observantiæ sacerdotes alii, tametsi potentia opibusque antecellebant, amicitiam tamen cum Græcæ, seu, quod idem erat, cum Bulgaræ disciplinæ hominibus, non tantum colebant, verum etiam ex eorum presbyterio unum atque alterum, inter Canonicos templi D. Vito consecrati, semper allegebant, qui sacris more suo seorsim in peculiari ædicula, sub majore, ut diximus, turri, operarentur, domiciliumque apud eam suum haberent. Stetit ea ædicula, donec Wladislai II. regis ævo, à Paulo Pauczeco Doctore, & templi in arce regii Præposito, diruta, inque domum, in qua ipse habitaret, transformata fuit. [12] XVIII. Etsi

[12] *Bohusla. presb. Chron. lib. 1. pag. 35.*

XVIII. Etsi vero omnium, qui, & quomodo, vel quo tempore, ad sacrum opus hoc curandum adoptabantur, nomina exactè non possunt edi, tem tamen hanc Adversatii pro confictâ tum demum jure poterunt habere, cum ipsi suorum, quæ nunc recens è veteribus ruinis complura excitant, cœnobiorum antesignanos priscos, nobis digno fide stylo, ac ordine imperplexo, describent. Negare nihilominus neutiquam poslunt, fuisse nostros, Letomilum sub D. Wenceslao, Prostivogium sub Boleslao Leni, Iohannem Mravicum, & Henricum Lubnæum sub Iohanne, Curadum Stieknam, & M. Iohannem Miliczium Baronem sub Carolo, M. Matthiam de Ianova cognomento Parisiensem, M. Iohannem Hussium, permultosque alios sub Wenceslao. Regis hujus temporibus, exarserunt in Euangelicæ veritatis indagatores ac cultores, Pontificii, & statim ab Iohannis Ocelli Archiepiscopi Cardinalisque motte, persequi eos acerbissime cœperunt. Consequuti etiam id sunt rigiditate sua & violentia, ut nec in templis, nec in scholis, palam apparerent ulla ejusce cultus vestigia. M. Iohannem Hussum, qui attocitari se illorum opponebat, religionisque tam diu cultæ, & nuper demum suppressæ, disciplinam in lucem

revocabat, acertime insectari non ante destiterunt, quam is Constantiæ esset flammis è medio sublatus. Tam multis igitur, tamque enormibus injuriis lacessiti Hussi discipuli Bojemi, inter quos permulti adhuc erant, qui Miliczio quondam & Parisiensi doctoribus fuerant usi, armata, ut diximus,[13] manu, revocatam ex abdito Euangelicam religionis professionem, in templa passim reduxerunt, & quia diu illam absque ordine & gubernaculis stare non posse sentiebant, frequentes apud Pragam ad Nonas Iulias (*ann.* 1421.) ex Bojemia omni Moraviaque confluunt, & re diu ac multum excussa, quo D. Cyrillum quondam sciebant salutariter usum, exemplo illo prisco, sacrorum, & tractandorum, & gubernandorum ordinem descripserunt, & Presbyterium Pragæ novum, quod ordini illi servando præesset, de assensu Archiepiscopi Cunradi erexerunt, ejusque Antesignanum Archiepiscoparus Pragensis Administratorem appellarunt. Descriptus in hac Synodo, ac articulis complutibus comprehensus ordo, circumfertur etiamnum typis vulgatus. Restitutum ergo per id tempus Bojemis à Latinorum cultu alienioribus, regimen sacrorum

[13] *Sup. huj. cap. §. 7.*

ctorum Ecclesiasticum, ut & ipsa religionis libertas, perpetuo deinceps viguit in mea gente, & Regibus consciis, accitisque in consilium hoc Magistris Professoribus, & Ecclesiarum Pragensium Pastoribus, itemque ex regni provinciis Decanis omnibus, vel ab Ordinibus ipsis conventu frequenti, vel per selectos ad id votis communibus proceres fidei domesticos, (Defensores vocabantur,) prout usus fuit, innovabatur. Regis autem fuit, eam innovationem habere ratam & confirmare. Domus Academica, quæ Carolina dicitur capiendis consiliis hisce sacris, & tractandis quæ muneris hujus erant, rebus cæteris, jam tum inde à principio fuit destinata. Frequenrare ergo eam erant soliti, Ordines quidem ipsi, ut & Defensores, quoties è re fuit; Administrator verò cum suis Collegis, statis cujusque hebdomadæ diebus, & quæ officii erant, expediebat.

XIX. Præsederunt autem cum authoritate huic presbyterio, seu (sicut vulgus loquitur) Consistorio, plerumque cum delectis ex omni pastorum, studiique Pragensis Magistrorum numero collegis plerunque undecim, Administratores, viri ætate graves, qui legitime ad munus hoc vocabantur, & in Cœnobio Slavanensi residebant.

I. M. Iohannes Przibram 1421. Collegas is habuit solummodo tres, quos inter unus ex Taboritis fuit.

II. M. Paulus 1419. Hic consilium Sigismundi Cæsaris, & indefessos in cogendo Concilio Basiliensi labores, libello singulari ad posteritatem est complexus. Sed quia multiplicandis ceremoniis, Synodi superioris ordinem violabat, & cum Pontificiis colludere existimabatur, sejunxerunt se ab ejus societate sacerdotes Taboritarum, ac constituto Tabori presbyterio, sacrorum Ordini suo præfecerunt Episcopum sive Antistitem, M. Nicolaum Peldrzimovium. Horum cœtibus ac doctrinæ, pacem se Sigism. Cæsar daturum, pactis ad XVIII. Calend. Decem. (*ann.* 1436.) initis, est pollicitus. Nati ex eorum cineribus & disciplina postea sunt, quos vulgo Fratres vocamus, qui sub Ladislao Rege primum videntur in novum quoddam corpus, quantumvis ringente Rokyrsana, coaluisse, pauloque post basilicas habendis cœtibus, quos *Zbory* vocarunt, Lenesflcl & Boleslaviæ excitasse. Quos etsi hactenus suos, sacrorum & Ordinis ac disciplinæ ἡγεμόνας habere est certum, tamen quia propter persequutiones & caussas quasdam alias, res illi suas in occulto habuerunt, habentque fere hactenus, de eorum

eorum Antiſtitibus, certi quod referam, nondum ordinatum aliquid habeo.

III. M. Martinus Lupacius 1435. Collega ejus primarius Wenceſlaus Chocenus.

IV. M. Chriſtianus Prachaticius 1437. Mediocris fuit theologus, ſed inprimis Mathematicus inſignis, Electus eſt per Sigiſmundum, & confirmatus etiam poſtea per Albertum Imp. Regg.

V. M. Iohannes Przibram. 1439. Senior ei ſive Collega eſt datus M. Procopius Plzenus. Ab eo tempore, quamvis conſtet M. Iohannem Rokytſanam ſe, quoad vixit, pro Archiepiſcopo Pragenſi geſſiſſe, ac gubernationis prærogativam affectaſſe; qui poſt Przibramum tamen fuerint Adminiſtratores, cognoſcere mihi nondum eſt datum, Longo tempore poſt, lectus eſt ad eam adminiſtrationem, mea numeratione,

VI. M. Wenceſlaus Coranda 1471. Vir fuit longi ævi.

VII. Auguſtinus Lucianus de Beſſariis, Italus, & Archiepiſcopus Sanctuerienſis 1483. Huic ſexto anno poſt, dati ſunt Collegæ quinque.

VIII. M. Iacobus Columbus 1497.

IX. M. Paulus Zatecenus 1500.

X. M. Matthias Corambus 1518. Dati ei ſunt Collegæ Magiſtri tres, &

 paſtores

pastores sex. Hic quadriennio post in exsilium est actus, cum ante biennium esset abdicatus, revocatus nihilominus postea, factus est in nova Vrbe Cœnobii Slavici Abbas.

XI. M. Wenceslaus *Sfissmanck* Litomyslenus 1520. Collegas habuit quos Cotambus.

XII. M. Gallus Czahera 1523. Collegas ex Magistris & pastoribus accepit novem, quibus triennio post *(an. 1526.)* remotis, partim ex iisdem, partim ex aliis, suffecti sunt decem: Et iterum cum mors numerum hunc minuisset, aliæque etiam caussæ intercessissent, biennio post, *(ann. 1528.)* collegas, aliqua duntaxat conversione facta, novos ei substituerunt Ordines. Tandem vero M. Gallo solum vertere Ferdinandi Regis mandato, intra tempus præstitutum coacto, surrogatur ei

XIII. M. Laurentius Trzebonæus 1529. Sunt ei Collegæ dati decem; quorum tamen electio intra diem quinquagesimum fuit rettactata, & collegæ novi, ex Magg. quidem tres, ex pastoribus vero octo, constituti.

XIV. Wenceslaus Vnhosstienus 1531. Accepit is Collegas Magistros quatuor, & Pastores novem. Et quamvis is anno post tertio, *(ann. 1534.)* magistratu voluit

voluit abire, protogatus tamen is consensu Ordinum publico illi fuit, & collegæ novi dati undecim.

XV. M. Martinus de Clatovia, Universitatis in studio Pragensi Rector 1539. Collegas habuit ex Magistris tres, ex Pastoribus octo.

XVI. M. Iohannes Hortensius 1541. Huic Senior est adjunctus Iohannes Mystopolus, & Collegæ dati, Magister unus, Doctores duo, Pastores septem.

XVII. Iohannes Mystopolus 1542. Dati illi sunt Collegæ Magistri duo, Doctores duo, Pastores octo.

XVIII. M. Iohannes Colinus 1555. Senior ei est adjunctus M. Matthias Curius, collegæ Magistri tres, Pastores septem.

XIX. Iohannes Mystopolus 1562, electo ab Ordinibus, Matthiæ Lunæo tum apud Nimburgam Pastori, contra morem veterem, Iohanne & Henrico Waldsteiniis, But-Ianoque Trczca, frustra Ordinum nomine contradicentibus, ab Imp. Ferdinando Rege oppositus. Adjunxit illi rex mandato suo, Seniorem Martinum Mielnicium, collegas vero Magg. duos, Doctores duos, Pastores sex. Norma, ad quam in obeundo munere alligabantur, exemplo novo, est iis à Rege quoque præscripta.

XX. Ab hac novatione, qui, vel quando, antequam ipse queam meminisse in hoc Collegium fuerint allecti, temporis locique in quo nunc sum conditio, perdiscere me vetuit. Ex quo vero ad puberem veni ætatem, memini Imp. Regis Rudolphi authoritate munus hoc obiisse, & quia Slovanense cœnobium à Pontificiis aliquanto ante erat occupatum, ad alias atque alias ædes sacras resedisse Administratores

Wenceslaum Daczicenum	1594
Iohannem Benedictum	1604
Thomam Sobieslavinum	1609

Habuerunt autem collegas ii ex Calixtinæ disciplinæ Pastoribus solis, nunc plures, nunc pauciores. Thomæ vero Administratori, qui Pontificius magis quam Evangelicus fuit, suffectus intra paucos menses ab Ordinibus est, cum jam Rudolphi Regis clementia Consistorii curandi potestatem recuperassent, inque certas ejus posthac administrandi leges, Comitiis calatis, universi consensissent, dudum in Ministerio sacro non male versatus Senex, Elias SSudus 1609. Et huic Senior datus ex Fratrum, quam vocant, Vnitate Matthias Cyrus, Collegæ ex utriusque disciplinæ Pastoribus, septem, & Magistri tres.

Sigismundus Crinitus 1614. Seniorem

rem hic accepit ex Fratribus Matthiam Cyrum, Collegas Pastores utriusque disciplinæ septem, Magistros tres.

Georgius Dicastus 1619. Adjuverunt ejus labores, Senior ex Fratribus Iohannes Cyrillus, & c, sine exemplo lectus homo Germanus, Helvicus Garthius, Doctor. Collegæ ex observantiæ utriusque Pastoribus sex, Magistri vero tres. Administratorem hunc, intra annum à Victoria Albo-montano proximum, Decembri mense (*ann.* 1621.) regno cum Seniore & Pastoribus Pragensibus omnibus, excedere edicto jussit, Imp. Ferdinandi II. in Bojemia Legatus, Carolus princeps Liechtensteinius. Vna igitur hac litura Euangelicis presbyterium est dissipatum ac eversum. Via ista, eaque posterioribus, qua publice, qua privatim factis inhibitionibus, interruptum brevi in hoc regno est omne publicum Euangelicæ pietatis exercitium, & sola, quæ Romani Pontificis voluntati conformatur Religio, regnum arripuit, hactenusque regnat.

Inflictum illud religioni sinceriori vulnus, sequuta statim est (libet nimirum hic in hanc quoque rerum nostrarum particulam brevibus excurrere,) sequuta, inquam, est alia, si non gravior, certè æque nostris rebus perniciosa clades. Etenim

Etenim ab Imp. Rege Boj. Carolo IV. (*ann.* 1348.) erecta liberalium studiorum Vniversitas Pragensis, Trojanus equus ille ex quo regno Boj. toti, & Marchionatus Moraviæ viri docti, qui tuendæ ac conservandæ, tum religionis sinceritati in templis, tum politicæ disciplinæ in curiis, cum laude præfuerunt, ætatibus omnibus magno numero prodibant, similiter est Euangelicis erepta. Adamus videlicet Vualdsteinius, Subdelegatus à principe Liechtensteinio regni per id tempus Ephorus, decreto prid. Calend. Martias (*ann.* 1622.) edito, dedit hominibus certis negotium, privilegiorum Academicorum omnium à Magg. Professoribus reposcendorum, & in Cancellariam regiam inferendorum. Quod homines illi non tantum sunt ad III. Nonas Mart. superciliose ac severe exequuti, verum etiam remotis penitus à functione Euangelicis, quos dixi, Magg. Professoribus, fiscum, qui vocabatur, Academicum, & chartophylacium in Domo Carolina obsignarunt. Domum verò ipsam Apostatis duobus, tanquam sequestris, cum militum custodia interea tenendam commendarunt. Ab his tandem ea cum Academica jurisdictione omni κειμηλίοιςque ad XIV. Calend. Decemb. proxi-

proximum, postea quam ab Ioh. Hussi Rectoratu per annos ducentos & tredecim, Euangelicis, sub diversis XCIV. Rectoribus, (quorum tamē aliqui quinquies, septies, Petr. Codicillus octies, Martinus Bachacius novies, Ioh. Hortensius decies, Matthias Dapsilis verò semel & vicies, magistratum istum gesserunt,) omnis literaturæ humanioris magistra fuit, Iesuvitis Pragensibus San-Clementinis est consignata in manum.

XXI. Et quanquam ea ab hominibus nasutis plerisque ac sciolis, quasi anus effœta, quasi tenebrionum saltem, Magistrorum nostrorum nomen sine re gerentium, adeoque perexigui cujusdam Beanorum manipuli nidus, contemptui habebatur, & præ Academiis recentioribus ut τέϖρ⊙ τις νενοσφισμένϖ⊙ traducebatur; experientia tamen constans & quotidiana, semper fuit hominibus ocularis, nec judicibus iniquis, testis, idque etiam ipsum libri, quos de omni fere ἐπιςήμῃ à Magistris illis nostris, cum vetustioribus tum recentioribus, peringeniose scriptos habemus, hactenus loquuntur, vixisse tam in ecclesia, quam in politia, adeoque in Regg. etiam ipsorum aula, & doctrina excelluisse longe plurimos, formatos in hac Academia Viros, quibus melio-

re me-

re metallo finxit præcordia Titan, &
Quos Musa studiis excoluêre suis.
Sed quia modestiores ii, nec ἀλάζονες, vel ipsi virtutis suæ ac ingenii tibicines ventosi esse consuêranr, ab advenis literarotibus, sapientulis & Thrasonibus, judicio præcipitato, pro inerticulis ac stipitibus æstimabantur. Prodibant ex hac officina, & per regnum Bojemiæ totum, perque Marchionatum Moraviæ, ab Vniversitatis Rectore dimittebantur in Vrbicas scholas Viri juvenes, promoti partim Magistri, partim Baccalaurei, qui pueritiam adolescentiamque loci cujusque, cum in religionis sincerioris tyrocinio, tum in artibus trivialibus; in gymnasiis verò celebrioribus etiam in scientiis sublimioribus, formarent, & qui Spartam quam erant nacti, egregie ornabant.

Literario namque ludo suo, apud nos nulla Vrbs, nullum opidum, vicus ferè nullus destituebatur. Sola triurbs Praga sexdecim scholas triviales numerabat; Cutnæus-Mons ut minimum duas, & totidem Boleslavia junior; Vrbes cæteræ singulæ singulas. In his qui docendæ juventuti præficiebantur, hîc bini, alibi terni, quaterni, quini, Hradecii verò ad Albim quandoque seni habebantur, & Officiales, Rector, Conrector, Cantor,
succen-

succentor, hypodidascalus, dicebantur. Salaria annua Senatus, mensam quotidianam Ministri-Pastores ferè ipsis dabant. Nec infrequentes erant, quos capiebant, proventus extra ordinem diversi. Officiales hos, postea quam aliquandiu tempus in schola triverunt, suamq; industriam bonis civibus approbarunt, educebant de schola studiosorum Mæcenates, & vel matrimoniis luculentis conciliatis ad potiores politicas functiones præparabant, vel ad ministerium sacrû cooptabant. Sic igitur Academia illa quondam nostra, præter quam quod partim per Hussum, partim per ejus successores, ex verbo DEI, primitivæque Ecclesiæ praxi indubitata, sensim apud nos à superstitionum fermento repurgatæ religionis emendatioris (quantumvis nunquam in ea deessent aliqui qui obluctarentur,) fuit custos, scholis nostris magistros, scholæ verò ecclesiis Pastores, curiis Consules, Primates, Senatores, Iudices, Actuarios, plerosque omnes gerendis rebus idoneos, sufficiebant. Scholæ porro triviales istæ, ita erant à majoribus jam olim ubique ordinatæ, ut ingenii literis excolendi media, si non ubivis exuberantia, ar certè ubivis mediocriter sese offerenta, æque pauper ac fortunatus quivis posset reperire. Defectum quisquis
inter-

interdum obrepebat, ex facili tolerantibus supplebat ac leniebat, pariter egentium, pariter abundantium, dulcis jucundaque consuetudo. Mensas videlicet scholæ suæ alumnis, Vrbis cujusque cives ordine, bini diebus singulis, pro virili quisq; sua instruebant; parandis verò rebus necessariis cæteris, variæ obventiones pecuniariæ, quæ tamen arbitrariæ, nec civibus onerosæ essent, obringebant.

Alebat id genus adolescentes studiosos, (præter scholæ frequentatores parentum domesticos,) Vrbs hæc, quam centum, plures, illa pauciores. Distinguebantur omnes illi, in primanos, secundanos, tertianos, quartanos, & parvos, famulando per vices, ac conclavibus purgandis destinatos, mendicos. Primani. qui in studiis non contemnendum fecerunt progressum, Aprili vel Octobri exeuntibus, ad continuanda porro studia à ludirectoribus in Academiam cum systaticis epistolis mittebantur, & post factam ordinariam eruditionis explorationem, creabantur aliquanto post in Facultate Philosophica, ex studiosis Baccalaurei, ex Baccalaureis Magistri. Hi tandem & illi, ex Academia ad scholas triviales regendas deposcebantur, & ab Vniversitatis Rectore, ut diximus, promovebantur.

XXII. Cum igitur à publicis in Academia hac functionibus Professores Magg. illi nostri, per Delegatos tres illos, de quibus diximus, essent remoti, perturbata est omnis hæc literaria harmonia; & matre ruente, dispersa propere ac dilapsa ex scholis similiter ubique est tam docentium, quam discentium multitudo omnis. Parietes soli, in dilapsorum loca submissis boantibus Pontificiis sunt relicti. Ex quibus omnibus clarius est quam ut demonstratione multa habeat opus, rei literariæ à Bojemis veteribus domi sic fuisse provisum, ut dubitare non immerito oporteat, an gens alia sit aliqua; cujus juventus, præsertim

—— cujus virtutibus obstat

Res angusta domi,

ad consectanda urgendaque artium liberalium studia, viam ordinatiorem, vel adminicula opportuniora, habeat ad manum & in promptu. Sed redeamus à diverticulo, & cum de religionum, tam originibus, quam progressibus & variationibus, deque diversa sacrorum inter Bojemos procuratione, ac administratione, satis jam multa attulerimus, ad ulteriora nobis tandem procedendum esse judicamus.

CAP VII.

De Provinciis Coronæ unitis.

IN Corpus Coronæ Bojemicæ coïerunt jam olim vinculo indissolubili, ac totæ sunt insertæ, regiones peramplæ, dites, & populosæ, quæ hodieque Regum Bojemorum ditione continentur. Sunt autem illæ (ut interea nec de Plisnensibus sive Voytlandicis, nec de Misnicis, nec de Franconicis, nec de Noricis vel Bavaricis feudis verba faciamus,) *Moravia, Slesia, Lusatia.* Rex quisque apud Bojemos novus, si earum incolas velit in fidem accipere, tenetur eas statim à sua coronatione per se ipse obire, &, conventu ad diem indicto, sacramentum pro more, à Moravis quidem Holomucæ vel Brinæ, à Slesiis Wratislaviæ, à Lusatis superioribus Budesinæ, ab inferioribus vero Lucovi vel Soravæ exigere. Neque tamen jurare prius solent in Regis verba provinciarum Ordd. quam de ratis habendis, servandis, tuendisque vetustis eorum legibus, privilegiis, & consuetudinibus, cautione data, & juramento is se quoque obstringat. Receptis in fidem solenniter, Præfectum, qui regio nomine rempub. curet, provinciæ unicuique Rex, quem vult, præficit. Olim sane is

ex

ex Bojemis aliquis, nunc fere, sed contra majorum morem & contra privilegium Wladislai II. Regis, itemque contra factam (*ann.* 1522.) à Ludovico Rege paterni perturbate ac obreptitie in contrarium dati privilegii Revocationem, ex primoribus provinciæ, cui præfuturus est, legi consuevit. Onera extra ordinem, nisi in quæ comitiis publicis populus consenserit, Rex iis nulla potest imponere. Vivunt ergo sub molli Regg. Bojemorum clientela, provinciæ istæ omnes, & suis quæque legibus, moribusque & institutis reguntur. Vt de iis singulis, quæ colligi possent, referamus, non fert instituti ratio nostri; breviter tantum, quæ huc facientia occurrunt, annotabimus.

II. *Moravia* igitur, quam veteres Marcomaniam dicebant, attingit Bojemiam ab ortu hyberno, & nomen accepit à Morava regionis amne primario, qui in ora ejus Septentrionali ortus, meridiem versus vadit, & Holomucen provinciæ metropolin, Cromierzisam episcopi aulam, Hradistam, Ostrovum, Straznicen, Hodoninum, Scalicenque prætervectus, Teja ad Tsahnovum seu Hohenavum auctus, in Vngariæ ac Austriæ confinibus Danubio miscetur. Insigne regionis publicum, est aquila

tessellata, alba & cærulea, capite coronato. Regnum aliquando Moravia fuit, cum terratum amplitudine, tum populorum multitudine opibusque florentissimum, cujus Reges prisci, dignitatem ac à majoribus acceptam libertatem suam finesque, longo sane tempore, non modo adversus vicinos Germanorum Regulos, verum & adversus impotenti dominatu graves Romanorum Imperatores, armis animisque virilibus defendisse, ac apud posteros memoranda cum laude tenuisse leguntur.[14] At cum Imperii sedes postea Roma esset Constantinopolin translata, & qui illic rerum potiebantur Imperatores, Moravis ex propinquo regia aula sua jungerentur, tum paulatim alteri alteris, amicitia pariter & fœderibus conciliari, æquioresque fieri assueverunt. Et quia comiter deinceps majestas Orientalis imperii colebatur à Moravorum Regibus, ea de caussa, non solum pax illorum populis dabatur, sed etiam doctores pii ex quibus Christianæ religionis mysteria discerent, ex Vrbe mittebantur. Tandem cum Francorum in Occidente potentia crevisset, & Caroli Magni

[14] *Vell. Patercul. hist. lib. 2. Iul. Capitolin. in M. Anton. philos. Ammian. Marcell. lib. 29.*

Magni posteritatem florens Moravorum fortuna magnopere ureret, nunquam ab hostilibus Germanorum machinationibus securum esse potuit hoc regnum. [15] Armis ipsorum belloque vexabantur Mogemirus, Radislaus, (Rasticium Germani vocant) & inprimis Svatobogius Reges. Defenderunt tamen utcunq; suos fines Moravi, usque dum Arnolphus Cæsar adversus Svatobogii filium Suaroplucum Regem, publicato ejus Regno, gentes finitimas omnes concitavit. Nam quia Svatoplucus suas simul & paternas injurias de Germanis ulturus, per Arnolphi, ut fertur, absentiam, in proximam limiti suo Danubii Otam, populabundus excurrit, & præda abacta, spoliisque gravis domum rediit, simultates, quæ odiis occultis, dudum in sinu fovebantur, in nervum tum eruperunt, Cæsarque Svaroplucum, majestatis prius condemnatum, hostem Imperii haberi jussit, ac regnum ipsius omne, primo cuique occupanti in prædam concessit. Corripuerunt igitur arma adversus illum Vngari, Poloni, Bavari, & ditiones ejus, prout cujusque vires & fortuna tulit, dilaceratunt. Rex hostibus tam multis

 neutri-

[15] *Annal. Fuldens. Regino Abbas. Luitprandus.*

neutiquam viribus par, prœlio ad Boni-ponrem (locus ostendirur in Vngaria) infeliciter commisso, vel inter suos cecidit,[16] vel, (ut plures perhibent) fuga elapsus, inter Soboris montis Anachoretas, vitæ tempus reliquum exegit. Quamobrem clade illa Regis sui, Moravia Regnum esse desiit, & partim Vngaris, partim Polonis, partim Germanis, in manus venit. Partes ab Vngaris Germanisque occupatæ, hactenus sunt, præter quam quod Turcus eripuit, in eorum potestate; partem vero quam Poloni occuparunt, quæque sola jam Moraviæ cognomentum servat, Bojemiæ principes Vldticus Brzetislausque, armis in Bojemorum jura transire coëgerunt.[17] Ex eo vero tempore redacta in præfecturam Moravia, non alios hactenus, quam Bojemiæ principes, dominos est agnoscere solita. Erat autem principibus Bojemis fere in more, ut si plures haberent filios vel agnatos, regionem hanc fiduciæ nomine, dominio directo jureque supremo sibi nihilominus reservato, inter eos dividerent, adeoque usum fructum in ea cum

[16] *Iohan. Thuroc. Chron. Vngar. part. 2. cap. 24. Cosmas Chron. Boj. lib. 1.*
[17] *Hagec. ad ann. 1110. Cromer. Orig. Polon. lib. 3.*

cum dominio utili iis permitterent.[18] Inde eſt, quod Brzetiſlai Pugnacis, Iohanniſque Regis filios ac nepotes, Holomucenſium, Brunenſium, & Znoymenſium ducum titulo, eam tenuiſſe, eorumque nonnullos etiam ad ſupremos in Bojemia faſces, voce populi publica vocatos ex ea fuiſſe comperimus.

III. *Sleſia* vero, quæ Bojemiæ adjacet ab ortu æſtivo, montibuſque ab ea, quos vetuſtas Sudetos, lingua noſtra *Krkonoſſe*, vocat, eſt diremta, putatur olim Squadorum fuiſſe patria. Poſtea tamen ſeculis non paucis ſub Polonis fuit, uſque ad tempora Wladiſlai Cubitalis Poloniæ Regis.[19] Publicum ejus inſigne eſt aquila nigra, pectus ſigno quodam μηνοειδεῖ decorata, vetus ſane noſtræ gentis ἐπίσημον. Nomen ſortita eſt à convenis, qui Slavis *Slezowe* dicuntur. Convenerunt enim ejus incolæ ex Winidis, Moravis, Bojemis, Polonis, Germanis, fixoque in ea pede, ſub diverſis Polonæ ſtirpis ducibus, unam in gentem coaluerunt. Factum ex hoc tot populorum concurſu eſt, ut linguæ, quæ omnium ſane Slavica erat, ſingularis tamen dialectus inter ipſos quoque naſce-

X 4 retur.

[18] *Coſmas ad an.* 1110. [19] *Ioan. Ludov. Decius. Polon. lib.*

retur. Quia vero temporibus posterioribus Germanica lingua partim à mercatoribus, partim ab ἀσωτεῖσις Slavici sermonis persequutoribus, ex Brandeburgo Pomeraniaque, male consulta Ducum incogitantia excitis, atque ad aulica ministeria admotis hominibus, sensim inferebatur, accidit avorum memoria, ut popularis ille Slavicæ dialecti usus, in desuetudinem fere ac contemptum abierit, jamque non nisi in trans-Oderanæ regionis plaga, ac contiguis Vngarico limiti agris, vulgo exaudiatur. Est autem Slesia satis ampla, nobilisque provincia. Dirimitur à Polonia silvis continuis,[1] & longa esse creditur circiter lapides quadraginta, lata circiter viginti.[2] Rigatur Odra, Bobro, Queisa, Boryczoque amnibus, estque in superiorem & inferiorem divisa. In qua quia Boleslai Crzivousti Poloniæ Regis ex Wladislao filio nepotes, genus magnopere propagarunt ac germinarunt, ventum eo est, ut patrimonium iis in capita divideretur. Quorum progenies cum subinde ex stirpe in stirpem sobolesceret, regionem omnem nunc in plures, nunc in pauciores portiones

[1] *Herburt. hist. Pol. lib. 5. cap. 6. Henel. in Breslograph. cap. 5.* [2] *Mart. Borec. hist. Boj. pag. 94. in Wratislae.*

tiones secari oportuit. Vna & viginti eæ ante Wenceslai IV. Regis tempora numerabantur. Singulæ autem portiones illæ cum dominiis suis, ducatus sunt vocatæ, & à celebratis principum aula urbibus cognominatæ. A Polonicis sceptris non uno omnes tempore, nec una ratione sunt avulsæ, ac in Regum regnique Bojemiæ clientelam traductæ. Aliæ enim sponte sua, aliæ metu, aliæ pactis, aliæ emptionibus, Bojemos acceperunt Dominos. Nostra hac ætate vasalli principes tota Slesia non multi sunt reliqui, quales sunt ex stirpe Regum Polona, Dux Legnicensis, & Dux Bregensis; ex stirpe Georgii Regis Cunstatæa, Dux Sambicensis, vel ut jam dici mavult, Munsterbergensis, & Dux Olesnensis. Ducatus cæteri, genere eorum, qui primi de iis erant investiti penitus exstincto, ad coronam Regni paulatim sunt devoluti, & Regum Bojemorum usibus attributi. Iurarunt autem in principis regnique Bojemi verba; Sua quidem sponte Duces, Cazymirus Opoliensis & Ratiboriensis, Tiessinensis & Bytomiensis; Wladislaus Cozlensis, Conradus & Henricus Glogovienses, hic etiam Zaganensis & ille Olesnicensis, Bolecus seu Boleslaus Falcobergensis: Ex pacto, Henricus Wratislaviensis, & Bolecus Suidnicensis

ac Iavoriensis: metu urgente, Boleslaus Legnicensis & Bregensis, iremque Bolecus Munsterbergensis: partim metu, partim venditione; Iohannes Srinaviensis & Nicolaus Francosteinensis [3]. Receptis hac ratione in suam fidem, omnibus his ducibus, instrumentisque authenticis, transactionum mutuarum testibus, eam in rem confectis, Reges Bojemi suas cuique ditiones, vexillis pro more reddirls, solenniter conferebant in feudum Ligium. Rex quoque Poloniæ Cazymirus, pro se suisque in Regno successoribus, juri omni quod in Slesiam prætendere forte posset, primum per legatos Trencinii in Vngaria, tandem ipse per se *(ann. 1335. 1339.)* Cracoviæ in aula Regia sua, scriptis documentis renuntiavit. Carolus vero Rex, quartus ejus nominis Romanorum Imp. diplomate singulari, Pragæ *(an. 1355.)* edito, totam illam regionem Coronæ Regni Bojemiæ nexu indissolubili in perpetuum univit, ac concorporem fecit. In qua

3 *Ann.* 1289. 1320. 1322. 1327. 1329. 1331. 1335. 1337. 1348. 1353. 1368. *testibus Investitt. literis; Chronico Aulæ regiæ, Caroli IV. Diario; Michoviensi; Cromero; Iac. Schick fusie.*

qua Constitutione Carolina, sicut & eam antegressa, transactionis cum Henrico Wratislaviensi Duce ab Ottacaro Rege factæ, Confirmatione Rudolphina, *(ann. 1290.)* hærent quidam ex nostris & quærunt quo jure subnixi Rudolphus I. vel Carolus IV. Impp. in Slesia, provincia nupet alioquin Polonis, non Imperio, obnoxia, quamque aliis titulis, quam ipsorum beneficio, Reges Bojemi suam jam ante fecerunt, non dubitarint potestatis Imperatoriæ plenitudinem exercere, idque adeo quod nec in decessorum, nec in sua ditione unquam fuisse norant, aliis vel dare, vel occupatum confirmare? Eam enim esse feudorum naturam, ut nihil, nisi quod ipse jure teneas, alii in beneficium conferre, vel utendum fruendum concedere queas. Ridiculum esse qui ex alieno est liberalis. Satis validam fuisse futuram, in Regno ornando ac amplificando Regiam Regis Bojemi potestatem ac concessionem. Et cum ostendi ex diplomatis Impp. istis neutiquam possit, vel ab utrolibet Wenceslao Rege, vel ab Ordinibus fuisse, ut id facerent, rogatos, potuisse fortasse ipsos absque omni, cum Imperatorii honoris sui, tum Coronæ Bojemicæ incommodo, de re in qua juris nihilo sane plus quam Galliæ Reges habebant,

esse securos: A qua cum si abstinuissent, nullum posteritati, quasi facti magis, quam juris via processissent, scrupulum fuisse objecturos. Nec debet plenitudo potestatis extendi ad injuriam aliorum, alioquin non potestatis, sed tempestatis plenitudinem fore judicarent docti in jure Viri. [4]

IV. Omittimus tamen hanc, qualis qualis est considerationem, & (quod reliquum de corpore coronæ Bojemicæ est) de *Orientali Marchia* seu *Lusatia*, quæ dicere habemus, dicemus. Sortita autem nomen est Lusatia à salribus seu virgultis compascuis, quæ Slavorum lingua *Luzy* vocantur; & attingit Bojemum limitem ab Aquilonis Vulturnique plaga. Incolæ ejus sunt confusum cum Slavis Germanisque genus: Lingua qui cultiores esse volunt Teutonica, qui agrestiores Slavica loquuntur. Vulgo Latinis Vindi, Germanis *Wenden*, Bojemis *Srbi*, & regio ipsa *Srby* vel *Srbsko*, appellatur. Irrigant eam Spreva Nissaque amnes. Est autem illa quoque alia Superior, alia inferior. Superioris Budesina, inferioris Lucovum vel Zdiatum seu Sorava est caput: hujus insigne est bos, illius muri

[4] *Vasq. lib.* 1. *illustr. controv. cap.* 5. *num.* 17. *Cravett. cons.* 241. *n.*29.

muri pinnati. Suis utraque olim paruit dominis, & habebatur provincia Germanici Imperii limitanea. Quæ quamvis prior multo quam Moravia Slesiaque, Bojemis principibus venit in manus, aliis tamen atque aliis de caussis, ab eorum ditione aliquoties excidit. Primus in ea scribitur rerum esse potitus Wratislaus, Lucensis apud Bojemos ex principum stirpe Toparcha, Wnyslai principis frater. Cujus à morte, quia Wlastislaus filius furere, ac arma adversus agnatum Neclanum principem expedire, quam fines, patris virtutibus prolatatos, ab hostium incursionibus defendere maluit, Germanis ea in prædam cessit. Wlastislao tandem ad Tursceum in prælio, & Zbillao ejus filio ad Postoloportam pædagogi fraude interfecto, Neclanus solus tum Bojemiæ toti imperans, de ea ex Caroli junioris, Caroli nempe Magni filio, potestate eripienda laborabat, misſoque sub signis, ac sub Lechi & Milednubi præfectura exercitu satis instructo, eam quidem quæ superior vocatur, recuperavit, sed inferiorem amissis (*ann.* 805.) in pugna, iis quos dixi, belli ducibus, hosti extorquere neutiquam potuit. [5] Mansit nihilo minus in principum

[5] *Annal. Caroli M. & Fuldenses.*

pum Bojemorum potestate, ut tum recuperata fuit, regiuncula Hexapolis Lusatia superior, ad id usque tempus quo à Boleslao Sævo principe, cum Daubravca filia Miesceo Poloniæ principi (*an. 965*) in dotem est data. [6] Ea tamen intra annos fere centum ad dominos priores reversa, iterum cum Beatrice filia in matrimonium Ottoni Brandeburgico collocata, ab Rege Wenceslao Lusco dotis titulo est genero assignata, vel ab eo, sicut alii [7] perhibent, post Przemysli Ottacari II. interitum dolo ac vi intervesa, ejusque stirpis Marchionum imperiis, centum, præter propter, annos alios gubernata. Waldemari namque marchionis morte, qui absque liberis decessit, à Ludovico Imperatore vel ingratiis in Iohannem Bojemiæ Regem Regnique coronam translata, ejus se fidei potestatique, (*ann. 1319. 1328.*) tanquam ordinario, legitimo, naturali, domino suo, & Coronæ regni Bojemiæ, de cujus gremio dudum constiterat, [8] quantumvis fremente Gorlicii invasore Henrico Iavorii in Slesia duce haud invita submisit. Ab eo tempore arctissimo, legibus

[6] *Abrah. Hosman.* [7] *Hagec in an. 1322.*
[8] *Attestation. princip. Elector Norberg.*

legibusque confirmato nexu, in corpus coronæ Bojemicæ inserta, non sub aliis, quam Bojemiæ Regibus fuit; nuper demum ab Imp. Cæs. Ferdinando II. Saxoniæ Electori, *(ann. 1620.)* ob studium operamque Bojemico bello, adversus Fridericum creatum Bojemiæ Regem, conatibus magnis præstitam, in sumptuum bellicorum compensationem *ἀντιχρήσεως* jure, ex compacto ad tempus certum tradita.

X. *Inferior* vero *Lusatia*, ex quo, ut diximus, semel armis Germanicis Wladislao Lucensi fuit extorta, non prius ad Bojemos recidit, quam esset ab Imp. Cæs. Henrico IV. rejectis Dedonis hæredibus *(ann. 1075.)* in præmium navaræ variis bellis operæ, Wratislao Bojemorum Regi primo, dono attributa. [9] Wratislaus tamen paulo post pecunia à Wiperto mutuo accepta, pignori eam, dum redimeretur, apud ipsum reliquit. Ære igitur hoc mutuo, quod ad septingentas argenti marcas assurgebat, Cunegundæ Wiperti viduæ *(ann. 1139.)* repræsentato, recuperavit quidem Regionem Wratislai Regis filius, Bojemiæque princeps Sobieslaus, sed possessio ejus diuturna ipsi non fuit: Dedonis enim

9 *Aschafnaburgens.*

enim gentili Cuntado; Misniæ Marchioni eam aliquanto post tradidit. Cuntadi hujus posteri rerum in ea plus quam centum & sexaginta annis sunt potiti, antequam Fridericus Marchio, bello adversus Waldemarum Marchionem gesto captus, ejus jactura libertatem suam redimere est coactus. Waldemaro tandem intra annum septimum (*ann.* 1312.) absque liberis defuncto, Iohannes Bojemiæ Rex, Imp. Cæs. Ludovico, vel consentiente vel connivente, juris eam Bojemici iterum fecit. Quæ ne alienari posthac à Regno Bojemiæ ratione ulla posset, Wenceslaus Rex, (*ann.* 1411.) & mox frater Sigismundus Cæsar, (*anni* 1414.) à quatuor provinciæ Ordinibus rogati, privilegiis singularibus caverunt. Iis nihilominus haud quicquam motus Sigismundi nepos Ladislaus Rex, Marchioni ac Electori Brandeburgici Friderico II. eam dedit. Restituit illam tamen paulo post Ladislai successori Georgio Regi idem Fridericus; sed restituit mutilam, Chotiebuzen videlicet is, Pescovum, Starcovum, cum Picino, seu Peutceno propugnaculo, cæteroque ejus oræ agro titulo feudi hypothecæque retinuit, quæ singula hodieque in Electoris Brandeburgici ditione censentur. Sic nuper (*ann.* 1620.) quoque per Imp.
Cæs.

Cæſ. Ferd. II. eſt regio iſta à radice Bojema reciſa, & Saxoniæ Electori, iiſdem quibus Hexapolis de cauſſis, eodemque, ut perhibent, contractu tradita. Hoc igitur eſt totius Bojemi Regni ac coronæ, harmonia ſane membrorum pereleganti ſapienter coagmentatum corpus, hæc concordia admirabili, legumque vinculis mutuis, firmiter inter ſe connexæ provinciæ, de quibus ea ſaltem quæ illuſtrandæ Bojemorum reipub. ſervire poſſe vidimus, compendio referre voluimus, quæque lectoribus, ut non ingrata, ita nec inutilia fore judicavimus.

CAP. VIII.

De Principibus Regibusque Bojemiæ.

I. QVÆ apud Bojemos vel olim fuerit, vel ætate noſtra, adeoque nuper adhuc viguerit, reipub. forma & adminiſtratio, jam ante, quinto capite, ut tulit ingenii imbecillitas noſtri, diſſeruimus: nunc, ſi heroas illos, qui ad ejus clavum alii poſt alios admovebantur, quique in ea gubernanda operam ponebant, ordine enumeraverimus, nihil ab inſtituto alienum facturi fortaſſe ſumus. Et quia nemo rerum noſtræ gentis ſcriptor eſt, qui caput hoc hiſtoriæ præter-

eat, ideo tanto nobis laborem hujus viæ expeditiorem fore arbitramur, quanto plures sunt à quibus eam ante nos, non inscite tritam animadvertimus. Scribemus vero primum de Iudicibus, postea de Ducibus, postremo de Regibus, quorum prudentia rem Bojemam, inde à condita gente, ad hoc usque ævum curatam fuisse accipimus. Legimus autem quatuor tantum Iudicibus gentem hanc olim obtemperasse, qui populum in sua regione, tum adhuc novitium, scriptarumque legum per id tempus necdum gnarum, patria quadam κηδεμονικῇ, vel, si multum volumus dicere, Prætoria potius quam δυσκαρτερήτῳ quapiam authoritate, in disciplina tenebant.

II. Tales erant

IVDICES,

I. CZECHVS qui multitudinem omnis ordinis, sexus ac ætatis hominum, primorum gentis Bojemæ conditorum, in hanc, sicut jam diximus,[1] desertam, silvis horridam, & à multo tempore incultam regionem, cum Lecho fratre, adduxit, colendamque ac ædificiis exornandam sociis primus distribuit. Is dolore populi omnis permagno,

[1] *Sup. cap.* 4. § 3.

gno, posteaquam explesset annos vitæ sex & octuaginta, fatis concessit, & Crinovesi est sepultus. Ei mortuo longo quidem tempore, nemo surrogabatur; sed cum societas novellæ gentis, ab hominibus inquietis, variis contentionibus perturbaretur, suffectus tandem illi est divinationibus clarus juvenis

II. *Crocus* Hledi filius, Topatcha Wladorzinus. Is collapsam nonnihil honestatis observantiam in populo restituit: cujus in gerendis rebus dexteritatem admirati, gens consanguinea Poloni, missa legatione solenni, eum ad ordinandam suam quoque tempub. evocarunt. Qui licet ætate jam tum erat affecta, precibus tamen victus, provinciam, quæ offerebatur, suscepit. Verum priusquam abibat, de primorum inter Czechos assensu ac voluntate, dignitatem, quam tot annis gessit, in filium cognominem transtulit, qui fuit

III. *Crocus Iunior*, fundator ludi in magicis præstigiis literarii in urbe Budecza. Hic totidem, quot Czechus, vitæ expletis annis, nulla sexus melioris relicta prole, in vivis esse desiit. Ex superstitibus nihilominus ejus filiabus, juri in repub. dicundo, ob patris & avi merita, vaticinandique peritiam, communi universorum sententia, maxime est visa

 idonea,

idonea, ac propterea patri in dignitate substituta, filia natu minima

IV. *Libussa virgo, Bojemorum Sibylla.* Nata quinque & viginti annos fuisse fertur, cum gerendæ reipub. præficiebatur. Et quamvis non ut posterioris, literis utcunque exculti, ævi, ita primorum gentis hujus temporum historia accurate distincteque ad posteritatem est conservata, ut propterea, ad gentis ætatem propemodum decimam, de annis, in quos res quæque incidit, ἀποτόμως scribere, religio fere possit videri; edisserere tamen quod ex comparata cum rebus nostris accuratiore per ea tempora gentium cæterarum chronologia, ut verisimile probabileque existimamus, piaculum vix fore ullum arbitramur. Perhibent igitur jus populo dixisse à dignitate suscepta, Libussam virginem, antequam nupsisset, annos ferè XIII. Crocum patrem XXXIX. Crocum avum L. Czechum senem XXVII.

III. Quia vero Libussæ imperium muliebre, visum postea fuit, cum viris indignum, tum gentibus aliis ridiculum, post multas ultro citroque disceptationes, placuit populo omni, ut rempub. posthac administrarent viri, cum majestatis splendore

DUCES.

Numinis igitur, ut credebatur, suggestione, electus est, Libussæ quidem maritus, genti vero princeps ab aratro

I. PRZEMYSLUS, Stadicii pagi dominus, Libussæ quondam in schola Budeczana condiscipulus. Leges hic populo suo salutares non paucas tulit. Mulierum, viros servitute infami premere connitentium, insaniam, cunctatione prudenti fregit. Sextum & trigesimum, cum ad sceptra vocabatur, agebat ætatis annum, imperavit fere quatuor & quinquaginta, mortuus nonagenario major, Anno Christiano 632. Suffectus ei est filius

II. NEZAMYSLUS, cui, qui imperii primus, ætatis quintus & trigesimus erat annus. Acceptam à patre remp. patris exemplo prudenter gubernavit. Bellum, à patre relictum, in Bavaria, Tudruho duce gessit. Administravit rem Bojemam annos novem & quadraginta, obiit vitæ anno quinto & octuagesimo, Christiano vero 691. Datus ei ab Optimatibus est successor filius

III. MNATA. Egit is tum annum ætatis quartum & vigesimum; princeps ædificando, & justitiæ administratione clarus. Wissovecios ex domesticis, Moravos

ravos ex vicinis habuit hostes. Præfuit populo suo annos tres & quinquaginta, vixit septem & septuaginta, decessit anno Christiano 735. In ejus locum nequicquam indignante, & se quoque principatu dignum vociferante Rohovicio, stirpe Wrssovecio, cooptatus est annos jam tum triginta natus filius

IV. WOGENUS, vir bellator, & adversus Misnios Saxonasque felix, qui potitus rerum annos duodetriginta, moritur, postea quam vixisset annos octo & quinquaginta, anno Christi 763. Ab ejus excessu, collocatus in paternum solium, principatus habenas accepit

V. WNYSLAVS, princeps pacis & populi amans. Quartum ille & vigesimum attingebat annum, cum ei reipub. procuratio commendabatur; in dignitate vero exegit annos duos & viginti. Excessit è vivis vitæ anno supra quadragesimum septimo, Christiano 785. Creatus post ipsum est princeps filius

VI. CRZEZOMYSLUS, sagax ingenio vir, statura sane brevis, sed manu promptus. Accessit ad rempub. anno ætatis supra vigesimum quinto. Pragam Majorem privilegiis primus ornavit, Moravos grassatores compescuit, Carolo Magno (an. 789.) in Bojemiam cum exercitu irrumpenti, conatus, opera cum patruo Wratislao

Wratislao viro militari conjuncta, frustraneos fecit. Vixit in principatu annos novendecim, inter mortales quatuor & quadraginta. Fatis concessit anno Christi 804. Aliàs pleritque omnes ipsum cum Wnyslao confundunt, & propterea binominem faciunt. Sequutus autem ipsum in principatu est, puer tum adhuc filius, Wratislai patrui magni curæ à proceribus commendatus.

VII. NECLANUS, homo quidem animo pusillo, sed quem nec idem patruus magnus, quoad vixit, nec consiliarii bellis egregii viri, Lechus, Miledruhus, Stytus, aliique, injurias, quæis nunc Moravi, nunc Saxones, ei erant graves, inultas ferre permittebant. Crasnicus quoque & Wratislai patris successor Wlastislaus, ille Cautzimanus, hic Lucensis satrapes, despicatui ipsum habebant, & hostiliter lacessebant, uterque tamen irreparabili suo cum damno. Belligerabatur itaque & intra & extra Bojemum limitem per duces illos suos Neclanus, fortuna plerunque propitia. Duodecimum nondum excedebat annum cum sub magistro & tutore Wratislao patruo magno, magistratum gerere cœpit, quem annos quinque & triginta gessit. Vivendo est egressus annum sextum & quadragesimum, exstinctus letho an-

no Christi 839. Filius ergo ejus votis populi concordibus post ipsum est electus.

VIII. HOSTIVITVS princeps, humanitate celebris. Mstibogius frater, Sucoslauſque Bilinensis toparcha, regimen ipsius turbabant, sed incommodo suo semper, quam ipsius, majore. Primus hic ex Bojemiæ Ducibus, à Germanorum principe Ludovico Imp. paulo post mortuo in amicitiam est receptus, sancitaque hostilitatis præteritæ *ἀμνησίᾳ*, & percusso fœdere novo, & eo non nisi æquo, Imperii socius factus. Tenuit fasces Bojemos annos septendecim, vixit quadraginta quinque. Mortuus enim fertur anno salutis 859. Mortuo illi surrogatus est filius annos tum tres & viginti natus juvenis,

IX. BORZIVOGIVS, princeps cum religionis, tum populi, quem regebat, curantissimus. Hic cum jam longo tempore, rem Bojemam in multa pace gubernasset, sollicitabatur à Moravorum Rege Suatopluco de bello Arnolpho Imp. faciendo. Evocatus igitur capiendi de re tam ardua consilii secretioris caussa, venit ad illum Welehradum. Vbi cum esset, à Metudio Episcopo in Christiana religione est institutus, ac cum comitatu omni suo, (*ann.* 894.) aqua salutari tinctus. Sexagenario jam tum

tum major erat, cum profanis gentilium superstitionibus renunciavit.

IV. Quem, posteaquam domum reversus Christianæ disciplinæ sacra populo palam commendare inciperet, neque ut ad majorum cultus rediret, procerum commonefactionibus moveri vellet, primores regionis abdicarunt, & finibus suis excedere coëgerunt. Verum cum nec Stogemirus in ipsius locum princeps surrogatus, Bojemice amplius sciret, nec respub. moderatore absque pernitiosis motibus carere posset, revocatus ab exsilio, loco restituitur. Dignitate recuperata totis viribus in id incubuit, ut & excitatas per absentiam suam turbas omnes componeret, & religionis castitate regionem imbueret. In quo utroque cum septennium consumsisset, & molestias, quas summa in repub. potestas secum trahit, declinare cuperet, commendatis in publico populi conventu, procerum concilio suis liberis, magistratu ultro abiit, & in Tetinianos secessus se cum uxore recepit. Declaratur igitur pro eo princeps commendatus à patre

X. ZPITIHNEVUS juvenis sapiens & solers, cujus tamen regimen noluerunt fata esse diuturnum. Intra biennium enim ab initio principatu obiit, salutis anno 906. Eo sublato offereban-

tur sane iterum sceptra Borzivogio, sed quia carior ipsi, quam honores onerosi, sua fuit quies, resumere is ea inconsultum ratus, filium populo alterum proponebat. Impositus igitur rebus est, tempub. ut frater decessor, paternis consiliis gubernaturus.

XI. WRATISLAUS princeps plus & à nulla viro magno digna virtute destitutus. Hic patre ad annum 910. funerato Vngaros in Bavaria hostium communium provincia bellum circumferentes, cum non contemnenda militum manu est sequutus, cæsoque in prælio Burcardo Duce (*ann.* 911.) victor domum rediit. Mortuus est anno principatus decimo, Christiano 916. Quoniam vero is filios reliquit impuberes, frequentibus sane comitiis statim ab ejus obitu designatus est princeps natu inter illos minor, [a] puer octennis

XII. WENCESLAUS. Interea vero dum is sub pietatis literarumque magistro Caico, ac aviæ Lidumilæ disciplina adolescit, matri ipsius Drahomiræ importunè eum honorem deposcenti, reipub. cura committitur. Sed cum ea in populum, qui Christo nomen dedit, impotenter sæviret, præbuit Optimatibus

[a] *Chron. Boleslav. cap.* 25.

matibus caussam, potestatis sibi tempestivius abrogandæ. Vix igitur quartum decimum ætatis annum ingressus princeps designatus, & populi qnerelis commotus, & procerum hortatibus exstimulatus, manum gerendę reipub. *(an.921.)* admovere est jussus. Morum sanctitate & boni publici impensissimis studiis non tantum populo suo, sed & Romanorum Imp. Henrico I. valde ille fuit carus, à quo Rex quoque magno cum Germanorum principum, Wormatiæ tum comitia habentium, applausu consalutatus, & liberaliter donatus fuisse perhibetur. Cum tamen magna omnium exspectatione turbatas sub matre res Bojemas emendaret, occisus est nefario, adspirantis ad sceptra Boleslai fratris scelere, anno ætatis trigesimo, qui à Christo nato erat 938. [3] In sanctorum martyrum numero, à nostra gente hodieque connumeratur. Cæde perpetrata, rapuit fasces fraternos parricida

XIII. BOLESLAVS cognomento Sævus, princeps principio dominatu aspero subditis gravis, postea tamen utcunque tolerabilis. Acceptæ à majoribus libertatis jura, bello cum Imp. Cæs. Othone M. servitutem principibus Bojemis

3 *Dithmar. Chron. l. 2. Sigebert. Gemblac.*

mis intentante, continuis quatuordecim annis gesto, strenuè defendit. Postremo tamen belli perosus, pacem & Imperii Germanici amicitiam sempiternam, annua certi tributi pensione redimere, quam odio Impp. perpetuo, seque suosque successores involvere maluit. Repub. ad annos novem & viginti gesta, è vivis excessit, ætatis anno primo & sexagesimo, Salutis *967*. Successor illi est datus

XIV. BOLESLAVS natu minor filius, cognomento Lenis. Hic principatu inito, sequutus in religioue est patrul, in bellis gerendis patris, vestigia. Misna & Cracovia Vrbibus per belli duces suos occupatis, fines ditionis late in Misniam Poloniamque produxit, & quæ occupavit, ne ab hoste sibi eriperentur, quoad vixit, cavit. Othonis II. Imp. Bavariæ ducem Henricum in Bojemiam persequentis, exercitum ad Pilznam *(an. 976.)* concidit. [4] Obiit relicto genti suæ, filioque & nepotibus, dolore permagno, imperii anno secundo & trigesimo, salutis partæ *999*. Venit post ejus fata ad dignitatis inter Bojemos culmen summum, patri æquivocus princeps, vir jam tum quadragenario major

XV. BOLE-

[4] *Dithmar. Chron. lib. 3.*

XV. BOLESLAVS cognomento *Rufus, Avarus, & Cacus*. Hic, quæ pater virtute in Misnia Poloniaque occupavit, ignavia amisit sua; Nec enim collocatis à patre arcium præsidiis, cum hostis obsidione premebantur, auxilio veniebat ipse, nec supplementa mittebat, nec stipendia numerabat. Cracoviam tandem à Polonorum Rege avunculo blandiloquentia versuta ad colloquium de pace invitatus, in insidias *(an. 1002.)* incidit. Detentis enim, quos secum habuit, aulæ familiaribus captivis, cæcus domum est remissus. Quem sequutus mox valido cum exercitu Polonus, in Bojemiam irrupit, urbes, arcesque, qua ibat omnes, nemine prohibente cœpit; Pragamque adeo ipsam paulo post, Wrssovicensium proditione, Duci oculis capto eripuit, eamque biennio per præfectos, & relictum in præsidio militem tenuit, Wysschrado arce excepta. Quartum & quadragesimum agebat ætatis annum Boleslaus, cum princeps à Bojemis declarabatur: Obiit mortem ætatis anno octuagesimo secundo, Christiano 1037.

V. Reverso illi ex Polonia absque oculorum, ut diximus, usu, gubernandæque reipub. protsus inutili facto, in magistratu successor, annuente ipso, statim est datus filius junior

XVI. IA-

XVI. IAROMIRUS. Hic Poloniæ Rege Boleslao ad Pragam obsidendam, cum exercitu contendente, ne forte, ut qui necdum in principatu esset confirmatus, nec à rebus gerendo bello necessariis paratus, in ejus manus incideret, de patris consilio, ad Henricum Cæsarem in Saxoniam profugit. Cujus fugæ caussa cognita, in Boleslaum Polonum jam dudum non bene animatus Imperator, expeditionem decernit, & contractis Mersebugi copiis omnibus, acceptoque secum Iaromiro Duce exsule, recta in Bojemiam (*ann.* 1005.) Augusto mense ducit. [5] Iamque perruptis impeditis silvarum angustiis, in ipso regionis aditu, castellum quoddam, Iaromito à defensoribus ultro deditum, munit. Inde ad Zatecium venienti, Vrbis portæ ad primum Iaromiri conspectum, trucidatis Polonicis præsidiis, similiter aperiuntur, Bojemorumque ad ducem suum concursu magno, Cæsaris vires augentur. Præmittitur igitur cum manu expeditiore Iaromirus ad Pragam in potestatem redigendam. Fama tanti motus consternatus Boleslaus Rex, periculo præ vertendum videt, & convasatis tumultuariè rebus, nocte concubia, cum jam in Wyschrado

[5] *Diethmar. Chron. lib.* 6.

sehrado arce campana irruptionis signum civibus daret, in pedes se cum Polonis suis, Bojemisque perduellibus, conjicit, ac in Lusatiam evadit. Ingreditur ergo Pragam Decembri ineunte ovans Iaromirus, & mox postridie ab omni populo princeps Bojemiæ, in patris cæci præsentia, iterum salutatur. Henricus quoque in Wyssehradum arcem invitatur, ac veniens, honoribus, quibusque maximis excipitur. Qui tamen non diu Pragæ cunctatus, ex Bojemia ad cingendam Budesinam Vrbem, in quam se Boleslaus ex fuga recepit, cum suis Iaromirique copiis properat. Anno tandem ab Iaromiri restitutione septimo, (*ann.* 1012.) venit ex Bavatia cum exercitu improvisus frater ejus natu major Vldricus, ob prælatum sibi in principatu fratrem exasperatus, pertractisque in partes suas proceribus non paucis, & inprimis Cochano Wrssovecio Iaromiri ducis hoste jurato, ad Pragam agminibus infestis accelerat. Fratris metu, imparatus ad resistendum Iaromirus, Praga pridie Paschatos excedit, & primum in Poloniam ad avunculum Boleslaum, tametsi hostem, profugit, inde vero ad Archiepiscopum Waltherdum, ipso ad Cæsarem placandum intercessore usurus, Magdeburgum venit. Abalienavit enim

ab

ab eo nuper ob cæsos Bavaros quosdam, pollicitationibusque Bojemo principi pactum honorificis, suum fecit Cæsarem Vldricus, quin & astutia sua rem eo perduxit, ut frater miser Merseburgi Ethelbodo præsuli sub custodia servandus traderetur. Rebus igitur sic ex voto cadentibus ingressus Pragam, invadit, ac vi armata derelictum à Iaromiro principatum occupat.

XVII. VLDRICUS, qui in ipsis gubernationis initiis accersitus à Cæsare, Merseburgum est profectus, ab eoque non solum principatus per vim usurpati confirmationem, verum & fratrem captivum in potestatem accepit, cum quo Pragam reversus, non putavit se ab eo esse posse in imperio securum, nisi novandarum rerum facultatem, & de reposcenda dignitate priore, cogitandi cupidinem omnem ei resecaret. Ex Vurssovicensium itaque consilio, visu privat miserum, ac in Lyssam arcem relegat. Sed quas à fratre metuebat insidias, eas ab iisdem Vursſovicensibus, vitæ honorique suo persæpe structas sentiebat, ac ægre effugiebat. Bellum adversus Polonos in Moravia Lusatiaque, (*an.* 1026.) adversus Cunradum Imp. servitute insolita Bojemos premere conantem, & raptum ex Cœnobio Svini-Brodano Iudithæ

dithæ agnati principis filiæ *(ann.* 1031.) ulciscentem, in media Bojemia, *(ann.* 1032.) feliciter gessit. Præfuit rerum summæ in Bojemia annos quinque & viginti, mortuus, eodem quo cæcus pater anno, Christiano nempe 1037. Successit in ejus locum, patrui Iaromiri intercessione adjutus, filius

XVIII. BRZETISLAVS vir pugnator, & Achilles Bojemicus. Adolescens vix annos octodecim natus, Iuditham Othonis Albi filiam, virginem εὐλόφυλον, ex cœnobio, ut diximus Svini-Brodano apud Ratisbonam *(ann.* 1031.) rapuit, & præter majorum morem, qui conjugia hactenus, non alibi quam intra fines suos quærere consueverunt, uxorem duxit. Res Bojemas in vindicata ex Polonorum potestate Moravia, confirmavit, Vngariam ad Strigonium usque vastavit, Polonicas Vrbes Wratislaviam, Posnaniam, Gnesnam, desormato igni ac ferro omni circumjacente agro, imperata facere coëgit, *(ann.* 1038.) & diripuit, adeoque etiam de tributo, in annos singulos Bojemis principibus pendendo, cautionem Polono principi extorsit. Ex hujus expeditionis successibus, facta est Bojemia cum populi agrestis colonia & pecoris multitudine abundantior, tum thesauris suppellectilique

aurea & argentea opuleutior. Henricum III. Imp. manubias hasce ex Polonia, cum verbis nihil proficeret, vi armata ab se repetentem, finesque Bojemos cum exercitu (*ann.* 1040.) ingressum, in ipso silvarum aditu, clade ingenti repressit. Sed ab eo tamen intra annum cum copiis majoribus reverso, graviter mulctatus, (*ann.* 1041,) pacem prece & pretio redimere habuit necesse. [6] Exegit in principatu annos septendecim, esse in vivis desiit anno Verbi incaruati 1055. Administravit post ejus obitum Bojemorum rempub. diligenter à patre primoribus commendatus filius primogenitus

XIX. ZPITIHNEVUS ὁ ἐπιζκής. Linguam populi sui indigenam, solam his in Bojemia obtinere, Germanicam vero Germaniæ incolis remittere, æquum censuit: ideoque Germanos qui Bojemice nec scirent, nec scire vellent, promulgato statim post initum magistratum Edicto, in Germaniam suam emigrare jussit. Fratres, quibus Moravia à patre erat distributa, inhumaniter & acerbe tractavit, admonitus tamen à sanioribus, ne in genus ipse suum sæviret, in gratiam paulo post cum iis rediit. Et duabus arcis Pragensis ædibus sacris, quia

[6] *Marian. Scot. Chron.*

quia angustiores erant, unam cathedralem, capacem ac operis elegantia magnificentiaque egregiè ornatam, fecit. Sexennio duntaxat in magistratu exacto, de vita abiit anno Christi 1061. Ejus regimen excepit frater natu proximus

XX. WRATISLAVS cognomento Iustus, ex paterna dispositione dux Holomucensis, qui territorium tamen suum, fraternæ acerbitatis metu desetere, & in Vngaria delitescere erat coactus. Is Germanis tanto familiarius utebatur, quanto ab eorum consortio decessor frater erat alienior.

VI. Ab Imp. Cæs. Henrico IV. Lusatiam superiorem, navatæ adversus Saxonas perduelles operæ (*ann.* 1075.) præmium tulit, & paulo post conventu Ordd. Imperii Moguntino, seu, ut quidam scripsit, Herbipolensi,

EX DVCE REX

Bojemiæ Poloniæque est factus.[7] (*ann.* 1086.) Leopoldum Austriæ Marchionem in Moravia fudit & fugavit. Wyssehradensem basilicam exstruxit, & liberaliter dotavit. Rempub. gessit, titulo Ducis annos quindecim, Regio sedecim. Defunctus est salutis anno 1093.

[7] *Chron. Citizense.*

Et quia personalis duntaxit fuit illa dignitatis regiæ collatio, cum Wratislao quoque exspiravit, & gubernandæ reipub. ut semper antehac, Ducis titulo est præfectus ejus frater

XXI. CVNRADVS, dux ex dispositione paterna Brunensis Znoymensisque. Sed perbreve ejus fuit regimen, Octavo siquidem ab initio magistratu mense, morte est exstinctus, eodem quo frater Rex anno 1093. Ad famam mortis ejus advolavit ex Vngaria Wratislai Regis filius

XXII. BRZETISLAVS princeps ejus nominis secundus, qui patris offensi indignationem declinans, hactenus istic apud avunculum exsulabat. Substituitur ergo is à populo in patrui ducis defuncti locum. Gubernationem suam est auspicatus ab hariolis, incantatoribus, divinis, sagis, veneficis, & cæteris infames id genus artes tractantibus, quos omnes è vestigio regione omni jussit excedere. Poloniam ferro ignique late depopulatus, Wladislaum ejus principem, de tributo, quinquaginta nempe aureis, argenti verò quinquaginta marcis annuis, (quas ab avo Brzetislao regioni illi quondam impositas fuisse sciebat) idoneè sibi ac successoribus suis Bojemiæ principibus cavere coëgit. Occisus à Loreco

Vursso-

Vutſſovecio ex inſidiis, amiſit vitam anno principatus ſeptimo, Chriſtiano 1100. Succeſſit in illius locum frater conſanguineus, jam pridem Ratisbonæ à Cæſare & Brzetiſlao, Ordinibus inconſultis, Bojemiæ princeps deſignatus

XXIII. BORZIVOGIUS II. Variè cum hoc principe fortuna luſiſſe, & aliis ipſum quaſi ſpeculum, in quod intuentes ad vigilantiam modeſtiamque excitentur, proponere voluiſſe eſt viſa. Principatus enim ſolium is ter conſcendit, ſed ter de eo quoque eſt deturbatus. Nam quia à Cæſare prius quam à populo Bojemo magiſtratum accepit, nunquam ſubditorum animos ad obſequia fidemque, ultro propendentes habuit [8]. In Germanos quoque quam in Bojemos major propenſio, odium ipſi apud Bojemos creabat. Dejicere ipſum de ſolio tentarunt Vldricus Cunradi, (*an.* 1101.) & Svatoplucus Othonis, (*ann.* 1104. 1105.) patruorum filii. Quibus etſi res initio non ex voto ſuccedebat, cum tamen paulo poſt etiam Wladiſlaus frater ab eo ſe alienaſſet, erupetunt occultata adverſus ipſum populi odia. Deferebatur igitur, ſuffragiis Optimatum conſen-
Z 3 tienti-

[8] *Chron. Boleſlavienſ. cap.* 55. 63.

tientibus, teipub. gubernatio ad Wladislaum. Sed cum is tergiversaretur, & in agnatum pro se votum conferret, accitus is est ex Moravia, Borzivogii nempe æmulus, de quo diximus,

XXIV. SVATOPLVCVS, quem cum populi magna gratulatione adventare cognovisset Borzivogius, cum fuis primo ad Boleslaum cognatum in Poloniam, & mox ad Henric. IV. Imp. in Saxoniam (*ann.* 1107.) profugit. Imp. itaque Svatoplucum ad se accersit, & venientem in vincula conjicit, proceresque qui cum eo venerant, Borzivogium reducere, ac dignitati restituere jubet. Sed ii tamen in itinere ab Othone Svatopluci fratre, ad Doninum arcem sunt dissipati, & Borzivogius Poloniam repetere coactus. Svatoplucus vero promissa Cæsari ex vinculis, si liber in Bojemiam remitteretur, pecuniæ vi permagna, & Othone fratre interea, dum promissis satisfiebat, obside dato, libertatem pariter & ducatum recuperavit, Borzivogio cum Polonis frustra in Bojemos fines irruptionem faciente. Militavit Cæsari Svatoplucus adversus Colomanum Regem in Vngaria, & adversus communes tum hostes, Polonos in Slesia, ubi in Glogovi obsidione, cum ex Cæsaris papilione vespertinus rediret à Iesseco-

Tista

Tista Vurslovecio Wiperti Marchionis instinctu, ex insidiis est trucidatus, principatus sui anno secundo, salutis vero 1109.[9] Mortuo illi statim istic in castris, Waceco Comite postulante, successorem designavit, & Pragam, cum instructo mandatis Dierrisseco, ad ineundum magistratum misit Cæsar, Othonem fratrem. Sed quia principem neque Waceco soli legere, neque Cæsari pro arbitrio obtrudere, per leges licuisse videbant proceres Bojemi,[10] ideo frustratus spe est Otho, & concordibus suffragiis, in solio est collocatus Wratislai Regis natu quintus filius

XXV. WLADISLAUS, qui ab inita dignitate mense tertio Ratisbonam ad comitia invitatus à Cæsare, Praga excedens, Borzivogio fratri principatus denuo invadendi occasionem præbuit. Is enim quam primum comperit Wladislaum iter Ratisbonense meditari, collecto in Srbia seu Lusatia apud Wipertum affinem armatorum globo, in Bojemiam, cum jam frater Dux Plznæ esset, irrupit, & Pragam ad IX. Calend. Ianuar. nemine resistente est ingressus. Edoctus de Borzivogii Wladislaique fortuna

[9] *Cosmas, Prag. Monach. Pegav. in vita Vviperti.* [10] *Chron. Boleslav. cap. 57.*

tuna Imp. Henricus, movet ipse cum exercitu, qui tumultuario contrahi potuit, in Bojemiam, & diem fratribus, quo Rokytſanæ ſibi uterque præſto ſit, conſtituit. *(ann. 1110.)* Vtroque ad diem præſente, Borzivogium ſub cuſtodia detinuit, Wladiſlaum vero Pragam ad capeſſenda reipub. gubernacula temiſit. Sed pacate tamen officio fungi neutiquam ſinebant Wladiſlaum, cum Sobieſlaus frater turbata per Polonos iterum atque iterum *(ann. 1110. 1115.)* patriæ pace, tum Rex novus Vngariæ Stephanus *(ann. 1116.)* incommodo tamen uterque ſuo, quam Wladiſlai, graviore. Motibus iſtis tandem utcunque ſedatis, & recepto in gratiam Poloni ducis interventu Sobieſlao fratre, miſertus Borzivogii fratris vicem Wladiſlaus, (dimiſſus namque is nuper à Cæſare, vagus ac egens hinc inde errabat) Pragam ad ſe illum accerſit, venientem in Ordinum frequenti concilio ad colloquium admittit, magiſtratu ſponte abit, eumque fratri *(ann. 1117.)* reſtituit.

Iuvit ſumpta Ducem, juvit dimiſſa poteſtas.

Sed non diuturnum fuit hoc Borzivogii gaudium. Offenſi namque Germanorum in aula ejus multitudine proceres Bojemi, magiſtratum ei denuo abrogant, & Wladiſlao

Wladislao res suas iterum (*ann.* 1120.) submittunt. Depulsus igitur de dignitate Borzivogius, quadriennio post

Exsul in Vngaria carnis compage soluta
Ad Christum migrat.

Sequutus ipsum mox anno proximo quoque est longi morbi pertinacia absumptus Wladislaus, anno principatus sextodecimo, Christiano 1125. Vivo adhuc illi, sed graviter tamen decumbenti, filiis ejus prorsus neglectis, designabatur successor, ab aliis quidem Otho Niger, ab aliis vero Sobieslaus, Regis Wratislai, ille ex Othone fratre nepos, hic minimus natu filius. Svatavæ vero reginæ matris prensationibus adjutus, excluso post Wladislai obitum Othonem

XXVI. SOBIESLAVS, quem cum Otho, adducto in Bojemiam cum exercitu ingenti Lothario Imp. de dignitate conaretur dejicere, vitam in prælio amisit. Conscripto enim ad sui defensionem milite Sobieslaus, processit Imp. obviam, & conserta cum eo (*an.* 1126.) ad Chlumecium manu, stragem ingentem in ejus exercitu edidit. Strzibrum seu Misam in Bojemia, Gotelicium in Lusatia Vrbes, ædificavit. Cladscum propugnaculum instauravit, Regnum totum legibus, Pragam privilegiis singularibus exornavit. Vicinum Wratislaviæ Cra-

coviæque agrum est depopulatus. Ex actis egregia cum laude in reipub. administratione annis quindecim, obdormivit anno 1140. Cooptatus in ejus locum est post altercationes multas, fratris decessoris sui Wladislai Ducis filius

XXVII. WLADISLAVS. Hic quamvis principia gubernationis habuit pacata, cum tamen comperissent proceres Bojemi, ipsum non exspectata ipsorum designatione, dignitatem Sobieslai patrui commendatione à Cæsare ambisse, in factiones abire, & à Wladislao plerique ad Cunradum Znoymensem, Cunradi I. ex Litoldo F. nepotem, (*ann.* 1142.) declinare cœperunt. Quia vero Cunradus Imp. à Wladislao, utpote sororio, stabat, vel inviti ejus imperia ferre sunt coacti. Benevolentia tamen ille ac clementia sua conciliavit postea sibi, & arctis obsequiis devinxit universorum animos, ut nemo esset, qui non libenter ei obtemperaret.

VII. Cum à Christianis expeditio (*ann.* 1149.) ad recuperandam terram sanctam esset decreta, nomen militiæ illi, cum Henrico fratre, & Zpitihnevo agnato, dedit. Reversus vero ab ea militia, Friderico Cæsari, nequicquam dehortantibus proceribus Bojemis, in Insubria (*ann.* 1159.) adversus Mediola-

nenses rebelles strenuam navavit operam. Ab eodem igitur Cæsare Ratisbonæ principum Imperii conventum agente, creatus propterea est

REX,

& (sicut Hostivitus olim,) salutatus Imperii [11] socius, pro Aquila Leonem in insignibus gestandum accepit, tametsi, ut jam tum fuerunt, ita hodieque sunt, qui censeant, gentis suæ gloriæ illum multo melius fuisse consultum, si D. Wenceslai exemplo fuisset contentus accepta à majoribus dignitate, ac insignibus; nec coronæ & insignis novi acceptatione ansam gloriandi Germanis dedisset, quasi nihil habeant Bojemi principes, quod non Germanis Cæsaribus acceptum ferre debeant. [12] Belligeratus quoque hic Rex est cum Constantinopolitano Imp. Manuele in Vngaria, & composita tandem inter eum Vngariæque Regem controversia, affinitatem cum eo per Helenæ neptis nuptias contraxit. Petro namque vero ejus nepoti ipsam elocavit. Postremo vero cum ætate jam esset affecta, & onus administrandæ reipub. gravius quam ut ferri ab se solo posset,

[11] *Mercat. in Atlante de Boj.* [12] *Chron. Boleslav. cap. 66.*

posset, experiretur, de assensu Optimatum suorum, filium Fridericum in regni curarumque consortium (*ann.* 1173.) assumpsit. A quo cum id factum rescisset Fridericus Cæsar, præter officium & Cæsarum iura factum esse censuit, remque inique tulit. Nam quia qui de Bojemicis fascibus persæpe contenderunt Przemyslæi sanguinis principes, opem adversus rerum summæ, populi suffragiis præpositos, suos agnatos, à Germanis Cæsaribus petere, quin & investituras plerumque accipere meminerat, judicavit Imperio, aliquot istis actibus, jam necessario jus accrevisse, principum Bojemorum, non nisi Cæsarum beneficio creandorum: Ideoque se inconsulto Wladislao Regi successorem, à populo Bojemo designari neutiquam debuisse. Abrogavit igitur Friderico dignitatem, & deprecante Sobieslai senioris filio Vldrico, ad administrandam Bojemam rempub. ereptum ex diuturno Wladislai Regis carcere, principem Sobieslaum juniorem, ex aula sua misit, qui, nihil procrastinandum ratus, assumpto Vldrico fratre, in Bojemiam contendit. Factus ea de re certior Wladislaus Rex, non judicavit è re sua, exspectare dum adversarius veniret. Itaque cum Iutha uxore, Elisabetaque nutu, &
paucis,

paucis, quos fideliores norat, ministris, in dotalem arcem suam Meëram in Srblæ evadit, ubi quarto mense post, ex mœrore defecit, anno ab inito inter Bojemos magistratu quinto & trigesimo, salutis reparatæ 1174. Arripuit ergo collatæ sibi à Cæsare sceptra princeps μισογήμενος.

XXVIII. SOBIESLAVS II. Friderico interea nunc in Vngaria, nunc apud Cæsarem de injutia conquerente. Et quia contra majorum morem, à Cæsare, non à proceribus Bojemis, delatum honorem apprehendit Sobieslaus, neque obsequentes subditos, neque diuturnum habere potuit imperium. Populus enim, sicut voluntatibus ad Fridericum propendebat, ita ad movendum loco Sobieslaum occasionem quærebat. Sobieslaus interea in Sturmo Przindæ præfecto, quem manu sua occidit, inque Vngariæ Regis fratre, quem ratione inhonesta cepit, & in Cunrado duce agnato, quem in Moravia armis infelicibus vexavit, dominationis impotentis specimen edidisse est visus. Vnde arrepta occasione Bojemi proceres, cum de obtruso domino ingrato, tum de imminuta per factam Wladislao Regi injuriam Bojemæ gentis libertate, cum Cæsare expostularunt, ita ut abalienatus is à Sobieslao, magistratu

ſtatu ipſum decedere juſſerit, & Friderico reſumendæ dignitatis poteſtatem fecerit. Coëgit igitur copias taptim Fridericus, & duxit in Bojemiam, cui cum ſe Sobieſlaus reſiſtendo animadvertit imparem, quadriennio vix in principatu exacto, in Sleſiam profugit anno 1178. Venit igitur in vacuam principatus poſſeſſionem

XXIX. FRIDERICVS princeps, vulgo vocatus *Bedrzich*. Fuit is natura lenis ac ingenio moderato; ſed quia in eundem cum Sobieſlao impegit lapidem, & prolato in Ordd. conventu Cæſaris decreto ac inveſtituræ diplomate, magiſtratum Cæſaris magis quam populi gratia, reſumere eſt viſus, non potuit principatum ſine controverſia diu tenere. Licet enim rempub. ipſo denuo capeſſente, neque Cæſaris diplomati palam obnuntiabant, neque animi ab novo duce averſi ſigna ulla dabant Ordines, militis tamen potius, qui ob oculos armatus verſabatur, metu, quam ſponte ipſos tum quieviſſe eſt manifeſtum ex eo, quod, quam primum liberiores ſe eſſe putarunt, plerique nunc ad Sobieſlaum fugatum, nunc ad Conradum Znoymenſem, ambos Friderici æmulos, reſpectare maluerunt. Defendit ſe nihilominus inter varios motus Fridericus, & dignitatem

vel

vel invitis adversariis, quoad vixit tenuit. Mortuus est anno regiminis duodecimo, Christiano 1190. princeps populo, post mortem, quam cum viveret, carior. Surrogatus illi est in dignitate, Theobaldi agnati & populi omnis applausu unanimi, Cunrado avo cognominis ex Moravia princeps, Friderici defuncti æmulus

XXX. CVNRADVS II. Hic sub ipsa initi magistratus auspicia, rogatus à Barbarossæ filio Henrico, in bellum pro recuperando Apuliæ Siciliæque regno proficiscente, ne opem sibi ista in necessitate fetre abnueret, valida manu collecta, illuc cum eo est profectus. Sed in Neapoleos obsidione, ut & Otho patruelis, interiit peste, anno principatus primo, Christi vero 1190. Ab ejus morte per integrum fere annum dubia fuit & fluctuans reipub. Bojemæ gubernatio. Nam primum eam invasit

XXXI. WENCESLAVS, Sobieslai seniotis minimus natu filius, qui quamvis gratia apud Pragenses cives multum valuit, quia tamen Wladislai Regis filio Przemyslo urbem viribus magnis oppugnanti, resistere se diu non posse intelligebat, fortunam periclitari noluit, sed equo conscenso Pragam dereliquit, & comitatu parvo ad Imp.

Cæs.

Cæſ. Henricum VI. Bambergam confugit. Quamvis autem derelictum ab eo principatum, armis ſuum fecit Przemyſlus, quia tamen multam pecuniam Cæſari, ſi loco reſtitueretur, promittebat Wenceſlaus, & ipſe quoque Przemyſlus interea ob arma (*an.* 1193.) cum Alberto Comite de Pogen in Bavaria vaſtanda ſociata, pacis in Imperio turbatæ reus declarabatur, pacatum non potuit eſſe ejus imperium.[13] Remittebatur enim ex comitiis Wormatienſibus in Bojemiam à Cæſare Wenceſlaus, & Przemyſlo, ut de provincia decederet, aſpera comminatione imperabatur. Cum vero contendens in Bojemiam Wenceſlaus in itinere ab Alberto Luſatiæ Marchione interceptus, in vinculis teneretur, obtinuit reipub. Bojemæ procurationem, data Cæſari de repræſentanda promiſſa à Wenceſlao pecunia, cautione idonea, ortus ipſe quoque ex Przemyſlæo genere Epiſcopus Pragenſis

XXXII. BRZETISLAVS-HENRICVS. Geſſit is per delegatos ſuos bellum in Moravia Luſatiaque adverſus Przemyſli æmuli amicos. Sed tertio procurationis anno Hebum ſive Oegram valetudinis ergo delatus, exſtinguitur, paulo

[13] *Chronic. Auguſtenſe.*

paulo post, quam Przemyslus, intercessione Alberti Comitis Pogensis, cum Imp. in gratiam te disset, Verbi incarnati anno 1196. Ab ejus excessu multa de novo duce orta est inter Bojemos proceres disceptatio. Multis sane, verum tenuioribus, placuit, ut restitueretur Przemyslo abrogatus, sed nuper quoque redditus à Cæsare principatus. A potentioribus vero vocatus ad regimen est, dimissus ex carcere, in quem Przemysli fratris caussa fuit conjectus,

XXXIII. WLADISLAUS, qui tamen cum ob præreptam dignitatem bellum à fratre metueret, advocata populi omnis concione frequenti, fratrem procerum multitudini commendavit, deque universorum assensu, legatione ad eum missa, colloquium ejus expetivit. In eo ita se erga fratrem gessit, ut magistratum, quem gerebat, ipsi in manus resignatit, & Moravia se deinceps contentum esse velle significarit. Administrata igitur ab eo fuit respub. menses duntaxat quinque, & in ejus locum, bona populi gratia, successit princeps

XXXIV. PRZEMYSLUS, cognomento Victoriosus & Aureus. Multa is bella, nunc contra, nunc pro Cæsaribus gessit, magna cum virtutis opinione.

VIII. A Cæsare Philippo comitiis

Moguntinis impetravit privilegium solenne, ut qui posthac rerum in Bojemia potituri essent, suffragiis populi liberis pro more lecti,

REGES

essent omnes: estque ipse statim data corona aurea, Rex Bojemiæ *(ann. 1199,)* declaratus, ac ab universis, qui aderant, acclamatione festa salutatus. Philippo tandem proditorie trucidato, Othoni, ejus absque controversia in Imperio successori, constanter adhæsit, & ob egregia sua in eum studia, Ottacari cognomentum tulit. A Friderico Othonis successore, *(an. 1212.)* privilegium Philippæo consonans, de libera Regum Bojemorum à populo suo electione, Bojemæ genti obtinuit. Omnes igitur principes qui post Przemyslum hunc, rerum in Bojemia deinceps ad hoc usque ævum sunt potiti, regio nomine ac authoritate Bojemis præfuerunt. Etenim qui post Wratislaum Regem, ante, & post Wladislaum similiter Regem, rempub. gesserunt, partim mutuis inter agnatos concertationibus impediti, partim populi sui, beneficium hoc Germanicum aspernantis consilia sequuti, vetere á majoribus usurpata Ducum dignitate, quam nova hac & sumptuosa, gaudere maluerunt. Regnavit autem

autem in Bojemia Przemyslus-Ottacarus permagna sua, & totius gentis gloria, ab inito iterum magistratu, annos duos & triginta, obiitque anno Christiano 1230. Successit ei mortuo filius jam ante, ipso vivo, consentientibus procetum votis designatus, *(ann.* 1226.) & coronatus *(ann.* 1228.) Rex

XXXV. WENCESLAVS. Annum is tum cum regnare cœpit ingrediebatur quintum & vigesimum, ab eo quod oculi unius usum in venatione amisit, Luscus, à plerisque etiam Ottacarus cognominatus. Austria à Cremsio usque ad Vngaricos fines depopulata, Fridericum Ducem iterum iterumque fudit, Tataros ex Moravia fugavit: Filium, qui conspiratione cum proceribus quibusdam facta, arma adversus ipsum sumsit, & regnum rapere tentabat, coercuit, delictique venjam petere coëgit. Cui etsi Regiam dignitatem paulo post in manus tradere cogitabat, tamen cum ipsum juvenili petulantia furere, & dominatu impotenti subditis gravem fore animadverteret, sententiam mutavit. Ratus autem coronę meditata hac in filium translatione, Regem se esse desisse, anno à Coronatione sua prima, qui ei vitæ quoque primus fuit, quatto ac quadragesimo, coronam iterata inauguratione

 solenni

solenni (*ann.* 1250.) resumpsit. Vixit annos septem & quadraginta: obiit regni anno quarto & vigesimo, Christiano 1253. Cujus decessu regnum, frustra reclamantibus primoribus non paucis, adeptus est filius

XXXVI. PRZEMYSLUS-OTTACARUS II. Duces hic Regesque omnes qui antehac Bojemis præfuerunt, gloria, virtute, opibusque superavit. Bojemi ipsum nomenclatura ab hospitalitate desumpta Hostimilum vocitabant. Impius quidem olim in patrem fuerat, sed castigatus ab eo resipuit postea, culpamque est deprecatus. Vivo patre, post defunctum absque sobole Przemyslum patruum, factus est Moraviæ Marchio; fratre Wladislao, qui per Gertrudis matrimonium Austriæ dux fuit factus, intra sesquiannum ab adita provincia extincto, nec hæredem relinquente, à provincialibus est ad Austriæ Stiriæque principatus jure propinquitatis vocatus. [14] In cujus utriusque possessione, ut titulum de jure alio quoque haberet, Friderici ultimi Austriæ Stiriæque Ducis sororem Margaritam, uxorem duxit, & à Ricardo Rege Romanorum electo, investitu-

[14] *Chronic. Australe*, & *Augustense Henr. Stero. Æn. Silvius.*

vestituram ceremonia solenni, quin & à Pontificibus Romanis concessiones multiplices accepit. Quia vero Bela Rex in Stiria acquirenda jure se, quam is, meliore putabat niti, armis rem finiri oportuit, & victus aliquoties Vngarus, pacatam Bojemo provinciæ possessionem relinquere est coactus. Emit præterea Carinthiam, Carniolam, Naonisque portum, ab amitino suo Vldrico principe, Przemyslus. In quarum possessione, cum jam quatuor vigintique annos exegisset, sumptusque in eas permagnos gravi cum anxietate fecisset, reposcit eas ab eo tanquam nullo jure insessas, creatus nuper ex Habspurgi Comite Romanorum Imp. Rudolphus. Res sane tum statim ad arma spectabat, nisi astu circumventus Przemyslus, provincias quas diximus, Cæsari resignasset. Onerabatur enim illa spe, resignationem illam nulli sibi fraudi futuram, siquidem filiæ, per id tempus Regis filio à Cæsare desponsæ, dotales provinciæ istæ essent futuræ. Sed cum nec Rudolphus, ut qui Austriam Stiriamque statim Alberto filio, Carinthiam vero & regiones vicinas Maynhardo Tyrolensi, Augustano tum comitiorum decreto dabat, fidem servaret, nec proceres Bojemi Regis sui in amissione tam nobilium provinciarum,

præposteram incogitantiam, animis æquis ferre vellent, renunriavit amicitiam Cæsari Przemyslus, & aut reddi sibi ereptas compositis dolis provincias, aut bellum exspectare jubebat. Restitutionem negante Cæsare, conscribit militem Przemyslus Rex, quem cum postmodum in Austriæ campum quendam (*Marchfeld* vulgus vocat) adduxisset, Rudolphum Cæsarem in armis offendit. Consertum igitur est ad VII. Calend. Septemb. ardore partis utriusque acerrimo, prælium cruentum, in quo desertus à suis occubuit, strenue pugnans Rex Przemyslus-Ottacarus, anno regni sui quinto & vigesimo, patriæ vero salutis 1278.

IX. Sequuta hanc luctuosam cladem est gentis Bojemæ calamitas nunquam sine lacrymis memoranda. Non habuerunt enim, quem Regem sibi gerendæ Reipub. idoneum legerent Bojemi, & impuberem adhuc occisi Regis filium a sceptris, nisi ingrati esse vellent, arceri haud posse videbant. Accidit ergo eis, quod aliis regnis quandoque accidisse legimus, ut interea dum regius puer adolescebat

INTERREGNUM

esset, & cum immani militis Cæsariani insolentia primum, mox etiam cum fame

fame rerumque omnium inopia extrema conflictaretur Bojemia tota. Testis ejus rei tum locuples erat Turingia Misniaque, in quam triennio fere integro commigrabant relictis laribus, expilati Bojemi, ac consumpti inedia miserabili in plateis corruebant mortui. Tutor interea Regis designati ingratus, Przemysli occisi ex sorore nepos, Otho Longus Brandeburgi Marchio, regnum exactionibus gravabat, expilabat, diripiebat, & Germanos homines, opum dignitatumque nidore illectos, in regno multiplicabat, usque dum anno demum tyrannidis suæ sexto, emuncta prius pecunia ingenti, Regem adolescentulum, ex Marchia sua, in Bojemiam reduxit, & populo calamitoso *(ann. 1284.)* reddidit. Exceptus ergo est & maxima quavis lætitia ad regni gubernacula admissus, princeps

XXXVII. WENCESLAVS II. Rex sextus, adolescens annos tum demum natus quatuordecim. Assumptionem diadematis solennem ille distulit ad annum ab magistratu inito tertium decimum. *(ann. 1297.)* Moderate sapienterque regnum administravit, ita ut & Poloni eum sibi Regem adversus Wladislaum Loctecum crearint, & Silesiæ Duces quidam, dominum præfecerint,

& Vngari Regem postularint. Polonos quidem is, & Slesiæ Duces illos, accepit in fidem, sed Vngaris se excusavit honeste. Albertum Luscum Imp. decimas ex argenti fodinis ab se, in Bojemicæ libertatis fraudem, ausu novo exigentem, & regnum manu militari turbantem, finibus suis ejecit. Pietate vitæque moderatione, promeruisse est visus, ut Sanctus cognominaretur. Exstinctus est, vel tabe lenta, vel ex propinato, ut quidam prodiderunt, ab Albertinis hominibus veneno, ætatis anno quinto & trigesimo, regni supra vigesimum primo, Christiano 1305. Surrogatus ei est filius cognominis, adolescens annum ætatis septendecimum ingressus, princeps

XXXVIII. WENCESLAVS III. Rex septimus. Inauguratus antehac erat & triennium regnarat in Vngaria; verum voluntatum lubricitate in proceribus Vngaris perspecta, regno ipsorum excessit, & ad patrem rediit. Cum in Poloniam, regnum auspicaturus, contenderet, Holomucii in itinere, cum in Decani domo veste exsuta meridiatetur, ab iisdem, à quibus pater sublatus esse putatur, per sicarium vulneribus tribus est confossus, anno ætatis duodevigesimo, Verbi incarnati 1306. Fuit cum corpore formosissimus, tum lingua promptissimus. Regnando

gnando non exegit nisi annum unum.

X. Rege hoc cæde festinata perempto, & regia prole sexus melioris nulla exstante, excitata est inter proceres, de Regis electione in comitiis concertatio gravis & perniciosa. Eligebatur enim à parte populi majore, Alberti Imp. filius Dux Austriæ Rudolphus, à reliquis vero, quos Regis occisi sorores prensabant, Annæ Wenceslai Sancti filiæ natu majoris maritus, Henricus Dux Carinthiæ. Variantibus sic in deliberatione, & in suspenso hærentibus suffragantium sententiis, supervenit cum filio Candidato, & militum vi valida, Imp. Cæsar Albertus, effecitque ne filius, qui priores partes in suffragiis tulerat, posteriores in acquirendo regno ferret. Consequutus itaque summam apud Bojemos dignitatem est princeps

XXXIX. RUDOLPHUS cognomento Mitis, Rex octavus. Is quoniam multos Regni proceres cum Henrico Carinthio sentire, eamque ob caussam electioni non adfuisse sciebat, uti omnium sibi animos conciliaret, viduam Wenceslai majoris, cui ob vitæ morumque probitatem Bojemi addicti erant, uxorem duxit. Cumque ne sic quidem, quod voluit, consequeretur, sed per contumeliam ab iis Rex *Kasse*, scommate à pulti-

cula tracto, appellaretur, armis eos cogere statuit. Assumpto ergo milite cinxit obsidione Horazdiejovicium: ubi cum hæreret, incidit in profluvium alvi immodicum, ejusque pertinacia medicorum diligentiam omnem superante, intra tempus breve sub pellibus est extinctus, anno regni primo, Christiano 1307. Ejus morte recruduerunt in coactis de Rege optando comitiis procerum acres contentiones. Multi enim in Henricum Carinthium vota conferre pergebant, nonnulli Fridericum Austrium, Rudolphi defuncti fratrem, volebant, quidam neutrum probabant. Vicit tandem suffragiorum numero, & ad reipub. gubernacula, fremente ac reluctante Alberto Cæsare, est admotus, princeps

XL. HENRICVS, sed regno tamen nunquam solenniter est inauguratus. Quia enim Germanos in capiundis de reipub. consiliis, non Bojemos adhibebat, & argento Cutnensi in Carinthiam suam exportando, potius quam regno pacando attendebat, anno ab inito magistratu tertio, in conventu Ordd. publico, est abdicatus, anno Christi 1310. & Rex pro eo, ea lege si Elissam Wenceslai Regis filiam, de tribus ex matrimonio priore, natu minimam, uxorem

uxorem vellet ducere, est declaratus Imp. Henrici VII. filius

XLI. IOHANNES, Rex decimus. Natus is tum erat, cum regnum inibat, annos quatuordecim. Vt ob fortitudinem virtutesque dignas viro principe, Bojemis fuit carus, ita ob Lucenburgi patriæ, & Germanorum hominum, amorem quam rectæ Bojemiæ, majorem, emunctionesque populo graves ac frequentes, intolerabilis. Inde oriebantur non raro inter ipsum & Optimates, periculosæ simultates. Bella ille gessit permulta cum Regibus principibusque vicinis, fortuna semper fere propitia. Slesiam regno conjunxit, & Lusatiam superiorem recuperavit. Henricum Austrium, Friderici fratris castra adversus Ludovicum Imp. sequutum, in prælio cepit, & non prius, quam imprudenter olim Alberto Cæsari à Bojemis factas obligationes ab Austriis recepisset, liberum dimisit. Occubuit in prælio Philippi Galliarum Regis, ad Cressiacum adversus Eduardum Angliæ Regem commisso, anno Regni sexto & trigesimo, ætatis quinquagesimo, Christiano 1345. Oculo utroque fuit captus, quorum alterum amisit ex aere nebuloso in Litvania, alterum in hastiludio læsus, ex dolore & medici imperitia in Bojemia.

XI. Suc-

XI. Successit ei in Regno, eo adhuc vivo designatus princeps

XLII. CAROLVS, Rex undecimus, & Romanorum paulo post Imp. ejus nominis quartus. Hic cum latericium à patre relictum invenisset regnum, sapientia effecit marmoreum. Hoc unum in eo nostri quidam improbant, quod quamvis patriam legibus & decoribus insignibus, splendidissimam faciebat, caritatum tamen interea domesticarum splendori, & familiæ suæ apud Bojemos exaltationi, viam latentem, quasi aliud agendo, sternere, præ omnibus regni ornamentis amaverit. Emporium mercium omnigenarum, & literarum liberalium studium universale, Pragæ constituit; Vultavam ponte lapideo junxit, Marchiam veterem emit, de Slesia Lusatiaque, ne à Corona Regni Bojemiæ abalienari unquam posset diplomate edito cavit. Linguarum peregrinarum studia solerter coluit, posteritatique commendavit. Popularis fuit, & in Bojemia præcipuè Vrbes regias suas, præ cæteris dilexit atque ornavit. Obdormivit Pragæ regni cum laude gesti, anno supra trigesimum secundo, ætatis climacterico magno, tertio & sexagesimo, Christiano 1378. Venit ab ejus excessu ad reip. fastigium summum, filius, princeps

XLIII.

XLIII. WENCESLAVS Ebriosus, Rex duodecimus, per importunas patris prensationes flagitationesque jam olim & designatus & coronatus.[15] Ignavum quidem ipsum vocant Germani, sed quæ pro repub. egit nonnulla, non solum hominis haudquaquam ignavi sunt facta, verum &, si à vino temperasset, judicio ipsum Regibus aliquot Germanis præstitisse, non obscure innuunt. A proceribus Bojemis Sigismundi fratris instigatione bis captus & severe habitus fuit, sagacitate tamen sua in libertatem se bis quoque vindicavit, & regnum recuperavit. Sanguinis fundendi avidior fuit; & scelerum vindex inexorabilis. Ob excitatos Pragæ ab Iohanne Zizca motus, Senatumque per fenestras præcipitatum consternatus, immodiceque indignatus, apoplexia est percussus. Ex isto itaque morbo decessit, vitæ anno octavo & quinquagesimo, Bojemici post patrem gubernati regni, primo & quadragesimo, Verbi incarnati 1419. Imperium administravit annos duos & viginti, quod ei tamen ante undeviginti, quam obiret annos, per Septem-Viros erat abrogatum.

XLI. Morte ejus, motus, quos diximus,

---

[15] *Lege Recognitiones Civitatibus extortas.*

mus, non modo non conquieverunt, verum à Sophia regina Sigismundoque fratre Cæsare, multo majores sunt facti. Ambo enim illi exacerbatum ob Hussi, Hieronymique supplicia indigna Bojemum populum, armis, quam verbis ad quiescendum perducere satius esse, infortunio suo non levi censuerunt. Nulla igitur via permoveri poterant Bojemi, ut Regem habere vellent. Imp. Sigismundus sane, perruptis omnibus obicibus, in arcem Pragensem cum militari manu irrupit, & coronam sibi regiam præter Ordinum voluntatem imposuit; *(anno 1420.)* sed exercitibus suis aliquoties fusis fugatisve, non nisi quinto decimo anno post, in regni possessionem venire potuit. Ergo ab Regis Wenceslai obitu

INTERREGNVM

fuit bellis civilibus calamitatibusque horrendis per annos sedecim perturbatissimum, donec armorum successu desperato, verborum calamorumque lenociniis, in obsequia sua pellectis potentioribus, ad regni clavum admissus fuit ille ipse

XLIV. SIGISMVNDVS, Caroli Imp. filius alter, & Rex in Bojemia tertius decimus. Fuit princeps literis humanioribus non leviter tinctus, eruditorumque

que Mæcenas. Marchiam & Electoratum veteris Brandeburgi, primum oppignoravit, tandem ære quo eam gravavit dissoluto, Burggravio Noribergensi Friderico in feudum ab Imperio tenendum concessit, ac ratione ista à Bojemiæ regno penitus avulsit. Bello adversus Turcas Bojemosque inglorius. Cum Hussi disciplinæ sectatoribus Bojemis, varias de religionis pace, Brunæ, Iglaviæ, Oegræ, Pragæ, tractationes habuit, quos quamvis geminas in sectas divisos reperit, utrosque tamen cautionibus scriptis, Calixtinos nempe Compactatis sive Concordatis Basileensibus, Taboritas vero regio diplomate suo, aliquo modo placavit. Praga, motus ob Rohacii Baronis supplicium exorituri metu, valetudine dubia, digressus, in itinere Vngarico ex ignis sacri uredine defecit, anno ætatis septuagesimo, regni Bojemi, ab arrepta corona, septendecimo, Christiano 1437.

XIII. Ab ejus obitu turbulenta iterum erant de Rege creando comitia, aliis commendatum solicite à Sigismundo generum, Albertum Austriæ ducem expetentibus, aliis Wladislai Poloni regis fratrem adolescentem Cazymirum. Ambo illi factionem suam armis in Bojemia juvabant, ita ut regnum civili bello denuo ardere videretur. Quia tamen

men potentior erat factio Albertina, inaugurates regno est delectus ab ea princeps

XLV. ALBERTVS, cognomento Claudus, Rex decimus quartus. Perquam rara, sed perquam inconstanti fortuna, tria regna intra annum unum est consequutus. Bojemi nihilominus non pauci, iique authoritatis præcipuæ, nullo modo, regem ipsum ut agnoscerent, potuerunt adduci. Et quamvis necdum biennio regnavit, bellicæ tamen suæ virtutis specimen adversus Moravos, Polonos, Bojemos, Turcas, haud contemnendum edidit. Dysenteria est ex melonum esu nimio exstinctus in Vngaria, anno 1439. Regis morte ad Bojemos renuntiata, conventus regi creando, iterum altercando, est actus. Quoniam enim uterum gerens ab Alberto relicta, & paulo post matem posthumum enixa erat uxor regina, quidam Regem illum habere, regnumque, dum pubesceret, per delectos curari volebant; quidam vero Albertum Bavariæ Ducem in Regnum vocabant. Sed cum is distractum religionibus regnum suscipere abnueret, placuit universis Ladislaum (sic enim eum vocavit mater) Regem designare, & ne quis motus, priusquam is per ætatem regnando evadat aptus, suboriri, vel iuris populo dicendi cursus negligi queat

rempub.

rempub. Eparchis, ex procerum corpore delectis, duobus committere. Tertium igitur post Reges in Bojemia creari cœptos, hoc jam fuit

INTERREGNUM.

Duravit autem id ad ætatis Ladislai annum quartum decimum, quem cum ageret idem

XLVI. LADISLAUS, imponebatur ei ritu solenni (1453.) insigne regni à Carolino, usitato nempe illo, diversum. Etenim (teste notæ non vulgaris Viro, [1]) coronæ qua coronabatur, fuit aurea illa, quam dono tandem ab Imp. Maximiliano, Anna nepotis Ferdinandi sponsa (*ann.* 1515.) Viennæ accepit. Factus itaque hic est apud Bojemos Rex quindecimus. Is cum exspectatione omnium permagna regnare incipiebat, morte immatura, in ipso nuptiarum apparatu, & ætatis flore, est exstinctus. Alii peste, alii veneno sublatum censuêre, vitæ anno duodevigesimo, salutis nostræ 1457. Nunquam majore quam tum ambitu comitia regis creandi in Bojemia caluerunt, adeo multi magnique competitores erant, qui ea calefa-

[1] *Matthæus Cardin. Garcens. Hodœporici lib.* 2.

ciebant! Excussis tamen ultro citroque diligenter omnibus, electus est cunctorum votis, qui Ladislao nondum ad reipub. clavum collocato, regnum ejus nomine gubernarat

XLVII. GEORGIVS, Podiebradius cognomento, Rex sextus decimus. Natus hic cum regnum inibat erat, annos octo & triginta. Sapienter animoseque dignitate regia est usus. In Misnia, Slesia, Moraviaque, imo & cum contumacibus adversariis in Bojemia suis, qui obsequia ipsi pertinaciter negabant, Vngarumque regem æmulum opponebant, difficilima gessit bella, conatus tamen eorum omnes semper elisit ac elusit. Fridericum Imp. obsidione arctissima in Viennensi arce à suis cinctum, quemque ope omni ab Imperio destitutum dolebat, liberavit. Operæ ejus pretium à Cæsare tulit, cum luculenta regno Bojemo data privilegia, tum filiis additam dignitatis excellentiam. Imperii enim principes ii tum sunt creati. Obiit ex hydrope, ætatis anno supra quinquagesimum primo, regni tertio decimo, Christiano 1471.

XIV. Eo in conditoriis Regum funerato, comitiisque Pragæ novi Regis creandi caussa institutis neutiquam conveniebat inter Ordines. Nam alii Wladislaum

dislaum Polonum, alii Matthiam Vngarum, alii Imp. Fridericum, cupiebant; nonnulli Henricum Georgii defuncti filium, alii alios malebant. Re diu Pragæ agitata, & ad extremum comitiis ad Cutnos montes translatis, renuntiatur Rex à Bojemis, Cazymiri Poloni filius

XLVIII. WLADISLAVS, qui Cracovia Pragam veniens, honore Ordinum omnium summo est exceptus, tertioque ab adventu die coronatus. Quindecim annos erat natus cum regnum auspicabatur: princeps fuit comitate munificentiaque singulari, & inprimis pacis consectator. Privilegia immunitatesque insignes cum regno toti, tum Ordinibus singulis, adeoque familiis procerum & civitatibus plerisque, benigne dedit. Rempub. cum Optimatum consilio in multis ordinavit, & legibus correctioribus exornavit. Fatis concessit post completum ætatis annum sexagesimum, regni anno quinto & quadragesimo, reparatæ salutis 1516. In ejus locum successit in regni admiuistratione, patre adhuc vivo regno inauguratus filius, adolescens annum ætatis tum agens decimum

XLIX. LVDOVICVS, Rex octodecimus. Hic Maximiliani Imp. & Sigism. Poloniæ Regis patrui consiliis re-

gebatur, & propter Turcicas in Vngariam irruptiones frequentes, in Vngaria fere vitam transigebat, perraroque in Bojemiam veniebat. Ea propter turbæ ex turbis, vitia ex vitiis per ejus absentiam in regno germinabant. Etsi vero Eparchum Rex, qui cura vicaria rempub. gubernaret, populo constituit Regis olim Georgii nepotem Carolum Minsterbergi ducem, malis tamen sanandis imbecillior quam oportebat, ejus fuit authoritas. Decimo regni ejus anno, vi, quam unquam majore imminebat Vngariæ Turcicus Sultan Soleiman. Cujus furori reprimendo, conscribebat ex regnis suis, qua potuit celeritate copias Ludovicus, & ab Imperii principibus etiam comitiis Noribergensibus subsidia exposcebat. Sed quia nec Archistrategum belligerandi gnarum habebat, nec ab Imperio opem quam sperabat consequebatur, & modico exercitu cum ingentibus Turcarum copiis ad Mohacium confligere est coactus, fuso dissipatoque à Turcis exercitu suo, ipse fuga quidem ex prœlio est elapsus, paludis tamen voragine, in rivo Celeporoco, cum equo haustus interiit, non multum vicenario major, salutis anno 1526. Regi huic omnia fuerunt præmatura. Etenim, ante DIEM natVs, ante diem coronabatur, ante diem bar-
bescebat

bescebat canescebatque, ante diem regni curam suscipiebat, ante diem uxorem ducebat, ante diem occumbebat.

XV. Ab hoc luctuoso Regis interitu, convenerunt Pragam Regis creandi caussa Ordines, & cum alii Ferdinandum Austrium Ludovici sororium, alii Sigismundum Polonum, alii ex Bavaris fratribus vel Ludovicum vel Wilelmum, Regem habere vellent,[a] ultimo placuit omnibus imitari majorum, post Alberti Regis mortem, eadem in caussa observatum exemplum. Delectis igitur ex singulis Ordinibus numero pari viris prudentibus quatuor & viginti, iisque jurejurandô adstrictis, Regis ex quatuor, quos diximus, Candidatis eligendi potestatem dederunt. Abiis itaque re deliberata, Rex Bojemiæ est renuntiatus

L. FERDINANDUS Austriæ ArchiDux Rex novendecimus, à vulgo ob labiorum magnitudinem vocatus *Hubaczek*. Erat princeps hic cautus, solers, vigilans, vigore ingenii atque animi præstabat, adversus humanos casus omnes sese obfirmabat. Annus ætatis quartus & vigesimus, regnorum ei fuit primus.

Bb 3 Legibus

[a] *Ioh. Herburt. histor. Polon. lib. 10. cap. 3. Bodin. de Republic. lib. 6. cap. 5.*

Legibus patriis conformis, & salutaris fuit illus in Bojemia regni gubernatio, sed quam postea bellum in vicina Germania Smalcaldicum vocatum, perturbavit. In quo cum adversus confœderatum fideique domesticum Saxoniæ principem Electorem, arma cum Rege conjungere abnuerent Bojemi, *(ann. 1547.)* nec militem, quem domi inauctoratum in limite regni septentrionali tenebant, ipso operose mandante, dimittere vellent, indignatus propterea Rex, majestatemque suam conculcati ratus, post debellatum à fratre Saxonem, Pragam cum copiis iratum plenus redit, formatoque tribunali judicum singulari, potentiores ex Ordinibus omnibus, in jus vocat, condemnat, pœnas irrogat, quibusdam supplicio ultimo affectis, cæteros gravitet, & inprimis civitates, mulctat ac bonis exsuit, leges regni consuetudinesque pro arbitrio, quasdam interpolat, quasdam abrogat, calamitate incolarum regni permultorum, necdum satis deplorata. Ita tamen cum tempore, sed sensim ac tarde, defervescente, quædam quibusdam vicissim est gratificatus ac restituit. Appellationum tribunal, *(ann. 1548.)* ad quod ab opidanis judicibus provocationes fierent, in arce Pragensi, & suos quosdam quasi Ω'πικυσὰς in Vrbibus,

Vrbibus, instituit, de non evincendis alienatis quovis titulo per decessores suos Reges bonis ecclesiasticis, Interdicto peculiari cavit. Obiit, die mortis suæ aulico concionatori suo, trimestri prius quam obibat, nominato, ætatis anno secundo & sexagesimo, regni supra trigesimum septimo, Christiano 1564. Successit illi, jam pridem regnis destinatus, & ante sesquiannum coronatus, maximus natu filius princeps

LI. MAXIMILIANVS. Septem &triginta annos natus, & jam tum multorum liberorum pater erat, cum regnum ipse administrandum accepit. Princeps fuit pietatis, publicæ tranquillitatis, æquitatis, ac subditorum suorum amantissimus. Conscientiis hominum de DEO non impie sentientum, patris exemplo pacem dabat, & religionum dissidia verbis, non ferro, sopiebat, filiumque, quem sibi successorem de populi assensu designabat, ad eandem moderationem commonefaciebat. Ipso regnante Bojemia bellum nullum vidit. Valedixit terris Rex hic anima pia, cum ætatis esset ingressus annum quinquagesimum, regni post patrem administrati anno decimo tertio, restauratæ salutis 1576. Excepit ejus regnorum curas annos jam tum quatuor & viginti natus filius princeps

LII. RUDOLPHUS II. Paterna hic premens vestigia, pacem diligenter consectabatur, ac Pragensis urbis deliciis contentus, perraro alibi quam in Bojemia degebat. Turcarum tamen rabies, ac Ungarici regni calamitates, bellum tandem ipsum moliri coëgerunt, quod per duces diversos, continuos annos quatuordecim, ab eo est fortuna ambigua in Ungaria gestum. Quo, pactarum cum hoste induciarum interventu, utcunque remittente, inquietarunt ipsum excitari ob turbatam religionem, primum in Moravia Botscajiani, (*ann. 1605.*) postea in Bojemia (*ann. 1608. 1609.*) populares motus bellici. Botscajianos Rudolphus Rex, partim pacis, partim Martis remediis, Bojemicos vero data conformatæ secundum exhibitam olim ab Ordinib. Maximiliano patri Confessionem in regno religioni, solennique privilegio ac tabulis confirmata pace, accurate composuit. Verum regni quietem labore multo comparatam, brevem ei fecit Matthias frater. Videns enim is fratrem curis multiplicibus languidum, ætateque vergentem, cum fratribus ac agnatis contra ipsum (*ann. 1606.*) paciscitur, & scientibus conniventibusque Imperii principibus, armata manu illi, primum Austriacas provincias, mox (*ann.*

(*ann.* 1608.) Vngariæ regnum & Moraviam, postremo etiam Bojemiam (*ann.* 1611.) cum provinciis concorporibus extorsit.[3] Injuria tam enormi, & ab Germanis plerisque dissimulatâ ferè ac neglectâ, affectus à fratre Imp. Rex Rudolphus, mœrore angi non desiit ante, quam è vita excederet, ætatis anno sexagesimo, regni sexto & trigesimo, Christiano 1612. Cœlebs hic vitam traduxit, legationibus splendidissimis à Turco, Persa, Mosco, Tataro, honoratus. Regnum ergo Bojemiæ, armis pariter & populi non satis acute perspicacis consensu, à fratre acceptum, apprehendit ejus frater, de quo diximus,

LIII. MATTHIAS, qui quamvis majorum more regnum gubernaturus credebatur, sanguineis tamen fervidorum religionis ad Romanæ sedis disciplinam institutæ sectatorum suggestionibus, ab instituto salutari est aversus, & sopitas Rudolphi prudentia simultates, atque religionis Euangelicæ turbationes, sensim in Bojemia recrudescere passus. Quasdam (prout nonnullorum est judicium) in herba ipsa negligeret, & specie valetudinis curandæ, regno in factiones

Bb 5 distracto

3 *Querela Rudol. Imp. ann. 1610. Elect. Pragæ proposita.*

distracto excessisset, bello accendendo occasionem præbuit. Mali, immanitate ac diuturnitate pernitiosissimi, principium fuit, patrata ab offensorum Ordd. globo, duorum ex regni Optimatibus & Actuarii unius, (qui consiliorum pernitiosorum turbatæque pacis publicæ authores esse arguebantur) ex sublimi Consistorii regii fenestra deorsum præcipitatio. Eam sequuti statim sunt, à Rege majestatis vindicandæ, à Bojemis religionis tuendæ caussa facti apparatus bellici ingentes, bellumque exitiale, quod tam late postmodum serpsisse vidimus, ut non tantum Bojemiam, verum & Germaniam totam corripuerit, & meo, innumeræque bonorum multitudinis infortunio maximo, hodieque ardeat. Quod cum inter spes dubias inchoarat Matthias Rex, commutavit cum morte vitam, ætatis anno climacterico supra sexagesimum tertio, regni octavo, & Christi 1619.

XVI. Et quamvis eo adhuc vivo, ac operosius satagente, (*ann.* 1617.) regno inauguratus fuit frater patruelis FERDINANDUS Austrius, Stiriæ, Catinthiæque Dux; quia tamen eum, non sine ambitu, à paucis, iisque magnam partem vel metu adactis, vel pretio corruptis, contra majorum morem, Regem

accepta-

acceptatum, non electum, querebantur Ordines pleriqne omnes, arcebatur ille post Matthiæ Regis mortem à repub. regnoque ei frequentissimo Ordd. & ex unitis coronæ provinciis delegatorum conventu solenniter abrogato, optabatur Rex alius, à quibusdam Fridericus Comes Palatinus, à quibusdam Iohannes-Georgius Saxo, Electores, à quibusdam denique Carolus-Emmanuel Sabaudiæ Dux, vel Victor ejus filius. Vicit tamen suffragiorum numero, & veniens non tantum honoribus summis exceptus, sed etiam sexto ab adventu die, festa cum congratulatione corona regia redimitus est princeps

LIV. FRIDERICVS Comes Palatinus Rheni, Rex tertius & vigesimus. Agebat is tum, cum regnum adibat, ætatis annum quartum & vigesimum. Fuit princeps ingenio judicioque exacto, pietati deditissimus, pace quam armis felicior, in utraque, ut ridente, ita & tonante fortuna, æquabiliter moderatus, multorum liberorum pater. Vbi alterum regni Bojemi inchoabat annum, cum Imp. Cæs. Ferdinandi II. & Maximiliani Bavariæ Ducis copiis, ad Pragam in Albo-monte, (*ann. 1620.*) Marte adverso de regno dimicavit. Hic exercitu suo, partim fuso, partim dissipato, fuga cum

cum uxore prægnante liberisque, salutem quærere, & regnum victori relinquere est coactus. Perfugium ejus primum fuit urbs Wratislavia, & mox sororii urbs aulaque Berlinum, Berlinoque munitius Custrinum. Cum vero & hæreditariis provinciis suis ab Hispano regio, Bavaricoque exercitu, eodem quoque tempore esset exsutus, & à Cæsare prætereà proscriptus, vidit se apud sororium non posse esse periculi securum. Profugit itaque exsul in Hollandiam ad avunculum Auriaci principem Mauricium, ejusque & soceri Magnæ Britanniæ Regis munificentia, postea vero, cum mortui essent illi ambo, avunculi alterius Friderici-Henrici Ordinumque Hollandorum, & affinis Regis Britanni subsidiis, pede Hagæ-Comitum fixo, tædia exsilii longa superabat. Recuperato tandem, Gustavi-Adolphi Sueci Regis armis, magnam partem suo in Palatinatu Rheni patrimonio, cum & reliqua ditionum honorumque decora recuperaturus videretur, exstinctus est letho, vel rabie lentæ in infelici isto ad Harlemum nuperrimè facto naufragio contractæ, vel, ut proditum à quibusdam fuit, veneni per homines nefarios propinati violentiâ accelerato Moguntiæ, ad III. Calend. Decemb. anno ætatis septimò ac trigesimo, exsilii

allquanto

aliquanto plus quam duodecimo, Christiano 1632. Post victoriam, quam adversus Fridericum Regem ad Pragam, ut diximus, in Albo-monte obtinuit Imp. Cæsar, princeps

LV. FERDINANDUS, misso statim Protege Carolo Liechtensteinio, regnum belli jure comparatum apprehendit, & affectis ultimo supplicio viris partis adversæ primariis fere triginta, quibusdam vero ad carceres perpetuos condemnatis, opulentioribus perquam multis patrimonio omni mulctatis, suffragiorumque jure in regibus creandis, populo penitus erepto, regnare pro arbitrio, dominatuque absoluto in Bojemia cœpit, hodieque adhuc regnat.

XVII. Cæterum quum lubricus locus sit, & à viris intelligentibus ubique fere vitatus, de superstitibus Regibus scribere, & ne quis forte arbitretur, me qui ab hoc Imp. Cæsare, fortunas omnes & patriam ob religionem deserere sum coactus, dolori plus quam oportuit, in scribendo indulsisse, ea propter facta bellis toto Imperii tempore, in Germania, Italia, Prussia, hactenus gestis, celebratissimi hujus Monarchæ, sicut alia, ita Bojemica, posteritati liberiori disertiorique, relinquo describenda. Stylum autem jam meum converto ad principes reginas-

reginasque Regg. Bojemorum uxores, expertutus si, quod lectoris animo nec injucundum sit, nec inutile, aliquid fortè de iis quoque queam observare.

CAP. IX.

De principibus Reginisque Bojemiæ.

I. Sicut cæteris quibusque suis vitæ rationibus Principes Regesque præbent subditis vel virtutum vel vitiorum incitamentum, ita inprimis ab illicita Venere abstinentia, conjugiique vagæ libidinis nescii custodia, dant iisdem castitatis ac continentiæ exemplum. Dignissimum laude hoc institutum, servarunt quoque studio accurato Bojemi Principes, & vita pudicè acta, ductisque domum uxoribus legitimis, hac quoque in parte exemplo ad honestatem populo plerique omnes præire necessarium judicarunt. Vetustissimi autem inter eos, uxores ex sua, non alienigena, posteriores contra ex alienigena, non ex sua gente habere, necessitudinesque peregrè, quam domi quærere maluerunt. Et sane quo lingua, moribus institutis propinquior viro est uxor, eo jucundior, concordior, necessariisque omnibus gratior esse solet eorum consociatio. Iam quia in quovis hominum ordine uxores

ex viro-

ex viro

ex virorum fortuna fortunam similiter suam amant metiri, videtur neutiquam esse inoportunum hoc loco, de principibus Reginisque uxoribus nonnihil afferre, & earum in Bojemia jura, ac quas propter nuptias ex more prisco legibusque consequuntur prærogativas, tum etiam quæ ex ipsis cum quo principe matrimonio conjuncta fuerit, obiter investigare. Etsi ergo Bojemi jam dudum dedidicerunt esse γυναικοκρατούμενοι, neque principes ipsorum fasces suos cum uxoribus ullo modo communicant; eorum tamen uxores jam olim principatus regnique insignibus, solenniter ac iisdem fere quibus Reges ipsi ceremoniis ornari, inaugurari, ære coronario donari, & à populo omni, honore quovis maximo ac prorsus regio, ut & obsequiis promptissimis coli consueverunt. Æs coronatium quod more prisco iis sub inaugurationem solet decerni, & ex oblationali Ordinibus intra semestre proximum ab agrestibus debita pensione cogi, ad quinquies mille marcas argenti dicitur excrescere.

II. Luculenta illæ quoque semper habuerunt in regno tuendæ dignitatis adminicula. Dos enim ipsis certa constituebatur, ex qua sumptus ordini suo necessarii affatim suppeterent. Fuit autem dos

dos hæc olim ſane pecuniaria, argenti nempe puri marcæ vicies mille; [4] poſt tempora vero Regis Rudol. I. fundis, urbibuſque & prædiis certis definita. Ex iſta igitur definitione, conſuetudo obtinuit, ut Reginarum in hoc regno dotales ſint, quemadmodum jam ante [5] diximus, urbes, Hradecium ad Albim, Iaromierza, Trutnovum, Dwurum, Bydziovum; Chrudima, Alta-Myta, Policzca; Mielnicum cum arce prædiſque, ac ampliſſimis latifundiis vini frumentique feraciſſimis. Omnium horum uſuſfructus, redituſque ac proventus ordinarii omnes, cum dominio utili, ad Reginas, quæ corona Regni legitime inſigniuntur, quam diu vivunt, jure pleno ſpectant. Et quamvis ex ſuis dotalibus iſtis fundis [6] nec alienare, nec ære alieno gravare quicquam poteſt Regina; hypothecam tamen ad vitæ dies in iis, ſi libet, conſtituit, quin & ſi onere quo, de Ordinum aſſenſu à deceſſoribus gravatos invenerit, æreque id ſuo excuſſerit, neutiquam fraudi ei eſſe æquitas ſinit, nec quo minus Rex, qui per tempus id fuerit, hæredibus ei mortuæ ſuperſtitibus de refundendo teneatur, leges impediunt.

Sic

[4] *Hagec. ad an.* 1305. [5] *Supr. cap.* 2. §. 4. 5. 15. [6] *Ius provinc. A.* 25.

Sic pro Hyneco & Zdeneco Rozmitaliis, Iohannæ Reginæ hæredibus, adversus Wladislaum Regem olim de pecunia testamento legata fuit pronuntiatum: Sic cum datam antehac pignori ditionem Trutnovianam repeteret, æreque mutuo, quadringentis nempe & quadraginta septem sexagenis grossorum Pragensium, liberare eam ipsa vellet Ferdinandi uxor Anna regina, recusanti Adamo Zylvaro creditori, fuit judicum sententia imperata pignoris restitutio, ditioque ipsa cum agro omni satisfacienti de debito reginæ assignata. *ann.* 1544. Sic Annæ Matthiæ Regis uxori de redimenda à Wilelmo Webynicio per Rudolph. II. oppignorata ditione Mielnicana, in comitiis (*ann.* 1614.) assensum. Suum præterea in his usumfructum emolumentaque, sive versura, sive venditione, sive alio contractu quovis, potest Regina sive in Regem, sive in alium, pro arbitrio transferre. Sic Elisabeta Wenceslai II. Rudolphique; sic (si non hallucinatur Cromerus) [7] Barbara Sigismundi Regg. viduæ, de hoc talium bonorum usufructu olim paciscebantur: huic Albertus gener aureûm numûm duodecies mille

Cc ex fisco

[7] *Cromer. hist. Pol. lib.* 21. *Gerard. Roo hist. Austr. lib.* 5.

ex fisco persolvenda dabat; illi Iohannes Rex privignæ maritus, ad Brunam in Moravia possessiones alias, pecuniæque nonnihil offerebat. [8] Si qua vero Regis uxor corona regni non fuerit insignita, Regi tamen interea decedenti supervixerit, dotem Bojemicam petere more prisco prohibetur. Sic Wladislai Regis uxor Anna, si marito regi superstes fuisset, dotem in Bojemia nullam habitura fuisse judicatur. [9] Si qua ab Regis mariti obitu populatibus se nuptiis illigaverit, & ex nobilitate domestica cuipiam nupserit, quia id infra ordinis dignitatem est, & legibus Regum priscis prohibetur, dotem quam ex priore cum Rege matrimonio est consequuta, facto ipso amittit statim, cumque marito qui eam duxerit, & omni ejus ad tertium usque gradum stirpe, regno toto excedere jubetur. [10] Sin vir aliquis princeps matrimonio eam sibi conjunxerit, regno quidem eam tenetur exportare, plene tamen nihilo minus utetur fruetur bonis ejus dotalibus tantisper dum jus istud uxorium, repræsentatis argenti decies mille marcis, Rex Bojemus redimat. Regi alioquin nulli licet.

[8] *Dubr hist. Boj. lib. 20.* [9] *M. Daniel Calend. ad 26. Iul.* [10] *Andr. Ban de Duba, MS. vetus.*

licet, Reginam, quæ coronata fuit, Regis decessoris viduam, vel de possessione bonorum istorum dotalium dejicere, vel ratione quavis alia in pleno eorum usu fructu turbare. Oppignoravit sane ditionem Trutnovianam Christophoro Iandorfio Ferdinandus Rex. & Mielnicanam primum Georgio Lobcovicio, [11] postea vero Ioachimo Colowratæo, [12] Imp. Rex Rudolphus, verum id ab illo Ordinibus inconsultis, contractu invalido, & post reginæ uxoris mortem, ab hoc vero non nisi de usu fructuariæ reginæ matris Ordinumque universorum assensu, esse factum, judicii provincialis sententia, [13] comitiorumque decreta probant. Dotalibus porro hisce suis emolumentis reginæ viduæ, sicut dignitatem honeste possunt tueri, ita contentæ quoque esse tenentur, id quod ex eo liquet, quod cum post Maximiliani patris excessum, Rudolphus Rex ab Ordinibus Mariæ matri ex cerevisiatiis obventionibus, quas *Posudné* vocant, grossum Pragensem unum rogasset, decreta quidem (*ann.* 1577.) in comitiis fuerit nova id genus contributio, sed neque citra obmurmurationem, neque sine cautione.

Cc 2 Confe-

[11] *Comit. an.* 1579. [12] *Comit.* 1595. [13] *Iudic. an.* 1590.

Conferebatur nempe illa in publicum Ordd. ærarium, & tum demum cum ad manum esset, reginæ repræsentabatur, honorarii, non contributionis titulo, hacque cum cautione, ne de cætero simile quid ab Ordinib. vellet petere.

III. Permagno autem in honore sunt apud populum Bojemum reginæ omnes, præsertim quæ comes; & linguæ gentis vernaculæ amantes esse sentiuntur. Blandiuntur iis suaviter ac obsequuntur certatim viri æque ac fœminæ, muneraque opportuno quovis tempore reverenter offerunt. [14] Feruntur vero huc cum innata genti Regum suorum amatrici, singulari quadam animorum inclinatione, (etenim sicut canit poëta noster,

—— vix observantior ullus
Est populus Regum, nec pacis amantior ullus
Bojemis,) [15]

tum privatis de caussis, ut nimirum testatam iis faciant suam quisque voluntatem promptissimam, & in necessitatibus apud Regem habere queant adjutrices & patronas. Præter communia hæc populi omnis obsequia, habent Reginæ suos quoque aulæ domesticos, ac omnis generis

[1]4 *Comit. an.* 1569. 1614. [15] *Wences. Clemens.*

generis ministros, Curiæ magistrum, SubCamerarium, pueros cubicularios, & alios, inprimis verò numerosum in gynæceo puellarum matronarumque chorum. Et quamvis nec in consistorium consilii regii, nec ad judiciorum tribunalla venire per leges sinantur, nihil tamen id vel splendori ipsarum derogat, vel adversarios, si qui fortunæ earum vel in minimo, præter fas & æquum tentent obnuntiare, juvare potest. Etenim & huic quoque rei oportune prospexit prudens vetustas, constituto præfecto, (vocatur *Vrzednik Kralovve Gegj milosti*) qui inter Minoris subsellii judices provinciales ad tabulatum regni, ac ubivis in consilio, quasi Reginæ Procurator sederet, suffragium cum cæteris pariter haberet, & quoties Reginæ quid in re quaque interfuerit, protinus intercederet.

IV. Cæterum quibuscum sive domi sive peregrè, per matrimoniorum vincula cognatione affinitateque, hodie æque ac olim conjuncti fuerint principes Bojemi; quæque quo cum principe vixerit uxor princeps, recensere, ac Lectori tibi velut in tabula proponere, si non necessarium, saltem non incongruum opinamur. Ante annum Christi fere millesimum, ignotæ principibus Bojemis

fuerunt nuptiæ peregrinæ. Bojemas illi, ac domi inter suos natas optabant uxores: quidam amissa prima, alteram non quærebant, quidam ad secundas, tertias, quartasque nuptias transibant. Exceptis Przemyslo-Ottacaro II. & Rudolpho I. viduam sibi nemo junxit. Publico siquidem gentis decreto cautum jam olim est, [16] ut ne cui Bojemiæ regi viduam ducere liceat. Vixerunt autem cum Viris in Bojemia principibus, conjuges,

I. Borzena [fatidica] cum Croco seniore,
II. Niva corporis proceri, & formæ elegantis fœmina cum Croco juniore,
III. Libussa [vates] cum Przemyslo,
IV. Hruoba, & post eam Lidomira, cum Nezamyslo:
V. Strzezyslava [circumspecta] cum Mnata,
VI. Banca [fatidica] cum Wogeno,
(VII. Wnyslai conjux quæ fuerit ignoratur)
VIII. Libusca cum Crzezomyslo.
IX. Ponislava cum Neclano:
X. Miloslava cum Hostivito,
XI. Lidumila cum Borzivogio:
(XII. Zpitihnevus vixit ἄγαμος)

XIII.

[16] *Bonfin. decad.* 5. *lib.* 1.

XIII. Drahomira cum Wratislao.
(XIV. D. Wenceslaus cœlebs vixit)
XV. Brzena cum Boleslao Sævo.
XVI. Hemma ex domo Saxonica, princeps ex alienigenis omnium prima cum Boleslao Leni;
XVII. Czemislava cum Boleslao Cæco.
(XVIII. Iatomirus uxore caruit)
XIX. Boziena, [honeste morata] cum Vldrico,
XX. Iutha, Othonis Albi Comitis ad Rhenum filia, cum Brzetislao I.
(XXI. Zpitihnevus II. habuerit necne uxorem non est certum)
XXII. Arabona prima, Adleta Andreæ regis Vngari vel soror, vel filia secunda, & Svatava Cazymiti Polonorum regis filia tertia, cum Wratislao Rege primo.
XXIII. Walpurgis cum Cunrado I.
XXIV. Lucarda Alberti Comitis Palatini ad Rhenum filia, cum Brzetislao II.
XXV. Helbirga, Leopoldi III. Marchionis Austriæ filia cum Borzivogio II.
XXVI. N. cum Svatopluco I.
XXVII. N. cum Wladislao I.
XXVIII. Adleta [pia] Almi Vngariæ regis filia, cum Sobieslao seniore.

XXIX. Gertrudis prima, & Iutha-Cæcilia secunda; illa Leopoldi IV. Marchionis Austriæ, hæc Ludovici III. provincialis Comitis Thuringiæ filia, cum Wladislao Rege.

XXX. N. Mecziflai Ducis Poloni filia, cum Sobieslao juniore.

XXXI. Elisabeta Geysæ Regis Vngarorum filia cum Friderico.

XXXII N. prima, & Maria secunda, prior Belæ Cæci Vngariæ Regis, posterior Henrici Cæsaris filia cum Cunrado II.

XXXIII. N. cum Wenceslao II.

(XXXIV. Brzetiflaus-Henricus vixit cœlebs)

XXXV. N. cum Wladislao II.

XXXVI. Abda sive Adla prima, & Constantia secunda; hæc Belæ III. Regis Vngariæ, illa Othonis Divitis marchionis Misniæ filia cum Rege Pizemyslo-Otracaro I.

XXXVII. Cunca seu Cunegundis Philippi Svevi Imper. filia cum Rege Wenceslao Vnoculo.

XXXVIII. Margareta vetula, prima, ducta intra octiduum post Margaretæ mortem Cunca, secunda; illa Leopoldi VIII. Ducis Austriæ, hæc Rosislai sive Hostislai Bulgarorum ducis filia cum Pizemyslo-Ottacaro II.

XXXIX.

XXXIX. Iuta seu Gitca prima, & Richsa-Elisabeta secunda; illa Rudolphi Habspurgici, hæc Przemysli Polonorum regis filia, cum Wenceslao Rege Sancto, ac posterior etiam cum Rege Rudolpho.

XL. Viola Mezeci Tiessinensium Ducis filia cum Wenceslao III.

XLI. Anna Wenceslai Sancti Regis ficia cum Henrico Carinthio.

XLII. Elissa ejusdem quoque Wenceslai Sancti, & Beatrix Ludovici Borbonii filia, cum Iohanne Lucemburgico.

XLIII. Blanca prima, Anna (quæ & Meczla) secunda, Anna Iohanna tertia, & Elisabeta quarta, cum Imp. Rege Carolo IV. Fuerunt autem filiæ, prima Caroli Valesii, secunda Rudolphi Comitis Palatini ad Rhenum, tertia Henrici Iavoriensis Suidnicensisque, & quarta Bogislai Stetinensium Ducis.

XLIV. Iohanna prima, & Sophia secunda, cum Wenceslao IV. Illa Alberti, hæc Iohannis Bavariæ Ducum filiæ.

XLV. Maria Ludovici Vngariæ Regis, & Barbara Hermanni Ciliæ Comitis filia, cum Imp. Sigismundo Rege.

XLVI. Elisabeta Sigismundi Cæs. filia cum Rege Alberto Claudo.

XLVII. Magdalena Caroli VII. Regis Galliæ Ladislao Regi uxor desponsa.

XLVIII. Iohanna Rozmitalia cum Rege Georgio.

XLIX. Anna Iohannis Comitis Engolismensis filia, cum Rege Wladislao II.

L. Maria Philippi Austrii Hispaniarum Regis filia cum Ludovico Rege.

LI. Anna Wladislai II. Regis filia cum Ferdinando Austrio Rege.

LII. Maria Philippi II. Hispaniarum Regis filia cum Imp. Maximiliano Rege.

(LIII. Imp. Cæs. Rudolphus II. ἄγαμος vitam traduxit)

LIV. Anna Ferdinandi Archiducis Austriæ filia cum Imp. Cæs. Matthia.

LV. Elisabeta Iacobi Magnæ Britanniæ Regis filia cum Friderico.

LVI. Maria-Anna, & Eleonora, cum Ferdinando II. Imp. quarum illa fuit Wilelmi V. Bavariæ; hæc est Vincentii Gonzagæ Mantuæ, Ducum filia.

Ex his principibus fœminis, octodecim, ut minimum, maritis suis supervixerunt, & quod sciam, quatuor duntaxat secundis nuptiis memoriam matrimonii

monii prioris restinxisse leguntur. Cæteræ omnes solæ, partim in cœnobiis, partim apud cognatos, partim in dotalibus suis Vrbibus vitæ reliquum traduxêre. [17]

Sic illis animo fixum immotumque sedebat
Ne cui se vinclo vellent sociare jugali,
Postquam primus amor deceptas morte fefellit.

CAP. X.

De Regum Bojemorum liberis.

I. Regum principumque liberis tam maribus quam fœminis permagnus similiter honor à populo Bojemo semper est habitus. Vocabantur autem illi, non principes Bojemiæ, ut in compluribus regois fit, sed, quemadmodum apud Polonos hodieque est in usu, solummodo *Wyvvodicovve* & *Wyvvodinky*, hoc est, ἀρχηγέτιδες; vel *Kralovvicovve* & *Kralovvicovvny* seu *Kralavvinky*, hoc est, βασίλειδαι. [18] Nec eorum quisquam titulos sibi inusitatos, vel alios quam quos populi calculo accipiebat, sumpsisse unquam legitur. Habue-

---

[17] *Virg. Æn.* 4. [18] *Chron. Boleslav. capp.* 66. 93. 94.

Habuerunt nihilominus semper quam promptissimas populi omnis voluntates, quamdiu nec leges regni ipsi convellebant, nec tranquillitatem patriæ publicam commodis privatis posthabebant. Nihil quod augendo ipsorum splendori serviret prætermissum, nihil quod noceret commissum à Bojemis de universitatis consilio unquam fuit. Vursslovicensium, qui de exscindendis à stirpe, Przemyslæi sanguinis principibus olim conjurarant, sceleratam perfidiam populus omnis semper est extreme detestatus. Assassini, qui pecunia corrupti, necandis sive regibus nostris sive regum filiis quandoque ab gentis hostibus vicinis subornabantur, exteri, non Bojemi, fuerunt, quorum patricidiales sicas ac venena, exsecramur hactenus nos omnes.

II. Studii voluntatisque quam deditissimæ majores nostri non leve erga prolem regiam dederunt documentum, cum quod nulli diversæ stirpis principi fasces suos rerumque summam commendarunt, tum quod de necessariis alimentis, honestisque vitæ tuendæ mediis, quibus pro loci ac ordinis dignitate, principum regumve suorum filii ac filiæ alerentur, disponendi ordinandique potestatem gerentibus rempub. principibus suis integram relinquebant. Etenim præter-

præterquam quod pecuniæ paternæ ii, supellectilisque pretiosæ omnis ex regiis proventibus ac obventionibus quibusque in regno comparatæ, absque controversia sunt hæredes, terræ quoque pars aliqua ex Optimatum consilio solet ab rege coronato maribus singulis, nonnunquam in Bojemia, plerumque in Moravia, quandoque etiam in Lusatia vel Slesia, cum usufructu pleno, & dominio utili assignari; fœmellis vero dum elocantur, mundus muliebris, & argenti signati dos caculenta repræsentari. Et quanquam quo minus obtinens regnum Rex, poscente sua, vel reip. necessitate, factam semel ab se territorii assignationem, vel revocare penitus, vel de ea quovis modo statuere queat, neque lege ulla, neque moribus prohibetur; plerunque tamen non solum illi ipsi regum filii, fratresve, qui primi in aliquam id genus possessionem veniebant, quamdiu in vivis erant, ditione eam sua tenebant, & titulos ab ea, cognomentumque sumebant, verum etiam jus, semelque usucaptam possessionem, ad filios mares transmittebant. Si qui vel maribus non relictis decedebant, vel fortunis facultatibusque, ex quibus pro dignitate possent vivere, alibi augebantur, tum demum territorium, quod ditione tenebant, ad regnum,

regnum, utpote cujus est proprietas, omnino redibat. Sic agrum territoriumque certum assignavit de consilii sententia Wnyslaus princeps Wratislao fratri in provincia Lucensi; sic Hostivitus Mstibogio in dynastiâ Caurzimana; sic D. Wenceslaus Boleslao in provincia Trans-Albina: sic Brzetislaus Pugnax filiis, Zpitihnevo primogenito provinciam Lucensem; Wratislao Moraviæ partem alteram in qua est Holomuce; Cunrado & Othoni alteram in qua Bruna est & Znoymum; Iaromiro denique sactis destinato Episcopam Pragensem, & provinciam Hradecensem: sic Wratislaus, postea Rex, cum fratri Zpitihnievo in Bojemia successisset, Moraviam fratribus est dispertitus, & Holomucensem quidem Othoni concessit, Znoymensem vero Cunrado Brunensi dynastæ seu Duci adjecit: sic Wladislaus princeps (*ann.* 1111.) fratri Sobieslao Lucense, sic Wladislaus Rex (*ann.* 1143.) Theobaldo itidem fratri Clatovianum territorium in Bojemia, sic ex eadem familia principes aliis alia alii. Sic tempore longo post, Moraviam dedêre Lucemburgici, Iohannes Rex Carolo filio postea Imperatori, Carolus vero Iohanni-Henrico fratri, qui eam ad filios quoque transmisit: Sic Carolus idem Gorlicium

cum

cum vicino agro omni, similiter attribuit Iohanni filio. Id porro quod Imp. Rex Sigismundus, *(ann. 1413.)* Moravia Alberto genero data fecit, ut novo exemplo, ita præter morem patrium factum, improbarum, retractatumque fuit. Eam verò Wladislai II. Regis concessionem, qua Glogoviensem Opaviensemque ditiones, sive Ducatus, *(ann. 1491.)* Iohanni-Alberto, & postea *(ann. 1499.)* Sigismundo fratribus concessit, huic etiam aliquanto post inferioris Lusatiæ Marchionatum adjecit, quam æquo animo populus Bojemus tulerit, certi quod dicam nihil habeo. Nec præteriri forrasse debet, quod quidam ajunt, Svidnicensem in Slesia Ducatum ea lege à Boleco Duce, Bojemici juris olim esse factum, ut filius Regis Bojemi natu maximus, vivo patre Rege, ex ejus proventibus vivat, famulitiumque alat.

III. At vero sicut filiis usufructu terræ ac territoriorum, ita filiabus quoque regiis pecunia dotali prospiciendum putavit sapiens vetustas. Dos autem illa saltem fuit argenti puri pondo sive marcæ olim quingentæ, [1] postea decies mille, cui corradendo ac conflando quoties nubunt regum filiæ, ab Ordinibus universis,

[1] *Hagec. an.* 1311.

versis, eadem, quæ in filiorum nuptiis similiter observatur, ratione, confertur de more ex pensione, quæ à suis cuique glebæ adscriptitiis semestri utrolibet præstatur, ordinaria semissis. Sic dotem genero dedit, Sobieslaus senior cum Maria filia Leopoldo Austrio, argenti marcas quingentas; [2] sic pacti sunt, cum Agnete filia Ruperto Adolphi Imp. f. Wenceslaus Sanctus *(ann. 1292.)* cum Elisabeta sorore Cazymiro Polono Ladislaus Rex, *(ann. 1454.)* marcas decies mille: sic uxorem Maximiliano filio postea quam dedisset, & filias Elisabetam Poloniæ regi Sigismundo Augusto, Annam Alberto Bavaro, Mariam Wilelmo Clivensi elocasset, subsidia Ordines Bojemos in comitiis poscebat in dotem Ferd. Rex. [3]

IV. Verum enimvero, quemadmodum regii sanguinis principes illi, qui, quod erant, esse voluerunt, quique fortunis ab obtinente apud Bojemos sceptra principe, patre, vel fratre, agnatove, affignatis contenti, nec opes majores concupiscebant, nec ad altiora, quam per leges licuit, adspirabant, facultatibus quas acceperant absque molestia, etiam cum sexus melioris posteritate, uti frui permitte-

[2] *Hagec. ad. ann.* 1138. [3] *Comit. ann.* 1549.

mittebantur: sic qui ambitione immodicove habendi cupidine in contrarium abrepti, vel in principem, cui opes suas acceptas ferre debebant, hostilia machinabantur, vel publicam patriæ tranquillitatem seditiose, aliave ratione quacunque perniciosa perturbabant, de possessionibus, ut ingrati ac perduelles, morte haudquaquam exspectata deturbabantur. Sic mulctatos his de caussis, adeoque in vinculis quoque habitos à Sobieslao seniore accepimus, [4] Wratislaum ex Vldrico, & Cunradum ex Leopoldo, Cunradi I. nepotes; sic à Friderico Cunradum juniorem; sic à Rege Wenceslao tam Przemyslum fratrem, quam Przemyslum Ottacarum filium, itemque alios ab aliis. Ex quibus omnibus haud ineptè tritum illud in proverbio apparet usurpari, ξυρὸς εἰς ἀκόνην, fabrum suæ quemque esse fortunæ. Modestis ac præsenti bono contentis, quantumvis in modico, beatis, ambitiosis contra & turbulentis, aut exsulibus, aut captivis, ideoque calamitosis esse dedit fortuna.

[4] *Hagecus ad ann.* 1126. 1128. 1184. 1235. 1237. 1250.

CAP. XI.

De Ordinibus Regni Bojemiæ.

I. Modus aliquis certus ratioque in hominum omni consociatione potest manifesto observari, qua vir viro præstare, par vel impar esse cognoscatur. Hic virtute, hic generis splendore, hic opum magnitudine, hic loci, in quo collocatur eminentia alteri antecellit. Inoleverunt ex his fere principiis certi in politia quoque, ac omnis generis rerumpub. statu, honoris dignitatisque gradus, conditio, discrimen, quo populi universitas sub magistratus summi imperio certos in ordines ac veluti classes distincta, & ab ultima vulgi promiscui turba secreta habetur. Sic & in Bojemia nostra fecit inter homines incolas jam olim gradus certos provida antiquitas, &, rudi vulgo ad servilia abjecto, populum naturæ melioris, ad constituendum reipub. corpus delegit, eumque perinde ac in rebuspub. cæteris, STATVS IN REGNO nuncupavit. Voluit autem Status illos suos, alios quoque ab aliis esse discretos; ut videlicet alii in templis dignitatis locum caperent, alii in curiis: illi ut procurarent religionis, hi vero hujus, ut ajunt, seculi negotia, & ut nec illi civilia attingerent,

nec

nec hi rebus se sacris immiscerent. Sicut ipsa re, ita & significatione diversi erant *Rzádovve* & *Stavvovve*.

II Vnde duplex in Bojemia Status proprie fuit semper, Ecclesiasticus nempe & Politicus. Ecclesiasticus sive sacer constat ex sacerdotibus, in quibus sunt Archiepiscopus, ejusque, quem vocant, Suffraganeus & Officialis, Capitulares Arcis Pragensis, Cœnobiorum Abbates, Præpositi, Priores, & si qui sunt alii, inter eos qui Romanæ Sedis disciplina reguntur, quique SUB UNA cognominantur, itemque Administrator cum presbyterio omni suo, ArchiDecani Cutno-Montanus & Hradecensis, Vrbiumque in regno populosiorum Decani, inter eos qui Euangelicæ disciplinæ instituta sequuntur, quique SUB UTRAQUE dicuntur. Omnes illi more prisco à Rege, regnique Senatu ac primoribus partis suæ non tantum nominantur, sed etiam confirmantur, ac suis functionibus præficiuntur, omnes Regi Senatuique obtemperant, omnes à consiliis subsellijsque politicis penitus arcentur. Nulla Hagecus, nulla cæteri, qui contrarium vel opinati sunt olim, vel opinantur hodie, documenta, quibus opinionem suam de Prælatorum inter Ordines politicos loco, rerum peritis approbent,

idonea produxisse cernuntur. Leguntur quidem adhibiti nonnunquam fuisse obeundis publicis regni legationibus ex Antistitibus disertiores Viri, sed stirps, ut plurimum, seu generis splendor, non dignitas (quæ alioquin, ex nonnullorum sententia, neque ordinem, neque præstantiam ipsorum naturalem minuit,) locum iis hunc conciliabat. Aderant tanquam legatorum Referendarii, & ὑπὸ δεισιδαιμονίας τινὸς, (præsertim ubi negotium de privilegiis, regnique Statu communi fuit, quæ defendi, conservati, augerique, Ecclesiasticorum æque ac Politicorum interfuit,) non tanquam universitatis politicæ membra. Circa Regem frequentes quoque esse consuêrunt; sed ut de pietatis exercitio monitores, non ut politici proceres. Vocabatur prætetea in Senatum quandoque Archiepiscopus, & Cancellarius regni creabatur Præpositus Wyssehradensis, sed nec semper, nec necessario. Ille ob muneris reverentiam & in iis saltem rebus; quæ tam sacras res quam profanas concernebant; hic ex privilegio, quod jam olim exspiravit, neque adversus vetustissimum gentis morem legis vim habere diu potuit. Et sane quia in sacris plus quam satis, quod agat, habet sacerdos, & ex ho-

mine natura politico, factus consecratione est homo theologus, æquissima Bojemi veteres ducti ratione, à profanis illum studiis ac cogitationibus remotum esse, statusque gradum non nisi propter aram tenere voluerunt.

III. Politicus autem seu sacris solutus Status, vocatus inter Bojemos Ordo, & vetustissimo, nec Georgii regis ævo demum introducto more triplex est, Baronum, Equitum, Civitatum.[5] Permagna est horum Ordinum in regno libertas. Etenim quamvis Regem agnoscunt dominum supremum, eique & fidem omnem, & obedientiam honoremque debent, ideoque singuli eo perquam multis gradibus sunt inferiores: universi tamen propterea quod rempub, repræsentant, plerisque in rebus majestatem quodammodo cum eo habent communem, ejusque potestatem ac splendorem adæquant. Bona ipsorum tota Bojemia pleraque omnia hæreditaria sunt seu allodialia, perpauca feudalia. Possidet quisque, quod habet, cum minore & majore, quam capitis vocant, jurisdictione: venandi etiam aucupandique ac piscandi in suo habet potestatem libe-

Dd 3 ram,

[5] *Ius provinc. A. 9.*

ram, nullis nisi in quas comitiis frequentibus fuit consensum, exactionibus novis aut vectigalibus à Principibus gravatur. A privatis hisce rebus, ad publica quoque regni negotia late porrigitur Ordinum libertatis magnitudo, in quorum procuratione ex veteri instituto (id quod jam ante [6] recensuimus) aliquot jurium majestatis, validam habent cum principe participationem; in justitiæ administratione, præmiorumque & pœnarum distributione amplissima est illorum authoritas, quæ loco suo clarius explicabitur. [7] Nemo extra regni fines natus, vel in Ordine quoquam censeri, vel agri glebam jure dominii habere, vel gerere se pro regnicola potest, priusquam, Nobilis à Nobilitate conventu frequenti; [8] Civis à sedente pro tribunali magistratu loci civico, eâ de re assensum impetrarit, & priusquam, data de colenda tuendaque coronati Bojemorum regis tanquam domini sui unici & magistratus supremi majestate regia, deque servandis Ordinis legibus, & liberis in lingua Bojemica instituendis, fide ingenua, Ordini, quem gesturus est, adscriptus publice

[6] *Sup. cap.* 5. §. 10. & 11. [7] *Inf. cap.* 16. §. 4. 5. 6. [8] *Comit. ann.* 1610. 1615.

publice ac consociatus fuerit. Duces, Marchionesque Bojemia nullos habet, Comites perpaucos. Si quis Dux, vel Marchio, vel Comes, inter regnicolas cooptari atque agrum intra regni fines habere cupiat, Baronis loco eminentiaque contentum esse oportet. Decus altius ambire per leges non potest. Veteri autem instituto, nemo in Baronum Ordinem, qui non ab abavis Equitibus, nemo in Equestrium, qui non à proavis, integræ famæ hominibus, procreatione legitima descendat, majoribusque exceptione documentis demonstrare rem queat, admitti cooptative solet.

IV. Distinguendis porro isthoc modo Ordinibus occasionem veteribus objecit posita ob oculos reipub. necessitas. Apparebat siquidem eam neutiquam duraturam diu, vel salvam futuram, nec principem oneri muneris sui ferendo solum fore parem, nisi legum & libertatis custodes tum togatos tum armatos, mercaturæque, & commerciorum ac opificiorum curatores domi haberet. Iuris ergo patrii legumque interpretationi, libertatis ac privilegiorum custodiæ, & capiendis de repub. consiliis, (siquidem peregrini omnes à tractandis rebus Bojemicis, lege prisca, moreque semper accurate servato, prorsus repelluntur) Ba-

tiones sunt tanquam Patriæ Patres præfecti; militiæ vero equestris studiis, armorum tractationi, finibus defendendis, hostibus à limite arcendis, pacisque publicæ turbatoribus, & acceptæ à majoribus libertatis legumque violatoribus ferro coërcendis, Equites destinati;[9] vitæ denique commode agendæ mediis comparandis, commerciis quæstuosis, negotiationibusque quibusvis curandis, ac opificiis discendis Cives instituti. Ea propter habitantibus sparsim in arcibus, castellis, villis, ager Bojemus Baronibus primum, & postea Equitibus quoque à Nezamyslo Principe proportione Geometrica fuit distributus & manuum mortuarum sive colonorum glebæ adscriptitiorum, certus numerus datus, ut abducti à solicitis in quærenda re familiari occupationibus, cum famulitium operis præstandis necessarium, tum ordinarios, qui vitæ luculenter tuendæ affatim essent, reditus ac proventus inde habere, & pro vocatione quisque sua, reipub. principisque sui commodis, invigilare toti possent. Civibus vero; utcunque occulta & quasi infra apud nobilitatem invidia despicatuque flagrantibus, tamen ut membro Communitatis regni Boj.

[9] *Hagec. sub. ann.* 678. 720. 752.

Boj. insigniori, [10] ac quod firmum tuendæ principum dignitatis fulcrum semper est habitum, & in quo jam olim primas solent tenere permulti, qui virtute & impensioribus in Regem atque Rempub. studiis, splendorem sibi equestri loco non multo inferiorem compararunt, generique suo ac posteritati omni, ex Regum munificentia ἐπίσημα, sive familiæ insignia peculiaria promeruerunt, & qui legibus nostris [11] *Panosse* dici jubentur, loca condendis Vrbibus oportuna sunt assignata, immunitatibusque prærogativis & exemptionibus permultis ornata, in quibus, adversus vim externam communitis tuti, larem figere, augendæ commerciis quæstuque honesto rei familiari operam dare, opificia manuaria & lucrosas operosasque cujusvis generis artes exercere, principi denique ex quæstu suo canonem annuum in fiscum pendere possent atque jus haberent. Feliciter cessit, utilisque reipub. magnopere olim fuit Nezamystæa hæc ordinatio. Etenim tam cives ordoque equester, quam proceres officium solerter faciebant; principem colebant, patriam ornabant, colonos quisque suos amabant, ministeria ab iis,

 operas,

[10] *Wladisl. Reg. Decis. an.* 1502. §. 1.
[11] *Jussu Constit. regni; A.* 15.

operas, præstationesque cæteras, non nisi moderatas exigentes. Quæ tamen ne gratuitæ prorsus essent, vel manu invita præstarentur, agelli ex quo ipsi etiam coloni rem pro se familiarem possent comparare, portiunculam cuique de suo assignabant. Lene igitur tum ac perquam moderatum erat, sicut principis in nobilitatem, ita nobilitatis in agreste vulgus imperium. Quod vero proceres equestresque hujus ævi plerique, colonos suos, erepta iis penitus omni querelæ facultate, acerbissimo dominatu asperrime ac impotenter divexare, immodicis præstationibus exorbitanter gravare, inhumaniusque non raro quam jumenta tractare nihil pensi habent, id hercle & à Nezamysli mente, & à more prisco, & ab humanitate omni alienissimum, barbarum, publice perniciosum, ac propterea legibus coërcendum & ad moderationem benigniorem reducendum merito est. Sic quia τὸ καπηλεύειν, cauponatione vivere, lucro quæstuique inhiare, sicut recepto apud vicinas gentes more legibusque, nobilitati interdictum, [12] ita viris generis splendore antecellentibus indecorum & illiberale esse videbatur, ideo non modo magnates, verum & nobilitas

[12] *Cod. lib. 4. t. 63. l. 3.*

bilitas omnis, ab id genus ſtudiis prorſus eſt remota, ac inſtitoria quæcunque Civibus ſolis relicta. Ex agri quidem hortorumque cultura rei familiaris acceſſiones facere, Ordini nulli lege eſt interdictum; ſed præterquam quod nobilitatis ager *Spupny*, civium vero (loquor de perſonis, non de communitatibus,) *Sſoſni* fere eſt, indecorum ac infra Ordinis naturam exiſtimatur, ſi ex nobilitate quis ruſticis id genus, in cultura iſta neceſſariis operis, ſe defatiget ipſe. Oculis quiſque eam in curam vigilans, vernis ſuis vel colonis ac meritoriis opus hoc imperat. Sic apud veteres, hortos ſeviſſe Cyrus, [13] ſic Attalus Hieronque, [14] ſic Romanorum nobiliſſimus quiſque [15] agros exercuiſſe leguntur.

V. Ordinum iſta diſtinctio, leges quoque gentis diverſas jam olim peperit. De Regis aſſenſu ſuas ſibi rogavit ac fixit leges & jura nobilitas, ſuas Civitates; [16] reguntur que hactenus, ut hæ ſuis, ita illa quoque ſuis, & eſt utriſque liberum, pro re nata, Regeque conſcio, de voluntate ac conſenſu publico, legibus, quod opus videatur,

[13] *Xenoph. in Oecon.* [14] *Varro 1. de re ruſtica, cap. 1.* [15] *Cicer. in Cat. Maj.* [16] *M. Daniel. Calend. ad V. Octob.*

videatur, vel addere, vel detrahere.[17] Abhorruit videlicet gens hæc semper à jure in Germania usitato, nec ei se unquam voluit submittere. [18] Ius quod nobilitati est scriptum, terrestre verius quam provinciale, quod civibus, municipale, *Prawa Zemska, Prawa Miestska*, vocatur. Ob juris diversitatem istam, suum habet forum nobilitas, suum civitates. Quam late autem cum provincialis tum municipalis codicis vis sese extendat, & quibus in caussis, sicut civitates provinciali, ita nobilitas municipali jure alligetur, (altercatum enim hac quoque de re perniciose diuque olim fuit) pactis Suato. Waczlavianis (*ann.* 1517.) diserte est cautum. Interea vero Ordo quisque inter se suis etiam tenetur institutis. Quem Barones inter se, quem Equites, tam Ordini quisque suo toti, quam singulorum, vel generis vetustati, vel munerum dignitati, vel denique ætati honorem, cum publicis, tum privatis in congressibus, debeant servare, tabulis regni publicis, Barones sub Wladislao II. & Ferdinando I. (*ann.* 1501. 1502. 1542.) Equites sub Rudolpho II. quamvis obnixe contradicentibus nobilitatis ἐπισήμοις, per

[17] *Ius provinc.* Z. 4. & *Ius municip.* T. 13. [18] *Comit. an.* 1557.

per Impp. vel Reges ornatis, Ordinis civici potioribus *(ann. 1609. 1610.)* ex temporis longiusculi observantia definiverunt. Civitates similiter, & civitatem, quibus volunt, hominibus liberis dant pro arbitrio, & ab iis quos, post exactam de natalibus legitimis inquisitionem, in suum adsciscunt Ordinem, stipulantur manu conserta coronato Bojemorum regi, patriisque legibus subjectionem, magistratui urbico & senioribus reverentiam, in tel familiaris procuratione opificiove justitiam, civitati toti in techna, si quam uspiam cudi cognorint, patefacienda vigilantiam, fidem omnem & pro virili curam solertem, aliquot vero in locis etiam in religionis professione consensionem. Civis autem plus quam unius civitatis nemo esse potest. [19] Si quis civitatis se suæ jure abdicare, nomenque porro alibi inter cives profiteri velit, non prius istic auditur, nec prius in civitatem cooptatur, quam vitæ honestè innocenterque inter civitatis prioris socios transactæ testimonium idoneum, coram loci magistratu produxerit, fidemque de observanda loci disciplina, pariter ut cæteri obstrinxerit. Neque temere est, quod diximus generis vetustati pecu-

[19] *Cicero pro Cæcin. & pro Balb.*

peculiarem, inter Equites perinde ac inter Barones servari honorem. Voluerunt enim majores etiam ea in caussa aliorum ab aliis haberi rationem. Sunt videlicet in nobilitate Bojemica, cum Baronum, tum Equestrium familiæ quædam, quæ ortus sui Ordinisque decus non ita pridem, quædam quæ ante hominum memoriam omnem, quædam quæ ante, quædam quæ post datos Bojemis Reges, quædam quæ ante, quædam quæ post plantatam religionem Christianam, in patria ex rebus præclare gestis acceperunt, sunt quædam quæ genetis clarissimi splendorem, cum primis gentis conditoribus in hanc oram attulerunt. Et quamvis fatorum invidentia stirpis splendidissimæ complures vel nostra memoria defecerint, penitusque sint exstinctæ; non paucæ tamen adhuc utroque in Ordine sunt reliquæ, quæ patriæ gentique meæ permagno sunt ornamento, quarum tametsi velle omnium nominatim meminisse, captum superat nostrum, nihilominus, si sicco propterea pede, quas tenemus, præterire vellemus, non arbitraremur nos declinaturos permultorum hominum non iniquorum reprehensionem. Sua igitur familiæ cuique salva splendoris prærogativa, usitato literarum ordine, & nomenclatura vernacula (licet

(licet ea, lingua alia quam Bojemica dedignetur commode scribi) ad Latini sermonis formulas utcunque inflexa, recensebimus quoad fieri poterit, primum Magnatum seu Baronum genera, postea Equestrium quoque progenies pervulgatiores investigabimus.

VI. Baronum illustri de stemmate sunt; *Berka Dubenses & Lippenses*, * *Bibrsteinii*, *Borzita Martinicii*, *Budovec I.*
Czernini Chudienicii, *Czertoregi.*
* *Eicyngeri.*
Felsii.
Guttensteinii; qui alioquin, ut &
Hohenloii, sunt Comites, *Haranti Bezdruzicii Polziciique.*
* *Hersteinii Welharticenses*, *Hodiegovii*, *Hrzani Harasovienses.*
* *Kafunci Chlumenses*, *Krzinecii Ronovienses*, *Klenovai Ianovicenses*, *Kurczpachii Trachemburgenses & Milczenses.*
Lescovecii, *Liceci Rysenburgii*, *Lipenses*, *Lobcovicii*, * *Logi Albersdorfii*, *Lokssanii.*
Miczani Clinsteinii Roztocensesque, * *Metichi Czeczovienses*, *Mracscii Dubai.*
Opprstorfii Dubenses & Fridsteinenses.
* *Plansstii Ziebergenses*, *sive Eberbergenses*, *Purgrabii Doninenses*, *Pruscovii.*

Raupovii,

Raupovii, Rederii, Rozdra Zìovii Comites, * *Ryehnovii, Rziczanii.*

Sadovii Slaupneuses, Sezyma Austenses, Slavatæ Chlumenses Cossumbergenses que Stosii Caunicenses, Strzelæ Rokyeenses.

* *Sselnbergii Costenses, Sslikii Holeycenses Comites Pasaunii & Cubitenses, Ssleinicii, Sspanovii Lissovenses, Sspetlæ Ianovicii, Ssternbergii, Sstubenbergii, Ssuanbergii, Ssvihovii Ryzimbergenses Przemyslæa stirps.*

Talmbergii, * *Teyrzovii Enzydlenses*.

* *Trzcæ Lippenses*, *Turnæi Comites*.

* *Vgezdecii Cunicensesque.*

Waldsteinii, ex quibus est Dux Fridlandius, *Wartembergii*, *Wchynicii Tettoviani*, *Wratislai Mitrovicenses*, *Wrtbani*, *Wrzesovecii Daubraviemontani.*

* *Zagiei seu Lepores Hasenburgii*, Croci veteris sanguis, * *Ziampachi Pottensteinii*, *Zaruba Hustirzanei*, *Zierotinæi*, familiæ omnes sex & sexaginta, aliique si me qui fugiunt.

VII. Equestrium vero familiarum perquam multæ, & plures quam quis fortasse credat, sunt stirpes, quas quia omnes neque exacte scire, neque quas scimus absque lectoris tædio percensere possumus, aliquas saltem, quas casus potius

tius quam accuratio suggeret, commemorabimus. In permulta illa generosi sanguinis turba sunt;

Amchæ Borovunicenses, Audrcii.

Baubinii Vgezdenses, Bechynæ Lazanenses, Benedæ Nectinenses, Berzcovii Sebirzovenses, Binæi, Bilæi, Boreni Lhotenses, Borzanovii Bytiscani, Branmi Mizeticii, Brzezii Plescovicenses, Bubnæi, Bucovanii Pintæ, Bucovii Hustirzanenses, Bzenii Prorubenses.

Cetenii, Czabelicii Sauticenses, Czastolari Dlauhovvesenses, Czertoregii, Czeycæ Olbramovicenses, Chanovii Dlauhovvesenses, Choteci Choczcovenses, Chotauchovii Nebovidenses, Chrti Ertinæi.

Daupovecii, Deymi Strzitiezenses, Dobrzenii, Dobrzicovii Malegovenses, Dohalii, Dvvorzecii Olbramovicenses.

Elsnicii.

Gelbelii, vel potius, *Kelbelii Geysingenses, Genisseci Vgezdenses, Gerstorsii, Gestrzibii Rysumburgenses, Gezovii Lubenses.*

Hauguvicii Biscupicenses, Homuti Harasovani, Horæ Ocelovicenses, Horzicæ Prostenses, Hornatecii Dobrogovicenses, Hostacovii Arclebicenses, Hrabaniæ Przerubenicenses, Hrobczitii, Hrussca Brzeznenses, Hysila Chovini.

Kameycii Lstiborzenses, Kapauni Suogcovani, Kaplirzi Sulevicenses, Karlici Nezieticenses, Caroli Suarovenses, Kekula Stradonicenses, Kocorzovecii, KonecChlumii, Kordulæ Slaupnenses.
Lazanii Bucovai, Loreci Elcussenses, Lucavecii, Luticii.
Malovecii Chynovenses, Marquardi Hradecani, Materna Quietnicenses, Miesyczeci Wysscovenses, Mitrovii Nemyssenses, Mladota Solopiscani, Myssca Zlunicenses.
Negepinii, Netvorii Brzizenses.
Odcolci Vgezdecenses, Otta Losenses.
Panzari Michnicenses, Pecyngari Bydzinenses, Pessici Comarovenses, Pietipescii, Przedenicai, Przichovii.
Rassini Rysumburgenses, Robmhapi Suchenses, Rodovii Hustirzanenses, Ruti Dirnenses, Rzepicii Sudomirzenses.
Saci Bohunovicenses, Salava Lippenses, Scubrovii, Sekerca Sedczicenses vetustissimus Vurssloveciorum Comitum sanguis, *Slachi Hrzivicenses, Sluzii Chlumenses, Smrezca Mnichenses, Solhausii, Straca Nedabylicenses, Strogeticii, Strzela Rokycenses, Sudliczka Borovnicenses, Summrseldi* aliàs *Czastli Tumnicenses.*
Ssici Drahenicenses, Ssmuharzi Rochovenses, Sspulirzi Gitrenses, Sstampachii, Sstitnai. Talat-

Talatſcones Geſſtieticenſes, Tiemini Tiemicenſes, Trmali Tauſſicenſes, Trmicii Milinenſes, Trzemeſſii, ·
Walcauni Adlarenſes , Wambergii Rohatecenſes , Wanczuræ Rzehnicenſes, Wanecii Gemniczani , Wachtli Pantenovenſes , Welemyſlii Welemyſlovenſes , Wencelici Wrchoviſſtienſes , Wieznicii, Vulci Quitcovenſes, VVlinii VVlinoveſenſes , VVodieradii, VVoraczicii Pabienicenſes , VVoſtromirzii Rokytnicani , VVoſtrovecii Cralovicenſes , VVrabii , VVrchoticii Lautcovenſes, VVrzeſoveci, VVtelenii, VVythæ Zerzavenſes.
Zdiarii , Ziacavecii , Zylvari Sylbrſteinenſes Pilnicovenſeſque, &permulti quos, ut diximus, recenſere non poſſet non eſſe tædioſum, ex quibus præcipuos quoſque ad panegyres regni publicas comitatu ſplendido confluentes Pragæ non ſemel tacita cum animi oblectatione ſpectavimus.

VIII. Nec minus Civitates inter ſe quoque ſua habent inſtituta Ordinis peculiaria , conſuetudines unaquæque ſuas ſingulares ac privilegia, ſuas aliæ præ aliis prærogativas. Praga caput regni Vetus nempe & Nova , anteit urbibus cæteris abſque controverſia , olim etiam Equitibus anteibat. Cutna ei dignitate eſt

proxima, hinc Hradecium Reginæ, Plzna, Zatecium, Budiegovicium, post easque tres & triginta reliquæ, in provincia quæque sua à nobis jam ante [1] memoratæ. Videntur autem & hæ, quia aliæ aliis vel vetustiores sunt, vel splendidiores, vel populosiores, de loci prærogativa inter se nonnunquam contendere.

Præter tres Ordines hosce liberos, habet Bojemia quosdam Ordini nulli adscriptos colonos prædiorum liberos, sive Scultetos, plus minus trecentos & quadraginta, qui *Swobodnjcy*, *Diedinjcy*, *Naprawnjcy*, vulgo vocantur. [2] Prædia illorum hæreditaria quoque sunt & permultis, inter se tamen variantibus, atque aliud præ alio amplioribus immunitatibus ornata.

Tributa nulla, nisi quæ pro prædiorum adæratione veteri, majorum more ipsis comitiorum decreto solent imponi, tenentur pendere. Onus unicum est quod, cum cœnobiorum glebæ adscriptitiis, subire habent necesse, quod nempe bello in regno excitato, subvehendis æneis tormentis, globis, pulveri nitrato, & cætero id genus instrumento, equos, operasque

[1] *Supr. cap.* 2. [2] *Ius provinc. E.* 12. *Ordinatio Reg. Rudol. II.* 1585.

operasque præstant.[3] Forum ipsorum est regni Dicasterium supremum, & ἀμύντωρ atque vindex in pleriſque Procurator regius. Erant ii quondam multo, quam nunc, plures, ſed à potentioribus ex nobilitate jam pridem, artibus iniquè compoſitis ſenſim ſunt oppreſſi. Verum de introducta à majoribus populi noſtri in Status diſtinctione, deque politicorum Ordinis cujuſvis inſtitutis diverſis, hæc ſunt, quæ Lector tibi explicanda habuimus.

CAP. XII.

De Bojemorum legibus.

LEgimus tum in ſacra, tum in profana veterum hiſtoria, Sapientes priſcos qui Reſpub. celebriores primi vel fundarunt, vel formarunt, in re nulla ſolertius elaboraſſe, quam ut omnem ſub idem cœlum, & in unius certi quaſi corporis compagem coëuntium hominum ac civium ſuorum turbam, in ſocietatem, quoad fieri poſſet, beatam[4] & longum duraturam traducerent, attemperatiſque ad ejus genium bonis ac æquis legibus, inter ſe quam arctiſſime devincirent.

Ee 3 Scimus

[3] *Comit. an.* 1596. 1598. [4] *Plato de repub. lib.* 3.

Scimus id egisse apud Hebræos Moysen, Minoa apud Cretenses, apud Græcos Solonem Lycurgumque, apud Romanos Numam, & qui post illos surgebant Viros prope divinos plures. Nec ulla fuit aut est celebris hominum societas, quæ vel, Nomadum instar, leges nullas habeat, vel quas habet, non magno cuipiam, & cum DEIS quasi consiliorum communionem tenenti, heroi suo, acceptas ferre audiatur. Bojema gens nihilo forte gentibus aliis hac quoque in re est inferior. Habuit illa habetque, moribus suis convenienter, natas domi, & jam olim à magnis suis, ususque rerum spectatissimis Thesmothetis rogatas leges bonas atque instituta. Omnium primus genti quosdam, rudes sane illos, & ex decessorum Czechi ac Croci utriusque arbitriis compilatos, legum, ut ita loquamur, θεσμοὺς, præscripsisse legitur[3] Przemyslus, ex Stadicii pagi domino, quamvis aratore, princeps in Bojemia primus. Hic igitur apud nos est, quod & nomen ejus signat, quidam quasi Prometheus. Bene se dederunt ea principia, & sanctiones Przemyslææ illæ, quales quales erant, probatæ sunt populo omni, ac publice receptæ, nec minus tenaci-

[3] *Cosmas Chron. lib.* 1.

tenacitate tanta religioneque observatæ, ut earum quædam neque dum penitus exoleverint. Radix igitur illæ sunt, rogatarum apud nos, posterioris ævi legum omnium.

II. Quoniam vero, multiplicato admodum confirmatoque postea in Bojemia Czechicæ gentis populo, mitioribus studiis, mercaturæ, & opificiis nati homines, communicatis inter se collatisque consiliis, & partim commoditate ipsi sua, partim principum gratia atque cohortationibus animati, ad Vrbes condendum admovebant manus, tandemque numero spes accendente, inter nobiles & agrestem vulgum quasi medii, sola principis, nulla aliorum, imperia ferre vellent, & nihilominus, formando in melius ac firmando statui suo, certa æqui atque iniqui regula opus esse cernerent, ideo de principum assensu, salvis, dudum receptis, magnam partem sibi cum nobilitate communibus, Przemyslæis legibus illis, statuta peculiaria, suo saltem instituto ac vitæ generi accommodata, paulatim condere ac sequi, Civitatesque, nomine tum à nobiliorum, tum ab agrestium turba diverso, dici voluerunt. Inde factum tandem est, ut gentis leges juraque, alia terrestria (*Prawa Zemska,*) populo universo, alia munici-

palia (*Pravva Mesfka,*) Civitatibus solis condita, fensim in provincia invalescerent. Nam quia à Przemyslo nomotheta primo, populus legum domesticatum factus fuit dominus, quotiescunque caussæ novæ ac prægnantes emergebant, quibus decidendis scriptæ ad id tempus leges non inveniebantur pares, receptum aliquanto post usu fuit, ut de difficultatibus, quæ, sive in legibus ipsis, sive in caussis inter litigantes controversis deprehendebantur, Optimates (quippe inter principem & populum medii,) de terrestribus, Civitatum celebriorum legati de municipalibus, frequenti populi omnis concilio, & coram principe, proponerent, ac pro nata re recenserent. Quod dum fiebat, cumque, post accurate in consessu excussa, tum quæ proposita, tum quæ pro, & contra dicta erant rerum momenta, populo novatione visum est esse opus, non sumebat quidem, nec usurpabat eam curam ac potestatem sibi populus universus, sed vel Senatui magno, vel delectis ex sui medio Viris gravibus & prudentibus, quo rectius ac cautius res ea conficeretur, negotium delegabat. Ii re bene deliberata, quæ in legibus, de quibus actum in concilio erat, abroganda vel supplenda viderentur, sciscebant, & ad concionem referebant.

Scitum

Scitum ipsorum, princeps populusque universus pro concione habebant ratum. Nihil hîc sanciebatur, quod ab gentium jure vel æquitate, posset videri alienum, nihil quod barbarum. Barbarus ipse est qui diversum in nos fingit. Variare Leges, rarum omnino apud veteres nostros & infrequens fuit. Semel rite latæ ac receptæ, haud temere mutabantur. Quævis in iis abrogatio, derogatio, obrogatio, surrogatio, reipub. exitiosa est judicata. Male post alios sub Ludovico Rege puero vertit, ac efflictim invidiosa fuit, Timocrati apud nos novo, Alberto Rendelio, homini ex fortuna tenui altius, quam vulgo probabatur, evecto, crebra, nec necessaria, usu magistro probatarum legum alteratio. Additum nihilo minus, temporis progressu, Przemysli legibus priscis illis nonnihil est, sub Mnata, sub Neclano, sub Borzivogio, sub Boleslao Leni, in primis (*ann.* 1135.) sub Sobieslao seniore, Ducibus: mutatum excultumque, haud sane infeliciter, non nihil est, sub Vuenceslao Lusco, (*an.* 1250.) & Przemyslo-Ottacaro II. (*ann.* 1268.) itemque sub Iohanne, (*ann.* 1321. 1341.) & in primis, idque subinde, sub Vuladislao II. Rudolphoque II. Regibus. At cum prima omnium, Duce Przemyslo adhuc

 super-

superstite, Vulasta Amazon sanguinaria, postea vero Vuenceslaus cognomento Sanctus, ut & nepos ejus ex filia Imp. Carolus, illis obrogare, & suas, Vulasta muliebres, *(ann. præter propter* 628.) Vuenceslaus peregrinas, *(ann.* 1295.) Carolus illiberales, *(ann.* 1348.) populo pro iis tentarent obtrudere, frustra fuerunt, ac non nisi laterem laverunt. Vulasta videlicet suas, in commisso paulo post cum Przemysli copiis prælio cruento, sanguine ipsa suo delevit; Vuenceslaum Regem Optimates acriter propterea increparunt; & Carolus Imp. Codicem suum ipse, cum fratre Marchione, volens nolens *(ann.* 1355.) revocavit. Quod vero Ferdinand. I. *(ann.* 1547.) post bellum Smalcaldicum, & Ferdin. II. *(ann.* 1627.) nec dum regno plene post prælium Albo-Montanum pacato, veteres populi Bojemi leges pro arbitrio interpolarunt, belli jure & armati fecerunt.

III. Legibus porro communi cum principe consensu semel receptis, ut & institutis ac mori prisco tuendis, conservandis, nec ulla privati cujusquam prævaricatione turbandis, custodes sui à veteribus (sicut alibi diximus,[6]) sunt constituti, Viri ex melioribus prudentes, patriæ

[6] *Sup. cap.* 11. §. 5.

patriæ amantes, & vigilantes. Principes etiam ipsi in inauguratione quisque sua, ad seriam earum, sicut observantiam, ita & defensionem accuratam, sacramento pariter & cautione literaria hactenus astringi sunt soliti. Et quamvis (quod ad, privatum jus concernentium legum custodiam attinet,) custodes illi (velut & leges ipsæ,) sint discreti, ac proinde regni Primores saltem in nobilitatis; Majoris vero Pragæ Senatus in municipum atque plebejorum foro usitatarum legum tuendarum ac interpretandarum curam jubeantur gerere: de repub. tamen patria, ac jure ejus publico latas, longo usu jam olim confirmatas leges, tam hi, quam illi consueverunt teneneturque opera mutua propugnare. [7] Semper autem majoribus id curæ fuit, ut leges suas à promulgatione statim, sive volumine, sive codice certo comprehensas, in membranis luculenter describerent, religioseque cum regni monumentis cæteris, in scriniis servarent. Ne vero occultæ haberi viderentur, vel vulgo ignorati possent, temporius eas ad usum multitudinis promiscuæ publicabant, ac in lucem dabant. A recentioribus ordine literarum alphabetico fuerunt distinctæ, provincialeſ-

[7] *Ius terrestre seu provinc.* D. 49.

vincialesque seu terrestres supra quingentas, municipales supra nongentas factæ. Vni autem cuique literæ, huic plures, illi pauciores sunt subjectæ. Sic recognitarum legum Codicem, innovatum ac editum legimus, terrestrium quidem sub Sobieslao Duce, itemque sub Iohanne Rege, manu scriptum: sub Vuladislao II. Ferdinando I. *(ann. 1549.)* & Maximiliano II. *(ann. 1549.)* impressum habemus ipsi. Municipales porro leges primum minerva rudi, (ut fere omnia veterum erant,) sub Crzesomyslo principe *(circa ann. 800.)* scribi cœptas, paulatimque à posteritate grata excultas, ac usu longo confirmatas, indulgentius in Bojemia à Vratislao & Przemyslo-Ottacaro II. Regg. habiti atque multiplicati convenæ Germani, ausi sunt familiari in sua gente juri Magdeburgico posthabere ac repudiare. Adhinniebant ad ipsorum attentata postmodum etiam ex indigenis fastidiosi non pauci, Ita ut tempore aliquanto post Litomierziceis, Nymburgi, Slanæ, Launæ, Vstæ, & toto fere ad Septentriones porrecto regni tractu, usitatarum apud municipes cæteros legum domesticarum, præ jure Magdeburgico modica esset authoritas, & usus propemodum nullus. Ægre sane faciebat legum ista diversitas, & cum mutua

mutua inter se, tum in primis à provinciali sive terrestri jure in plerisque discrepantia, non solum ex Civium Ordine moris patrii prisci retinentioribus quam plurimis; sed etiam prudentioribus ex nobilitate permultis. Credebant namque cum Menandro, esse νόμοις τοῖς ἐγχωρίοις ἕπεσθαι καλόν. Sed quia gangræna ista postea ex Iohannis regis ea de re privilegiis fomitem acciepiebat, conniverdo ferre eam habebant necesse. Vigebant nihilo minus interea ac poliebantur tum aliis in Vrbibus, tum Pragæ cum primis leges patriæ. At quia, prout ætas ac librariorum ingenium erat, confusius ex in dies, plerunque etiam perquam negligenter describebantur, primus eas, quod sciam, ex Pragæ Majoris monumentis, Ludovico regnante, consarcinavit, congestasque in volumen grandiusculum, typis imprimi curavit M. Briccius de Zlitsca. Quæ cum nec ipsæ omnibus tum quoque essent ad gustum, & non nullius momenti in rebus quibusdam, à terrestri jure dissidentes viderentur, murmuri Ordd. in comitiis persæpe caussam dabant, donec tandem methodo nova emendatius distinctiusque descriptæ Regi, primum Maximiliano, *(ann. 1569.)* tandem vero etiam ejus filio Rudolpho, à Civitatibus, *(ann. 1579.)* populi

populi concilio frequenti, fuerunt oblatæ, & ex comitiorum horum decreto, Regisque ipsius approbatione, authoritatem pleniorem adeptæ.

Nec mora, Majoris Pragæ Primatis Iohannis Drazicii procuratione, sunt evulgatæ. Approbarunt evulgatas calculo etiam suo (*ann.* 1580.) nostri, sedentes ad provocationum tribunal Sapientes, & durat earum usus etiamnum inconvulsus. Terrestetes illæ, quæ tam ante, quam nostris adhuc temporibus, ut oracula observabantur, per recens ab Imp. Ferdinando II. promulgatas Constitutiones novas, plane (*ann.* 1627.) ab usu sunt remotæ atque abrogatæ, adeo ut vocandarum sub incudem ac recognoscendarum, quæ datæ jam regno sunt, legum facultas prisca, populo penitus sit erepta.

IV. Et quanquam, post crebras, ante &ab excessu Maximiliani patris sub Rudolpho filio natas, partimque decretis comitialibus sancitas leges, partim pro tribunali de variis controversis casibus, tum à Regibus, tum à Senatu magno latas, & propterea, patrio de more, legis sic vim indeptas decisiones novellas, (*Nálezy Kralowské a Panské.*) Regi pariter & populo è reipub. est visum, ut promulgatus, cum terrestrium ille Maximiliano,

miliano, tum municipalium Rudolpho regnante, uterque promiscuo tum usu publice frequentatus legum Codex, iterum recognosceretur, ac dispunctis quæ heterogenea, quæ discrepantia, quæ non satis succincta in utroque passim occurrunt, in ordinem, quam hactenus exactiorem, redactus, insertisque comitialibus tribunaliumque illis legibus novis, auctior ac enucleatior prodiret: res tamen ea, fato nescio quo prohibente, successum habere nequiit, nisi quod Magdeburgici peregrinique juris cæteri usus omnis, ægre tandem aliquando *(ann. 1610.)* una cum vetusto Scabinorum tribunali Litomierzicensi, penitus est sublatus. Mandabatur interea persæpe ea legum scitius digerendarum cura delectis in Ordd. conventibus ex omni numero Viris sapientibus & juris patrii peritis, nunc pluribus, nunc paucioribus: nonnullorum tamen præpostere sive timidorum, sive religiosorum morositate, in cursu medio sistebatur. Regno nihilominus Matthiæ Imp. propemodum extremo, *(ann. 1615.)* progressus eos res hæc est sortita, ut nisi repentinus ille turbo, ac lacrymabilis totius regni motus *(ann. 1618.)* supervenisset, exitum tandem ex voto habitura dici possit. Inolevit porro mos jam inde ab ipsis legum incunabulis,

lis, ut earum facti ex membrana Codices authentici Pragæ, terrestres principio in fani cujusdam sacrario, postea (nisi quod Cautzimæ ex quadam Boleslai Sævi ordinatione, cui Vrbs ea præ aliis fuit addicta, aliquandiu in novo prætorio condebantur,) in San-Clementina domo prætoria; tandem vero in arcis S. Vuenceslai palatio Vuladislaviano, cum tegni archivis servarentur, [8] municipales in Vrbis Majoris chartophylacio custodirentur. Harum primigenii Codices, in eo quo diximus Pragæ Majoris loco, hodieque superesse scribuntur: [9] illarum vero exemplaria, quæ ante Ferdin. I. tempora fuerunt scripta, repentino illo atque terribili, nec unquam satis deplorando, arcis, & Minoris Superiorisque Vrbis Pragensis incendio (*ann. 1541.*) cum monumentis ac tabulario regni universo sunt absumpta. Quæ cum ita sint, non inepti modo, verum etiam convitiatores manifesti sunt, quæcunque post Iohannem Aubanum, Bojemos Cyclopum more, leges nullas habere, mendum audire cavillantur, ut & ii qui cum magno alias & docto antiquario, sed

[8] *Hagec. ad ann. 876. 959. & 1321.*
[9] *M. Paul. Christian. præfat. dedicatoria in Epitomen jur. munic.*

sed potentiorum fortunæ velificante, Bojemomastyge novo, nugantur, habere illos quidem leges nonnullas, at Slavicas, iniquas, crudeles, ac barbaras. Georgium Beatum, & Petrum Stierbam, viros naris non prorsus obesæ, haud idem cum ipsis sensisse certo est certius; quorum ille terrestres, hic municipales leges nostras ex vernacula Bojemorum lingua fecerunt Germanicas. Ostenderunt ii opera hac sua, tam justas, tam bonas, tam utiles esse gentis hujus leges, ut eas etiam à diversæ linguæ hominibus legi cognoscique, nequaquam infructuosum, nec iis apud quos sunt natæ, pudendum censeri debeat; quæ tametsi magna sui parte in publico silere jam ac situ squalere videantur, privatim tamen necdum penitus ipsæ pro se loqui, ac cavillatoribus, quos memoravi, in os resistere desierunt.

CAP XIII.

De Bojemorum Comitiis.

1. INter salutaria, procurandisque in repub. socialis vitæ commodis media prorsus necessaria, non est postrema comitiorum cura. Etenim cum persæpe in populosa hominum societate, qualis respub. omnis est negotia incidant complura ardua, difficilia, gravia, ea delibera-

tione communi, & consensu populi universi peragi atque expediri est æquum. Libere autem, sed sobrie quoque, dicendi in iis, quæ quis è repub. esse existimat, facultas est membro non temerario cuique danda, & postulata cujusque citra impeditionem audienda, tam ut quod omnes tangit ab omnibus peragatur, & qui in magna sunt potentia, horum comitiorum metu contineantur in ordine, quam ut libertatem populo priscam superesse, illibatamque conservari, hoc modo appareat. Viguit semper vigetque hactenus, in Bojemia hoc quoque jus & comitiorum libertas. Restricta namque in hoc regno, ut diximus, [10] usque adeo est Regum potestas, ut ubicunque de repub. vel arduo reipub. quocunque negotio, est statuendum, in comitiis id, & de populi voluntate, fieri oporteat. Indicendorum porro comitiorum, & populi de profanis rebus ad deliberationes communes convocandi jus, præter Regem vel in Interregno, præter Optimates regno, concessum est nemini. Non tamen novum est, neque bonis Regibus faciebat ægre, cum populus, reipub. necessitate exposcente, vel eos de conventibus agendis interpellabat, vel rebus moram non

[10] *Supr. cap.* 5. §. 9. 10. 11.

non ferentibus, Regibusve peregre absentibus, arbitrio ipse suo conveniebat.

II. At quia ardua hæc, quæ vocavimus, negotia, ita sunt comparata, ut nunc coronę corpus universum spectent, nunc provincias ejus corporis singulas attingant, ea propter ad comitia, nunc membrorum coronæ unitorum universitas omnis, nunc Bojemi soli, convocari commodum in locum, & ad diem certum, publico Regis programmate solent, clausula hac programmati fere adjecta, quod, sive quis veniat, sive non veniat, Rex cum iis qui vocati deliberationi interfuerint, quod æquum & ex reipub. usu futurum videbitur, sit decreturus, & is nihilominus qui comparere neglexerit, decreto obtemperare necesse habiturus. De provincialibus Moravorum, Slesiorum, Lusatorumque comitiis loqui, hoc loco non est locus. Ad Bojemica vero comitia, si universalia sint, excitæ provinciæ concorpores omnes, per legatos solent comparere, & apud majores usitato more, de communibus Coronæ totius negotiis, capita cum Ordinibus Bojemis, alii post alios in concilium honorifice acciti & sententiam rogati, conferre ac consentire; sin particularia, Bojemi Ordines soli rem omnem arbitratu suo expedire. Cogen-

dis porro iis, nullum leges locum certum definiunt: Principis arbitrio is, pro renata, nunc hic, nunc ille; nunc intra fines, nunc ad fines regni; aliquando etiam sub dio, in campo patenti, deligi potest. Pragæ tamen, tanquam in metropoli, eum ut plurimum condici placuit, id quod situs ipsa commoditas rerumque copia suasit. Diversis à Praga locis actos populi conventus celebriores legimus, idque intra regni fines, ad Sadscam pagum sub dio, a Vuladislao Duce, (*ann.* 1110.) Cutnæ à Vuladislao II. (*ann.* 1477. 1485.) Colini seu Coliniæ à Ludovico, (*ann.* 1525.) Budiegoviciis à Ferdinando I. (*ann.* 1529.) & à Matthia, (*ann.* 1614.) Regibus: Zuvicovl præterea, (*ann.* 1318.) Reginæ Hradecii, (*ann.* 1391.) Czaslaviæ, (*ann.* 1421.) Melnici, (*ann.* 1438.) Bojemo-Brodæ, (*ann.* 1444.) Cutnæ, (*ann.* 1471.) ab Optimatibus: à primoribus denique iis qui sub-Vna dicuntur, (*ann.* 1465.) Viridi-Monte; & ab iis qui sub-Vtraque vocantur (*ann.* 1483.) Nymburgi. At vero coacta ad regni fines comitia accipimus fuisse, apud Loctum seu Cubitum (*ann.* 1318.) à Iohanne Rege; apud Hebum seu Oegram (*ann.* 1461.) à Georgio; apud Cladscum (*ann.* 1512.) à Vuladislao II. Hos cæteroqui ad conventus, ubi ubi fuit,

sint, omnes quidem promiscue Rex solet evocare, sed non comparent fere nisi qui sunt locupletes. Poscere videlicet videtur æquitas, ut qui plus possident, quique plus in usus communes & reipub. subsidia conferunt, plus aliis quoque in statuendo de re communi possint, præsertim cum salvam esse rempub. eorundem, quam tenuiorum, magis intersit. Qui cum frequentes conveniunt ad diem, Rex (nisi quod si quando extra regni fines degit, per Legatos rem omnem potest expedire) cum Senatu Bojemo, aulicoque comitatu suo, pompa Regia, præferente districtum gladium aulæ Marescalco, in comitium (vocatur *Saudna Swietnice*) per confertissimam populi turbam, venit ipse. Venienti illi assurgunt universi cum demississima veneratione, qui postea quam, in sublimiore splendidioreque cæteris solio regio, sub uranisco consedit, agit per interpretem ArchiCancellarium lingua Bojemica de præstito mandatis suis obsequio, concioni omni gratias, & mox rem in qua ope populi sui consilioque, sibi sit opus, proponi jubet. Legit de suggestu propositionem ex scripto Regni Vice-notarius, vel Declamator. Qua absoluta consurgens Burggravius Supremus, populi omnis nomine, verba ad Regem reverenter

facit, & precatus illi feliciſſima quæque, quoniam Ordines ex clementiſſima jam publicata Regiæ Majeſtatis ſuæ propoſitione, quæ Regi ac reipub. ſint opus, prolixe cognoverunt, de iis ſe quamprimum diligenter deliberare, ac gratum, quoad maxime fieri poterit, Regi obſequium præſtare velle, reſpondet. His auditis conſurgit Rex, & comitatus ut prius, cum regni Senatoribus, tum aulæ ſuæ familiaribus, in regiam redit.

III. Deducto in Regiam Rege, revertuntur in comitium, regni Senatores, & Burggravius Supremus, (ut qui præcipue comitiis ſolet moderari) excluſis prius omnibus, qui more patrio comitialibus deliberationibus intereſſe vetantur, convertit ad Ordines ſermonem, & vel, ſi diem longius proceſſiſſe ac inclinaſſe videt, commonefactis ut poſtridie tedeant ad horam univerſis, concionem dimittit; vel, ſi per tempus diei commode fieri poſſe cernit, actionem Inchoat. Rogat autem principio ſententiam omnes, & cognoſcit velintne expendendis poſtulatis regiis facere initium, aut habeant nec ne aliquid, quod deliberationem de iis, non temere nec immerito, poſſit remorari? Dicunt ſententiam rogati ordine, Barones quidem & Equites viritim, Civitates vero (niſi quid in-

cidat quamobrem à Baronum vel Equitum sententiis dissentire oporteat) post collata inter se capita, collectim, per Veteris Pragæ Cancellarium. Et quanquam negotia reipub. non nisi post expeditam de postulatis Regiis deliberationem tractati, lex nova jubet, [11] usus tamen, & ante, & post natam legem hanc obtinuit, ut si quid occurrat quod vel tempub. populi universam, vel Ordinem aliquem seorsim contingat, cujusque nec difficultas facile expediri, nec iniquitas diutius ferri queat, anteponatur ejus explicatio propositorum à Rege negotiorum tractationi, Regique supplicetur, ut ante omnia morbo, qui populi omnis judicio, vel reipub. toti, vel Ordini huic aut illi perniciosus est ac gravis, mederi non dedignetur, ita ut eo remoto, tanto posthac alacrius secutiusque proposita negotia Regia, deliberatione matura tractati atque expediri queant. In his omnibus prout Rex facilis est vel difficilis, facilis quoque vel difficilis est expeditio, quæ aliquando non nisi post multas Ordinum cum Rege disceptationes conficitur.

IV. Remotis demum his obstaculis, ac ordinatis populi rebus, legitur denuo

[11] *Comit. Ann.* 1610.

propositio Regia in concilio, ejusque descripta ex prototypo aliquot exempla potioribus inter Ordines distribuuntur. Nec mora longa, descenditur ad capiendum ordine de propositis comitiorum indictorum caussis, regiisque necessitatibus, consilium publicum. Suus autem his quoque consiliis est mos antiquus. Vocantur in deliberationem postulatorum regiorum capita, prout usus est, vel conjunctim si sint pauca, vel singulatim alia post alia si sint plura, vel ardua. Et quia populus hic vivit in libertate æquabili, ita ut onere ullo Ordinem alium ab alio, citra assensum gravari, mos patrius haudquaquam sinat, ideo deliberat de iis suo loco Ordo unusquisque seorsim. Barones omnium primi in conclavi quod, ut diximus, *Saudna Svvietnice* appellatur, Qui cum soli in commune consuluerunt inter se, quodque è re est visum scripto comprehenderunt, de eo Equites cunctos, per delectos Ordinis sui, faciunt certiores, eosque ut & ipsa accurate rem inter se expendant, & in medium consulant, cohortantur. Equites cognita Baronum animi sententia in conclavi quod *Zeleny Pokog* nominamus, frequentes consilium capiunt, & expensis diligenter, cum postulatis regiis, tum ea consequutis Baronum placitis, senten-

sententias invicem similiter conferunt, & complexi scripto communem suam de capite unoquoque voluntatem, in comitium ubi Barones adsunt frequentes, confestim veniunt, communicaturi cum iis quod inter se ut populo tolerabile, nec regi incommodum censuerunt, & colloquuturi plenius de iis, si qua forte restent, quibus indagine majore esse sentiant opus. Excussis tandem ac conciliatis utrinque quæ dissentientia erant omnibus, per selectos ex utroque Ordine suos, confestim ad Pragenses, (consentientis utrinque suæ voluntatis scripto comprehensa formula iis reddita) quod mutuo placet enuntiant, & à Civitatibus quoque, quid & ipsæ fieri velint, sententiam exposcunt. Convocant ergo Pragenses ad diem, qui utilis sequitur, proximum, cunctos Civitatum ad comitia legatos, (solent namque Civitates binos vel ternos, ex corpore unaquæque suo, Viros Consulares tribunitiosve, cum plenis mandatis ad comitia ablegare,) & post maturam cum iis, eorum quæ Rex postulavit, quæque Barones una cum Ordine Equestri pro se facere velint, considerationem, decernunt & ipsi quod majorum more ac consuetudine vetusta ab Ordine suo præstari conveniat. Ab hac deliberatione per delectos Ordinis

sui Supremo Burggravio, paratos se esse ad exponendum, quæ ad proposita respondere velint, significant, id quod etiam, ut primum commodum vident, Magno Ordinis universi Referendario, Cancellario nempe Pragæ veteris perorante, in concilio frequenti faciunt.

V. Collatis in hunc modum Ordinum sententiis voluntatibusque conjunctis, concipitur ac scripto comprehenditur reddendæ Regi responsionis formula. Stylus hic consuevit adhiberi παῤῥησιαςικὸς, ut in iis quæ Rex proponit ὑψηλὸς, ideoque ille popularis, hic regius. Quæ responsio cum facta accurate, jam est in promptu, abeunt in regiam ex comitio Regni Senatores & cum iis ex Ordinibus singulis, hanc videlicet in rem ab Ordinis sui primoribus delecti complures, eamque Regi venerabundi offerunt. Ea Rex accepta, & lectarum quæ respondent, & scripto se posteaquam deliberaverit, quid de iis sentiat, declaraturum recipit. Exspectatur itaq; biduum plerunque vel triduum, dum Rex, ut placeat responsio, declaret. Qui cognitis quæ de postulatis comitialibus facere velint Ordines, scripto (Replicam vocant) quæ placeant, quæ displiceant, complectitur, idque per evocatos ad se Regni Optimates concilio mittit. Legitur,

tur, expenditur, discuritur, ac cum responsione diligenter confertur regia ista replicatio; excussisque momentis rerum omnibus, & collatis denuo in medium sententiis, fit comitiorum decretum, cui in scripturam redigendo deliguntur statim ex Ordine unoquoque prudentiores aliquot, una cum Primicerio. Quod cum conscriptum est, legitur formula coram universis, & rogantur iterum sententiam omnes, ut si quid in ea desiderent, proponant. Audiuntur omnes, formulaque tam diu limatur, quam diu nihil occurrat quod castigatione videatur egere. Hoc peracto, renuntiant Regi Optimates Regni, esse jam factum ab Ordd. comitiorum decretum, orareque Ordd. omnes prece submississima, ut Rex in comitium velit venire, ac decreti publicationi interesse. Re Rex cognita, eodem splendore Regio, eadem pompa, eodem comitatu, quo ad propositionem edendam veniebat, ad hunc actum quoque venit. Qui cum inter lætos populi omnis fremitus regali, pro more, consedit solio, descripta pure ac legibiliter formulæ exemplaria dantur, [12] Regi unum, & Ordinibus alterum, ex tertio vero publicatur patentibus comitii foribus,

[12] *Comit. ann.* 1545.

bus, ex ſuggeſtu à Regni Vice-Scriba factum recens comitiorum decretum, & hoc abſoluto, qui id tabulis Regni, de Regis Ordinumque voluntate jubeant inſeri, ad Archivi cuſtodes, ex nobilitatis Ordine utroque, (quamvis obmurmurantibus quandoque Civitatibus, & in hoc numero ſui quoque Ordinis delectos, more apud majores uſitato, intereſſe debere dictitantibus,) nuntii deſtinantur. Peractis denique hiſce omnibus, & actis concilio, de ſervato Regi honore debito, deque exantlato comitiorum labore moleſto, compoſita voce gratiis, conventum dimittit Burggravius Supremus. Rex vero poſtea quam Regiam clementiam ſuam omnem populo univerſo, brevi quoque alloquio ipſe detulit, conſurgit, & è comitio diſcedens à Regni Senatu, populique primoribus, ac cæteris aulæ familiaribus in Regiam, cum feſta vulgi circumſtantis gratulatione deducitur.

CAP. XIV.

De Muneribus ſeu Officiis publicis in Bojemia.

I. IN ordinanda apud nos repub. neceſſarium quoque cenſuerunt veteres, ut non minus in ſoluto ſacris, quam in ſacro

sacro ejus Statu, munera seu officia publica, quibus magistratum summum adjuvari oporteret, tam majora, quam minora, prudenter essent distributa. Voluerunt autem ea dignitate esse alia aliis potiora honorationaque, quin & sua Ordini cuique propria.[1] Ab indigenis illa, non ab alienigenis geri debere statuerunt. Vulgo ea distinguimus in Superiora & Inferiora. Hæc & illa, vicissim gradibus quoque suis disparantur, & singula præterea, sub se, pro functionis necessitate, introducta usu, & Regis Wenceslai privilegio, vel plura, vel pauciora ministeria diversa habent. Quæ tum in his, tum in illis notatu non indigna animadvertimus, percurrere nunc pro nostra infantia constitutum habemus. Superiora officia illa videmus à Viris generis splendore claris geri, & quædam esse hæreditaria, pleraque vero omnia, ut sic dicamus, dativa. Illa certis nobilium stirpibus jam olim sunt alligata, & non nisi cohonestandæ in solennibus inaugurationibus, curiæque Regiæ diebus bonis, regum majestati inservire videntur: hæc quoties opus est Regis arbitrio, ex accurata regii consilii sententia, viris idoneis virtute rerumque usu spectatissimis conferuntur.

[1] *Comit. ann.* 1526. 1545.

feruntur. Inter hæreditaria in hoc Regno munera sunt Marescallatus, Pincernatus, Dapiferia, Prægustatoria, & si qua sunt alia, quæ ex ea stirpe, cui sunt hæreditaria, natu maximus soler obire. Sunt autem propria, primum stirpi Baronum Lippensi, secundum Wartenbergiæ, tertium Hasenburgiæ, quartum Sezymææ. Præcipuus illis Regi est usus, Marescallatu in gestando gladio, Pincernatu in poculis, Dapiferia Prægustatoriaque in dapibus ministrandis.

II. Dativa porro quæ appellavimus munera seu officia superiora, ut majoris sunt dignitatis, ita tum sacramentis arctioribus alligantur, tum majoris momenti in rebus versantur, & quotidie fere in quibus vigilent exerceanturque, habere possunt. Ea propter quoties contingit, ut vacet ex iis ullum, Regis, patrio de more, est providere, ne longior quam menstrua sit vacatio. Non prius munus majus quisquam, nisi minus susceperit, ac tempore aliquanto obiverit, gerere potest. Semel hoc alicui collatum, non nisi urgentissimis, gravissimisque de caussis aufertur. Ambire tamen ab Rege ullum hoc honoris munus, capitale est, & infamat. Et quoniam, qui iis funguntur, Regi nostro in concernentium totam rempub. negotiorum procuratione
inprimis

inprimis adſunt, quicquid in promovendis, cum populi univerſi, tum membrorum ſingulorum commodis ex officio faciunt, Regis ac reipub. authoritate faciunt. Manus ii à δωροφαγία omni quam continentiſſimas habere jubentur. Sanctus etiam quodammodo eſt ipſorum locus laborque. Vendicat autem pro ſuis jure ſibi ſuo ex his, quædam Regnum ac reſpub. præcipue, quædam vero Rex magiſtratus ſupremus. Prioris generis ſunt inprimis illa, quæ terreſtria vocantur, quæque qui gerunt *Neywyſſij Vržednjcy Zemſſtj*, Optimates, Ephori, & Primores Regni habentur; item ea, quæ juri dicundo, cuſtodiendis reipub. κειμηλίοις, curandæ pecuniæ in uſus publicos collatæ, & tuendæ in diſtrictibus incolarum tranquillitati, ſunt excogitata.

III. Terreſtre munus Supremum eſt Burggraviatus, Curiæ magiſterium ſeu prætorii præfectura, Mareſcallatus, Camerariatus, Prætura, Cancellariatus, quæ nemo niſi Baro poteſt obire; Protonotariatus, & SubCamerariatus, quæ Equeſtri ferè Ordini lege jubentur dari. Ex his primo, ſecundo, quarto, & ſeptimo, addixit vetuſtas, proventibus opima prædia nonnulla, & agrum haud contemnendum.

BVRG-

BURGGRAVIATUS Pragensis Supremus, tenendo fere opera vicaria sive absentis, sive morte sublati Regis loco, prohibendis repentinis hostium in regnum irruptionibus, tranquillitatisque publicæ turbationibus, coercendis juris contumacibus prævaricatoribusque; [2] cognoscendis regundorum finium, vel natis ex literarum obligatione controversiis, est ordinatus. Exercitus terrestris præfectura, secundum Regem suprema, de jure ei competit semper. [3] Dependent ab hoc munere supremo, tum Burggravius arcis Pragensis, quem Minotem vocant, cum suo consilio & consilii ministris quibusque; tum *Holomcy*, h. e. lictores, sive Accensi omnes. [4]

CURIAE vero sive palatii ARCHIMAGISTERIUM dirigendo regio, quod Camerale dicitur, judicio, ornandis pro dignitate regiis cœnaculis habitationibusque, moderandis pompis publicis, suscipiendis hospitibus illustribus & legatis externis, continendo in ordine ac disciplina aulico Regis comitatu administrisque mensæ regiæ, quæque id genus

---

[2] *Ius provinc. A.1.36.37. D.49.O.15. & 22.* [3] *Comit. 1615.* [4] *Victorin. de Vussehrd lib. 2.*

genus in Regia sunt opus cætera, occupari solet. [5]

ARCHIMARESCALLATUS terrestris, licet sit, ut diximus, munus hæreditarium, tantæ tamen est dignitatis, ut, qui illum obit, inter regni Ephoros connumeretur, & honore locoque, secundus à Supremo-Curiæ-Magistro esse amet. [6] Vocati in jus ab actore, regis quicunque ministri & aulæ familiares homines τάνεσιοι & peregrini, tenentur se ejus cognitioni sistere caussamque dicere, & jus in hoc foro accipere. Condecoratur hoc munus à fecialibus sive caduceatoribus, qui ei apparere ac præsto esse jubentur.

ARCHICAMERARIATUS præest sartæ tectæque conservandæ Regg. majestati, & in regni tabulario motibus introducto ordini bono, ac decoro; apparitoribus ad arcessendos in jus reos, remque judicatam exsequutioni mandandam legitime dimittendis, possessionibus litigatoris condemnati, peræquatione pro rata, (*Odhad* nostri vocant) ei qui in caussa est superior, addicendis. In aditu ad Regem, iis, qui opus habent, procurando, illius est interventio. Ab

[5] *Ius provinc.* O. 3. 9. 11. [6] *Ius provinc.* 36. 37.

supremo hoc munere dependet, mutuamque ei in regni tabulario, quod olim in prætorio San-Clementino fuit, (locus est adverso ædis D. Virgini in Lacu sacræ, in Majori Praga,) jam in arce regia est, operamque præstat Vice-Camerarius, *γεωδαίτης* sive Decempedator, *Starosta Komorniczj*, h. e. Apparitorum Magister, & *Komornicy*, h. e. Apparitores vel Pedelli terræ duodecim.

Iam vero ARCHIPRAETVRA in moderando regni tribunalis judicio supremo, rogandis concludendisque in consilio collegarum sententiis, eloquendis quæ ad partes litigantes pro tribunali opus est dici, nuncupandis ad enuntianda S. C. Senatoribus, (Senatus-Consulta *Potazowe* dicuntur, semperque jubentur Barones ex Senatu duo, & Eques unus, ad ea promulganda consurgere) & cæteris, quæ prætoriæ sunt dignitatis, pro more expediundis versatur. Muneri huic esse presto antiquitas jussit, Vice-Iudicem & Declamatorem, qui *VVolawcj* à veteribus vocabatur.

ARCHICANCELLARIATVS constitutus est conscribendis, signandis, subscribendis Regiis diplomatibus, edictis, mandatis, epistolis; accipiendis legendisque quæ ad Regem scribuntur; verbis plerunque nomine regio faciendis & responsis dandis,

dandis, cavendo ne quid à Rege contra jus reipub. rescribatur, edicatur, decernatur; custodiendo sanctiori illi, quo publica monumenta & res quævis magnæ signantur, regis signo. Hoc igitur qui fungitur munere, os fere Regis est & oculus, μέγας λογοθέτης, qui aulam sectari semper & circum Regem esse debet. Permagna itaque est ejus ad Regem pariter & populum authoritas. Venit cum eo in sollicitudinis partem Pro-Cancellarius, quo cum ille, Consistorii regii ac sanctioris consilii secretariis, actuariis, libellariis, & quibusvis ministeriis moderatur.

PROTO-NOTARIATVS sive Primiceriatum quis vocare velit occupatur in scriniorum & tabularum Regni sigillique terrestris, fideli ac secretiore custodia, tam publicis quam privatis actis, contractibus quibusvis nominatis & innominatis, rebusque omnis generis memorabilibus, scripto comprehendendis, atque suo loco vel in minores vel in majores tabulas referendis, itemque cohibendis tabularii ministrorum populo onerosis exorsionibus. Temporibus priscis Viro ille doctrinâ quam genere clariori mandabatur. [7] Sub illo sunt

[7] *Andreas Baro de Dubra, M. S.*

dicto audientes, Vice-Notarius, sigilli justitiæ custos, Ingrossatores major minorque, & tabelliones cæteri omnes seu Scribæ. Vice-Notarii porro custodiæ commendatum justitiæ, quod diximus, sigillum, etsi *Peczet Zemska* (Sigillum terrestre) vocatur, diversum tamen ab eo sigillo est, quod, ut regni insigne, religiosa Protonotariatus cura servatur. Etenim, præterquam quod usus ejus in sola justitiæ administratione est, repræsentat id, non Leonem, sed adolescentis specie sculptum gentis quondam principem S. Vuenceslaum. Est imago loricam induta, gestans in capite galeam semicirculo redimitam, & in manibus, dextera quidem fasciolam super sedentis in sede viri caput, ad instar soleæ sinuatam; sinistra vero vexillum (id quod, utpote lancea in ulnam innitens, amplectitur,) & clypeum triquetrum, qui cono suo deorsum propendens Aquilam alas expandentem ostentat. Legitur porro scriptum, in semicirculo qui galeæ principis incumbit, S. WENCEZLAVS; in fasciola: CITAT AD IVDICIVM, & in sigilli peripheria inter parallelos circulos; ✠ S. IVSTICIE TOCIVS TERRE SCI WENCEZLAI DVCIS BOEM.

SVBCAMERARIATVS datus est Civitati-

Civitatibus in consiliis Regis secretioribus, adversus potentiores defendendis, Baronum Equitumve contra eas querimoniis controversiisque cognoscendis, & absque fori strepitu, quoad fieri potest, arbitrario jure componendis, mulctis civibus ob enormia delicta irrogatis ab civitatis Senatu exigendis, & magistratibus annuis in urbibus regiis, pro uniuscujusque urbis consuetudine innovandis. Et quamvis munus hoc vendicet sibi Ordo Equester, liberum tamen Regi jura relinquunt, si velit aliquem ex Civibus Pragæ Majoris idoneum ei præficere. Sic à Sigismundo Imp. (*ann. 1436.*) Iohannes Cunwaldius, à Wladislao Rege (*ann. 1471.*) Samuel de Hradecco Walleczovius, eo fungi olim sit jussus. Quod ut in usum revocaretur & frequentaretur, nunquam Vrbes regiæ desinebant optare. Nam quia experientia temporum superiorum manifeste ostendit, quamvis Civium quoque Ordo pars apud nos sit reipub. & nemo tamen ex hoc Ordine in consilium regium allegebatur, abusos persæpe loci ac muneris eminentia ex nobilitate non paucos, ad regem civitatibus, non solum parum æquos fuisse, sed &, (dissimulante rem SubCamerario, qui ex Equitibus ut plurimum erat,) non nunquam vehementer

incommodasse, ea propter credebant cum æquitatem ipsam, tum suam in primis salutem necessario deposceta, ut in sacratiore hoc consistorio, in quo Rex plerunque non de nobilitatis tantum, sed de universæ reipub. rebus consilium solet capere, vel unum hunc ex suo Ordine habeant, qui deliberationibus publicis pariter cum nobilitate interesse, & ad Regem libere, quod, & quoties opus esset, de Civitatum caussis querelisve referre ipse posset. Subest muneri huic vicarius, quem vocant, SubCamerariatus præfectus, & Curiæ Civitatum Prætor aulicus, Scribaque Cameralis.

IV. Atque hæc sunt optimatum seu primorum Regni dignitatis honoratissimæ munera. Κειμηλίοις porro reipub. hoc est Regalibus ornamentis ac privilegiis gentis custodiendis, institutus est BVRGGRAVIATVS CAROLOSTEINENSIS. Funguntur hoc officio semper nobilitatis vetustæ Viri duo, Baro unus, & alter Eques, qui arctissimo sicut Regi Regnoque, ita mutuo ipsi inter se, devincti sacramento, non alibi quam intra regni fines esse perpetuo, domiciliumque habere tenentur. Hi quamvis pariter obstringuntur ambo ad providendum ne quid Arx Carolosteina, vel quæ in ea sunt recondita, detrimenti capiant

piant, emolumenta tamen ac fructus ex ejus ditione tota, (dotata videlicet est atx hæc magnifice vicis & agro multo, cum à Carolo fundatore primo, tum in primis à Wilelmo Dubio de Trzebomyslicz) non nisi ab uno, tantisperdum de vita vel functione decedat, percipi ex asse lex jubet. Ususfructuario collegæ præmortuo succedit demum, nemine interturbante, collega superstes, & similiter, ut decessor, quoad vivit, reditibus illis, solus fruitur. Si qua alterutrius vel utriusque culpa contingat arcem hosti in manum venire, vel damnum aliquod reipub. noxium accipere, convictus de culpa, sive alteruter sive uterque capitis famæque & bonorum amissione pœnas luit. [8] Cognoscendis vero litibus tam civilibus quam criminalibus, jurique dicundo sedet pro tribunali statis diebus, tum Major tum Minor REGNI-SENATUS, [9] de quo plenius dicendi alius se non ita multo post offeret locus. [10] Pecuniam reipub. collatitiam procurant lecti semper in comitiis ex Ordinibus singulis Triumviri, Vulgus eos *Neywyssj Bernjky* vocat. Hi ex decretis

[8] *Ius provinc. A.* 45. *B.* 8. 9. 15. 19.
[9] *Ius provinc. A.* 35. *L.*60. [10] *Inst. cap.* 16.

in Ordd. conventu contributionibus, collectam ab omni populo pecuniam, ita ut comitiis frequentibus convenit, dispensant. Incolarum autem publicæ securitati in territoriis districtibusque conservandæ, institutæ sunt PROVINCIALES PRAEFECTURAE. Singulis eas annis renovati ab Rege leges volunt, & binis ex locupletioribus in unoquoque districtu incolis demandari, Baroni nempe uni, & Equiti alteri, id quod sub Majum fere mensem fieri quotannis consuetudo est. Muneris hujus est usus, [11] in præcavendis periculosis viciniæ malis quibusque fortuitis, in describendis necessariis defensioni plebejorum hominum telis ac armis, exercendo in armorum usu, habendaque in procinctu, opportuna adversus hostium repentinas irruptiones, selectorum ex omni numero vicinorum juventute armata, increpandis otio torpentibus [12], in relaxandis immerito conjectis in vincula tenuioribus, abrumpendis, in repræsentando opificibus opidanis hostimento vel operarum pretio familiaribus nobilitati tergiversationibus, in prohibenda denique vi privata hominum petulcorum omni.

Inprimis

[11] *Hagecus in ann.* 1442. [12] *Comit. ann.* 1547.

Imprimis vero, secundum Burggravium Supremum, pervigili cura ei est incumbendum, ut comprehendantur Errones suspecti & grassatores, sistanturque cujusvis generis populationes ac latrocinia. Et certe, sicubi fuerit, sive ab incendiariis, sive vastatoribus quibuscunque, facta in regnum irruptio, vel vis à latronibus cuipiam illata, ita ut spolietur, saucietur, capiatur, trucidetur, tum ad primam, passi injuriam aut alterius spectatoris vocem, vel conclamatione, vel æris Campani pulsu, signum dari leges [13] jubent. Quo audito, renentur gravissima sub pœna, vicinia omnis, præsertim loci dominus, quin & quisque obvius, arreptis armis accurrere, opem ferre, vim vi opponere, conjectos denique in fugam prædones, tantisper dum comprehendantur, persequi. Sin in arce aliqua, castello, opido, receptum ii habuerint, nec dediti absque mora fuerint, locus à persequentibus cingitur, & res omnis ad provinciæ præfectos enuntiatur. Moniti illi, festinanter provinciales armant, & dum Rex ipse, vel Burggravius Supremus, quid porro fieri conveniat, ex Consistorii sanctioris consilio decernat, in loci obsidione hærent. Hujus quoque

 olim

[13] *Regni Constitutt. L. 16. 18. 25.*

olim fuerat muneris, conventus cum provincialibus pro re nata agitare, & necessariis districtui suo de rebus consultationes habere: Sed posteriores Reges facultatem hoc genus ipsis eripuerunt.

V. Hæc igitur, de quibus hactenus disseruimus, sunt quæ terrestria vocantur, & Regno toti vendicantur Munera Superiora: Rex similiter sua habet varia, dignitatis neutiquam spernendæ munera. Vtitur autem iis jure majestatis suo, in rebus partim seriis, partim oblectabilibus. Seriis rebus occupantur, quæ desudant in justitiæ administratione, in fisci Regii, & quæ ab eo dependent, procuratione, in feudorum, quæ ultra Bojemum limitem sunt, moderatione, inque ordinaria domus & corporis regii custodia. Expeditius porro obeundis muneribus his fere singulis adjuncta etiam est numerosa secretariorum, actuariorum, scribarum, viatorum, ministeriorumque cæterorum turba. Administrandæ justitiæ Rex consiliarios sibi arbitratu suo legit, per eosque definitis lege diebus, controversa nunc Curialia, nunc Cameralia negotia quævis, juris via cognoscit ac decidit. Præsident autem tribunali consilii hujus regio, directores duo diversi, quos ambos vocamus Supremos: in Curialibus quidem IVDEX

CVRIAE,

CVRIAE, in Cameralibus vero CVRIAE vel PALATII MAGISTER. Fisci Regii, *Statkuvv Stolnjch y komornjch*, sive patrimonii agrique Regii procurationi, PRAEFECTVRA ÆRARIA, seu ut cum vulgo loquar, CONSILIVM CAMERAE est ordinatum; cui qui præsidet Baro PRAESIDENS CAMERAE appellatur, habetque ex Equestri Ordine adjunctos collegas ut plurimum quinque. Horum dicto sunt audientes Fiscalis, quem Regis Procuratorem vocant, ærarii QVAESTOR, LOGISTESque, & ditionum patrimonialium Præfecti omnes, Libripens, passimque in limite & urbibus, vestigalibus exigendis constituti exactores. Fisci procurationi affinis quoque est METALLICORVM-MAGISTERIVM supremum. Commendare hoc munus Rex per leges potest, [14] tam ex Civibus quam ex Nobilitate, Viro bono quem rei peritum, & obeundæ functioni idoneum judicarit. Visitare autem is, prout opus est, tenetur auri & argenti fodinas toto regno omnes, in eaque quæ istic geruntur diligenter inquirere, & quicquid præter ordinem juraque fodinaria agi, vel à fundi domino, vel ab officinarum metallicarum hominibus peccari

[14] *Regni Constitutt. A.* 47.

peccari cognorit, emendare; compellatus, ab iis quorum interest, de redimendo à fossoribus auri argentive emolumento, mature id facere, &c, ut verbo dicam, omnia quæ promovendæ rei metallariæ opportuna senserit, accurate prospicere. In ejus curæ partem cum eo venit regius monetæ Explorator, qui tum quæ in rem viderit, eum monete, tum ne numus publicus depravetur, operam debet dare.[25] Iam vero quia multas in Germania, ideoque ultra Regni sui fines, Rex Bojemus habet clientelas, feuda & beneficia, quæ jam olim coronæ & Regibus Bojemis sunt obnoxia, iis in officio continendis, ac tuendæ apud clientes, qui ea possident, Regum & Reipub. Bojemæ majestati, instituta est,[26] quam vocant, Germanicorum FEVDORVM PRAEFECTVRA, qua Baronemne an Equitem fungi oporteat, lis est nondum plane decisa. Meminimus nos certe Baroni munus hoc, non Equiti, hactenus fuisse collatum. Quia vero circa bona quæ reipublicæ proprietas sunt, versantur hujus muneris curæ, ne quid reipublicæ in fraudem à quoquam hîc possit innovari, Archi-Cancellario regni, pro

25 *Inst. cap.* 18. §. 4. 26 *Convent. an.* 1595. 1601.

pro more, similiter incumbit inspectio. Regiæ porro domus, hoc est ARCIS PRAGENSIS, ut & CORPORIS REGII CUSTODIENDI PRAEFECTURA, probatissima fide Equestris Ordinis viris semper solita est demandari, quorum ille arcis præsidiariis, hic Regis stipatoribus cum imperio præest. Verum quia à rebus seriis respirare nonnunquam & animi recreationi tempus largiri amant Reges, oblectabilibus etiam rebus procurandis, officia quædam deputarunt. Equos siquidem generosos agitare, ferasque venatu fatigare, Magnates plerique omnes ponunt hac tempestate, in prima oblectatione; cui rei, & hominibus & instrumento multo est opus. Omnibus his scienter accurandis, habet Bojemus Rex Equitii seu STABULI, & VENATIONIS MAGISTERIUM. Quæ quod Equorum, venatusque cura, cum succenturiatis omnibus occupentur, suis ipsa nominibus aperte ostendunt.

VI. Et vero plura adhuc variaque cubiculariorum, obsonatorum, dapiferorum, pocillatorum, astynomorum, & cæterorum officia in Regis aula familiaria esse non ignoramus, quia tamen singulare nec protritum fere nihil secum trahunt, ab iis percensendis supersedere,

quam

quam minutis id genus, Lectores obtundere malumus, & ad explicanda quæ in repub. nostra pro Officiis Inferioribus, habentur, transimus. Sunt autem illa præcipue continendæ in disciplina plebis promiscuæ multitudini, vitandis popularibus turbis, & plantandæ etiam inter vulgus obscurum, concordiæ inventa. Solent illa quotannis exquisitis prius ex loci cujusque incolis delectorum, & ideo sacramento fere peculiari alligatorum suffragiis, à magistratu superiore opidatim vicatimque viris famæ integræ & intelligentibus conferri. Magistratus autem ille superior, qui ea confert in liberis Vrbibus, & in regii patrimonii opidis, est Rex, (hic enim, rarius quidem per se ipse, usitatius vero per suos cum authoritate ad id pro more deputatos, hîc ea solet distribuere,) in cæteris loci cujusque dominus. Nam quia experientia ipsa docebat, nullum etiam minimum vicum, nedum civitatem, stare diu absque incommodo posse, nisi habeat cujus consiliis authoritateque gubernetur, eapropter, sui cuique vico, cuique opido, cuique Vrbi præfecti sunt antesignani, ac boni communis curatores. De iis quorum modica est potestas, & ob hominum infrequentiam rarior functionis usus, vulgoque nota tenuitas, verba

verba multa facere, res esset nihili; ea duntaxat munera, seu officia, quæ in opidis Vrbibusque populosioribus publice ac perpetuo obtinent, & quorum non vulgaris est authoritas atque jurisdictio libet compendio commemorare. Munus igitur præcipuum in Vrbibus municipiisque est, quod SENATUM CIVITATIS vocamus, Consilium nempe in Majore Novaque Praga OctodecimVirale, in cæteris Vrbibus & opidis DuodecimVirale, itemque PRAETVRA. Senatus hic sive consilium, armatum est tam majore, quam minore, in criminalibus pariter & civilibus caussis, jurisdictione. Allegi in hoc consilium per leges nemo potest, qui non prius triennium post jus civitatis acquisitum, in civium numero transegerit, oneribus communitatis assueverit, intereaque consuetudines patrias familiariter condidicerit. Et quamvis, tam in capiundis, quam in obeundis his muneribus, singulare aliquid inde à tempore, cujus non est memoria, locus fere unusquisque ex consuetudine inveterata observet, in jure tamen dicundo, ubique est pro norma jus patrium municipale, quod Praga matrix amplectitur, quodque propter usum in municipiis communem *Prawo Miestske* dicitur. In Senatu hoc Vrbico, primus quidem absque

que controversia ordine est, qui commodata nobis à Latinis voce *Prymas & Hospodarz, Miesta* salutatur, quique in consilio, omnium primus sententiam solet rogari, & à multitudine omni, præ aliis honorari; decernendis tamen, quoties actor instat, reorum in jus citationibus, cogendo Senatui, tractandis ordine negotiis, dirigendis consiliis, rogandis concludendisque sententiis, nominando ex collegis, ac (quod coram eo, cujus res agitur, solet fieri,) ad dicendum invitando Senatusconsultorum promulgatori, clavium & sigilli publici custodiæ, moderatur Consul sive Civium magister. Menstruum autem saltem est apud nos quemadmodum apud Athenienses Prytaneia olim fuit, Consulare hoc officium, quo in orbem defungi intra vertentem annum alii post alios ordine solent, singuli duodecimViralis consilii illius Senatores. Vsus magister, ut olim, ita & nuper, docuit nostros homines, unam exæquandæ libertatis rationem esse, vicissitudinem imperitandi, [17] diuturnioremque hujus generis in civitatibus magistratus administrationem, sive semestrem, sive annuam; non perinde in nostra repub. ut in aliis, esse civibus acconi-

[17] *Livius lib.* 3.

accommodam. Et ideo non facile fit, ut qui funguntur hoc magistratu, in legem Iuliam, vel peculatus, vel residuorum, vel repetundarum, magnopere possint aut ausint delinquere. Est autem tanto splendidior hujus functionis ac Senatus civici dignitas, quanto Vrbs alia præ alia privilegiis immunitatibusque est ornatior, amplior, populosior. Ac propterea quod quædam, præsertim regiæ, Vrbes, tam sunt populo abundantes, ut cognoscendis in tempore expediendisve cunctis communitatis omnis & incolarum singulorum negotiis, Consules haudquaquam possint esse pares, magno illi Senatui, subordinatus est Pragæ Decem-Viratus, alicubi Octo-Viratus, alicubi vero Sex-Viratus. Asserendæ porro à concussionibus promiscuæ civium multitudini, constituti sunt seniores populi, quasi Tribuni plebis, hic plures, ibi pauciores, qui si quando Senatus muneris fiducia in communitatis fraudem velit quicquam tentare, intercedant, eumque ad saniora commoneant, vel, si emendare abnuat, ad Subcamerarium regni, aut ad Regem ipsum deferant. Cæterum PRAETVRA est alterum inter civica officia munus publicum, quod cognoscendis dirimendisque controversiis minoribus, cohibendæ cuivis plebejorum

protetviæ, comprehendendis & in vincula compingendis male feriatis, & mandandis exequutioni consilii Majoris placitis, est institutum. Gerendo autem utrique huic muneri civico, necessario serviunt publica quoque ministeria diversa; Consulatui astynomi, quæstores, ædiles, notarii, actuarii, scribæ, viatores; Præturæ, latrunculator, Commentariensis, statores, lictores, & si qui alii sunt id genus accensi.

VII. Præter communia hæc urbibus, municipiis, opidis quibusvis munia, inter singularia referri, & neutiquam silentio præteriri est dignum Oenopta munus, quod metallicorum opidorum quadam, ni fallor, imitatione, Pragæ (*ann.* 1358.) instituit Imp. Cæs. Carolus IV. & collium vitiferorum cultoribus jus reddere jussit. Vocatur munus hoc, voce non nostra, *Vržad Pergmistrsky*. Conferendo gerendoque huic muneri latas à Carolo Leges, illustravit atque auxit Wladislaus Rex. *ann.* 1497. Collium Magister hic præcipua est inter Seniores populi existimationis, & in coacta civitatis universitate, multitudinis omnis nomine, verba ad Senatum aut ad quos opus est, solet facere. Hic ex Majoris Pragæ Civibus, ab ejusdem urbis Senatu olim, nunc ob Novæ urbis cum Majori

Majori intempestiva jurgia, ab Regio fisci consilio legi, eique consiliarii muneris collegæ octo, terni videlicet ex Veteri, terni ex Nova, & bini ex minore Praga, Senatus quique sui arbitrio, adjungi consueverunt. Institutum autem est munus hoc, cum cognoscendis coortis ob vinea litibus sicut diximus, tum curando, ne serendis apta vitibus loca, suis careant cultoribus, describendis, metiendis, ab omnique venatu tutis præstandis, quotquot ubicunque circa urbem coluntur, collibus, puniendis deprehensis pendentium adhuc fructuum furibus, statuendo præterea, quod sub hedera vænum quis dare velit, vini cujusvis pretio, solvendæque operariis diurnæ mercedis modo; providendo necubi pendulum vinum vel vappa per imposturam væneat, &c, ut dicamus compendio omnia, procurando, decernendo, faciendo, quicquid culturæ isti vineariæ viderit futurum ex usu. Circum urbem quaqua versum libera omnino est ejus jurisdictio. Cæterum quia melior fere munerum istorum pars, in publica justitiæ administratione exercetur, ac propterea, quum iis respub. nostra non possit carere, plenius, quę mox habemus dicere, declarabunt, supervacaneum est in iis diutius hîc immorari ac hærere.

CAP. XV.

De Consilio seu Consistorio Regio.

I. Differentes in superioribus,[1] partim de politico apud Bojemos regimine, partim de muneribus publicis terrestribus, diximus Regem nostrum non solere absque regni Optimatibus, Consilioque suo, de repub. ac gravioribus reipub. negotiis, quicquam statuere. De privatorum petitionibus quotidianis, querelisve quibusvis, quas absque judicii strepitu expediri est æquum, cognoscere sane potest ille solus, jubereque vel vetare arbitratu suo; pleraque tamen omnes illas, ad idem suum Consistorium similiter rejicit, deque amplissimi Consilii sententia, in iis quoque, quod placuit, rescribit. Poscit igitur ipsa rerum series, ut de Regio illo Consistorio, seu Consilio sanctiore, verba quoque faciamus. Est autem id Bojemis unicum, & à vulgo nostrate, non aliter quam CANCELLARIA REGNI vocatur. Rex quidem, ne contra ipsum disputetur, abstinet fere ipse à publico hoc Consilio, more Hebræorum regibus olim usitato, nec deliberationibus, nisi rarissime, solet interesse;

[1] *Supr. cap.* 5. §. 11. *& cap.* 13. §. 2.

esse; quæ tamen res, quo tempore, sint tractandæ, expendendæque, ArchiCancellario, de more, dat in mandatis. Archi-Cancellarius igitur Regis nomine, quæ consulto opus sunt, in Consilio proponit, sententias rogat, & actioni toti ordine patrio moderatur. Postea vero quam sententiam rogati dixerunt omnes, reversus ad Regem vel solus, vel cum uno atque altero ex Optimatibus, rem ei exponit omnem, & quid fieri is velit, jubeatque, mandata accipit: quæ in Senatu tandem explicata, quià Secretis est Actuarius, in acta diligenter refert. Datur in hoc Consilorio locus non solum Optimatibus, hoc est, iis qui terrestribus officiis supremis funguntur, (quales sunt Burggravius Pragensis, Curiæ-Magister supremus, Archi-Camerarius, seu Magnus regni Admissionalis, Archi-Dicastes, Scriba regni Supremus, & Sub-Camerarius) sed & Senatoribus Regni indifferenter omnibus, qui tam vocati à Rege, quam non vocati, in Consilium, quoties libet, possunt venire, in commune consulere, interfari, & quæ è re publica esse censuerint, admonere. Pro-Cancellarius præterea & Secretarius intersunt necessario deliberationibus omnibus.

II. Quoniam vero negotia, quæ hic

tractantur, non omnia æque sunt ardua, ea de caussa receptum jam olim usu est, ut Consilii hujus Senatus, pro re nata, alius alio cogatur frequentior, & propter eam Senatorum frequentiam, vel infrequentiam, aliud hic Augustius, aliud Angustius concilium dici queat. In augustiore concilio illo, deliberationes de reipub. statu, deque Regis ac populi universi necessitatibus ac salute, instituuntur; quandoque etiam exemplo olim nocitura, & explicatu difficilia, incolarum singulorum negotia, attinguntur ac disceptantur. Advocat autem, quoties opus est, augustum hoc Consilium Rex ipse, excitis ad diem Senatoribus, cum iis qui Pragæ per tempus sunt præsto, tum selectioribus cæteris, qui hinc inde per districtus administrandis privatis suis atque domesticis rebus intenti, domi quisque suæ tempus rusticando terunt; imo, si casus id deposcat, aliquando etiam aliis ex privatorum numero, viris rerum peritis. Advocant similiter Consilium hoc magnum ac augustum, regni Optimates, sed non nisi tum, cum de Regis assensu, comitiis regni calatis, ejus cogendi illis copia est facta. Adsunt autem concilio sic coacto, inter Optimates, non modo Senatores regni omnes, regiique consiliarii, verum & descripti plerumque comitio-

comitiorum decreto, ex privatis, nunc plures, nunc pauciores, delegati. Agitur in eo ac consultatur, iis duntaxat de rebus, de quibus, exclusi tempore Ordines universi, in comitiis decernere non potuerunt, & de quibus statuendi potestatem huic concilio, verbis disertis fecerunt, Ferdinando, Maximiliano, Rudolphoque regnantibus, concilium hoc legimus fuisse coactum aliquoties, [2] de publica patriæ defensione, exciendoque ad bellum viritim populo omni, de recognoscendis ac regundis regni finibus, de relaxandis redimendisque sitis ultra limitem, oppignoratis Coronæ latifundiis, de viis recens à finitimis manifesto accolarum incommodo in regnum apertis, emporioque salis insusitato; de monetæ cudendæ valore & legibus, de collatitia pecunia ex reipub. usu prudenter dispensanda, de fœderibus hæreditariis cum principibus vicinis majorum exemplo renovandis, deque id genus rebus aliis.

III. In angustiore porro Regii Consistorii concilio, neque tanta requiritur Senatus frequentia, neque de universæ reipub. Statu consilia capiuntur. Singu-

[2] *Comit. an.* 1545. 1557. 1569. 1575. 1585. 1586. 1596. 1604. 1610.

lorum hîc, vel, ut plurimum, paucorum, pauperum pariter & opulentorum, postulata querimoniæve, vulgariores ac quotidianæ, expenduntur, & quidem duntaxat eæ, quas decidi absque fori strepitu æquitas ipsa, atque ii, quorum interest, ferant. Prodeunt ex hujus loci sanctiore concilio, privilegia quævis, & concessiones regiæ, investiuntur hîc, tam de nobilibus quam ignobilibus feudis, Regum Coronæque vasalli ac clientes quique; legati ad Reges exteros, principesve ac provincias dimittendi, mandatis instruuntur; proscripti, vel aliis de caussis Regis aulam judicumve tribunalia adire prohibiti, fide publica muniuntur; Regis nuncii speciales, (vocantur vulgo Relatores) de citatis ad diem causæque cognitionem extraordinariam sive in provinciale sive in Regium judicium partibus controvertentibus, in impatientibus moræ negotiis; de inserendis rotulandisque variis (modo ne sint de regni patrimonio) ab Rege factis contractibus; de datis pupillo tutoribus vel ætatis venia, de testibus producendis; deque rebus similibus, ad tabularii custodes amandantur; eduntur denique hîc Regia interdicta, Edicta, Decreta, Rescripta, cujusvis generis, quæ ut de plenitudine potestatis regiæ in Bojemia
edi-

edi esset fas, Regum majestati à populo legibusque priscis, jam olim est permissum, usuque longo receptum.

IV. Expediebantur autem Regii hujus Consilii negotia, quicquid Bojemis, Moravis, Slesis, Lusatisve Rex mandabat, olim quidem non nisi lingua populi Bojemi vernacula; vel Latina populorum omnium communi, quoties cum exteris agendum constituendumque quippiam erat: provinciales etiam ipsi Slesi ac Lusati, Slavica populari, quoad maxime fieri potuit ad Bojemam dialectum conformata lingua, res suas in hoc Consistorio proponebant, &, quod plus est, legatos suos, scriptis Bojemice mandatis instruebant. [3] Stetit his moribus institutisque, & floruit, pacatum longissimo tempore ex ὁμογλώττοις nationibus diversis coagmentatum olim regni nostri corpus. Avorum vero memoria, postea quam Slesi, Lusatique indigenæ cum hominibus peregre advenientibus commixti, peregrina, quam sua, lingua loqui maluerunt, contemptui apud eos cœpit sermo ille avitus haberi, Wasser-Polacismusque vocari, ac Germanicus pro eo, in sacris pariter & profanis locis,

[3] *Legat. Slesica an.* 1547. *item Ordd. Opolienf.& Ratiborienf.anno* 1536.

frequentari. Hinc nata postea quoque est, Linguæ Bojemotum nostræ valde perniciosa, in sacratiore hoc Regis nostri consistorio, Expeditionis, quam Germanicam vocant, institutio. Ideoque allegabatur eam in rem ab Regni ArchiCancellario Secretarius Germanicus, qui, quod illa lingua esset expediundum, curaret. Sed non constitit hic, nec eo contenta diu fuit hostium nostræ linguæ arrogantia. Extremis namque Rudol. II. & omnibus fere Matthiæ Regum temporibus, (*an. 1610. 1614. 1615. 1619.*) ProCancellarium Germanum prætextibus variis tentarunt Consilio huic obtrudere Slesiæ Lusatiæque incolæ. Optato tamen successu hactenus novatio ista caruit.

Iam ergo quæcunque ab hujus loci Senatu conclusa regis calculo comprobantur, iis, si Bojemos Moravosve contingant, Bojemice; sin Slesos, Lusatos, Cladscanos, Hebanos, Cubitensesve, Germanice in scripturam redigendis, formularii sunt ordinati, qui simul ac vel ArchiCancellarius, vel ProCancellarius, vel Secretarius injunxit, ea in forma materiæ convenienti describant. Valet autem ac fit authentica, tum demum hæc scriptura, cum, non modo ab Rege, verum etiam ab ArchiCancellario, Pro-

Cancella-

Cancellario, & Secretario propria manu est subscripta. Necesse præterea est, ut, si in forma Privilegii fuerit vel diplomatis de plena testamenti condendi potestate, aut arduo negotio quopiam alio, Regis sigillo majore seu sanctiore; sin protritis ac minutioribus de rebus cæteris, minore seu vulgatiore, signetur ac muniatur. Verbis porro mandatisque regiis sua ubique constat authoritas semper, fidesque ab omnibus habetur & honor maximus, usque adeo, ut si quis vel morem iis detrectet gerere, vel in aliquo ausit derogare, impune id neutiquam sit laturus. Constare illa sibi ipsa quoque perpetuo, nec alterari, retractari, aut revocari, nisi urgentissimis de caussis ac exacta cum accuratione, vel solent vel possunt, ita ut (similiter quemadmodum Regium apud Medos Persasque jus fuit) ob immotam eorum firmitudinem, veteres, non secus ac de oraculis proverbio locum dederint, *Kralovvska Slovva negdau na Zpatek*, hoc est, *Regis verba nescire regressum*. Vtinam nihil hoc ævo sit, quamobrem diversum quis merito possit sentire! Ipse denique Regii consistorii illius locus, cum ob Regis ipsius majestatem, tum ob rerum, quæ in eo tractantur, magnitudinem, multitudinem, & dignitatem, sacer quodammodo est,

est, & asyli alicujus instar omnibus perquam venerabilis. Veteri autem instituto is ubicunque Regis aula est, usitatissime vero Pragæ, ut in metropoli, in arce Sancti-Wenceslai regia solet designari, nec transfertur alio, nisi cum Regis aula, & sonticis de causis, quales sunt grassans maligna contagione pestis, & hostis bello imminentis justus metus. Liberum cuivis est, etiam tenuissimo cuique, in hoc consistorio rem suam ac animi desiderium libelli forma proponere, opemque Regis implorare. Rex quoque nisi officii atque juramenti neglecti velit accusari, concilii hujus, sicut usum intermittere, ita dignitatem imminuere, prisco more prohibetur. Eapropter quemadmodum Matthiæ Corvino, contra Georgium Wladislaumque pro Rege se Bojemorum gerenti, Bojemicæ hujus generis Cancellariæ usus accuratus ac diligens, commendabilis olim apud Proceres Bojemos etiam post mortem; ita ejusdem vel ad breviculum tempus intermissio Wladislao Regi legitimo (*ann.* 1511.) probrosa fuit, nec absque obmurmuratione ab Ordd. dissimulari diu potuit. Intolerabile similiter majoribus videbatur, si quando Rex Bojemus aliunde quam ex Cancellaria Bojemica mandata Regia de re quacunque dabat,
vel

vel potestatem Regiam extra Regni limitem exercebat. Possunt curiosis esse exemplo mandata, cum Iohannis Regis Lucenburgica, tum Sigismundi, Wladislaique Budensia, quæ authoritatis modicæ apud populum fore, ejus temporis Optimates palam sunt protestati. Optimatum tamen ævi recentioris conniventia, discessum in plerisque est ab illa moris prisci observantia, exceptaque legibus novis sunt perquam pauca, de quibus Rex ex potestate Regia nisi intra Regni fines statuere vetatur. Quæ cum ita sint, nemo tam iudis poterit rerum esse æstimator, qui majorum nostrorum hac in re prudentiam non sentiat, quamque Consistorii hujus bene ordinata administratio, cum Regi ipsi sit gloriosa, tum incolarum multitudini omni fructuosa, videre non queat.

CAP. XVI.

De tribunalibus juri dicundo in Bojemia constitutis.

I. PLus quam semel dictum à nobis est [4] in hoc opusculo, Bojemos habere suos peculiares inde à majoribus acceptos

[4] *Supr. cap.* 3. §. 13. *& cap.* 8. §. 3. *& cap.* 11. §. 5.

acceptos mores, instituta, jura, & leges, quibus tum à suis principibus ut homines liberi, non ut servi', moderate regi, tum, ut vaga prorsus, ac infrænis videri possit libertas ista, absque obluctatione parere accurate assueverunt. Res enim ipsa visa illis est loqui, perinde ut corpora nostra sine mente, sic civitatem sine Lege, neutiquam vim aliquid prudenter agendi, nedum nervis suis ac sanguine membrisque cæteris probe utendi, habere posse. Quoniam vero lingua pariter & natura à Germanorum moribus institutisque erant alieni, ideo nec forum, nec leges, nec jura cum illis voluerunt habere communia. Domi itaque sibi ipsi paulatim, accommoda gentis genio, ex longi temporis ac usus disciplina, consensu populi omnis, sanxerunt jura ac leges. Quæ sane ante Przemysli principatum nullis literis comprehensæ, solo usu discebantur, &, quia perpaucæ erant, à judicibus memoria haud difficulter capi poterant. Emergentes temporis progressu casus varii, & homines usu multo tandem facti eruditiores, genuerunt ex legibus illis paucis alias novas, numero haud paulo plures, easque in literas retulerunt: quibus bono publico emendandis, illustrandis, explicandis, multiplicandis, ut prior, ita nec nostra hæc posterior ætas,

viam

viam sibi claudi, vel segnis ac imperita videri voluit. Idem videlicet quod patribus licuit, filiis licere quoque existimabat. Libertas hæc patriis moribus subnixa, nec Wladislao Regi displicuit olim, qui Ordines Bojemos, quia liberi sint, in leges suas, quod publice placuit, referendi, quod displicuit, antiquandi, habere semper potestatem, alicubi [5] est judicio maturo testatus. At quia inutiles alioquin nec vim ullam habituræ suissent hæ leges, nisi ministros illis & interpretes datos, ac erecta juri cum authoritate reddendo tribunalia intelligerent revererenturque homines pravis affectibus suis, quam legibus, obsequentiores, ea propter occursum malo isti in Bojemia est prudenter, magistratusque & judicia unicuique negotio sua, religioso videlicet religiosa, profano profana, sunt constituta.

II. De religiosis, quæ opus videbantur, diximus jam ante. [6] Profana seu politica, similirer ut munera publica, distinguimus vulgo in superiora & inferiora. Superiora vocamus, coram quibus inprimis nobilitas: inferiora, coram quibus Cives plebsque promiscua convenitur.

Vtraque

---

[5] *Wladisl. Reg. Decision. ann* 1502. §. 5. [6] *Supr. cap.* 6. §. 15. 17. 18.

Vtraque ex jure gentis patrio, illa quidem provinciali; hæc vero municipali de caussis judicant; utraque moribus priscis approbatum ordinem processumque servant; utraque habentur apud omnes perquam venerabilia; utraque sunt vel ordinaria vel extraordinaria, dignitateque & authoritate alia aliis eminentiora. Sermonis alius præterquam Bojemici usus, legibus in iis penitus est vetitus.[7] Testibus qui generis splendore antestant, vel alioquin suis familiæ insignibus gaudent, in caussis in quibus non de capite, fama, hæreditate, agitur, arbitrarium per leges est,[8] (quod tamen, Austria fortasse & Bavaria exceptis, alibi nec valet, nec usum habet ullum,) utrobique testimonium, post denunciationem, vel ore tenus, vel in scriptis perhibere, dum modo quisque scripturam testimonii, non solum chirographo subscriptam claudat & sigillo proprio suo vel familiæ obsignet, verum etiam per solennem scripturæ adjectam clausulam, nimirum, quæ sic deponit, integra ab se fide, nec ullo animæ periculo deponi, verbis disertis

7 *Constitutt. regni*, B. 32. *Ius Municip.* B. 8. 8 *Constitutt. regni*, X. 26. *Ius Municip.* B. 49. 50. *Andr. Gail Observ. pract.* 101. *num.* 14. *lib.* 1.

disertis restificetur. Quia enim experientia longa explorata est Bojemorum, præsertim nobiliorum, certa in dictis factisque fides, ideo nihil hic visum est esse, quamobrem vel fraus, vel subornatio, vel perjurium metueretur. Latæ in judiciis hisce sententiæ, præsertim cum in rem judicatam transiit, obluctari impune nemo potest; alioquin exsequutorialia decernenrur statim, & contumax, prout meruit, vel mulctabitur, vel vinculis, aut, si casus id deposcat, manu militari coërcebitur. Rex etiam ipse, perinde ut alius quivis, tenetur in rebus controversis eorum cognitioni ac decretis stare. Quo tamen in casu, ut conveniens dignitati decus honestasque observetur, in jus, tum vocare, tum vocari, Rex nonnisi per Procuratorem suum, vetustissimo ex more consuevit. Exercendis judiciis superioribus judices, non nisi ex nobilitate, Inferioribus, non nisi ex civibus maxime idonei quique, & famæ integrioris viri alleguntur. Cavetur tamen utplurimum, ne in subselliis iisdem sedeat collega, vel filius patris, vel frater fratris. Locum in concilio tenent suo quisque ordine, illi ex ætatis familiæque prærogativa, hi ex coryphæorum classis suæ assignatione. Vti omnes vestitu decoro, & incessu

 viris

viris digno jubentur. 9 Superiorum res judicatæ ac decisiones, ratæ sunt & validæ absque provocatione omni: ab inferiorum sententia provocare, exceptis facinorosis nemo prohibetur. Cursus porro illorum, neque à Rege, neque ab ejus ministris impediri, nec homo quisquam, quo minus jus suum via legitima persequi audeat, absterreri mandatis ullis debet. 10 Interruptus nihilo secius fuit cursus hic & conticuerunt leges pleræque omnes, ab Wenceslai Regis excessu totos octodecim, post Sigismundum è vivis sublatum, totos quatuordecim plus minus annos, verum iniquitas temporum illorum, non incolarum truculentia, ordinem hunc tunc conturbavit ac pervertit. Instauratus tamen is fuit, cum ab Imp. Sigismundo, (*ann.* 1437.) tum à Ladislao Regg. (*ann.* 1454.) simulac respirasse à turbis aliquantulum respub. est visa. Sunt porro magistratus isti ac judicum subsellia, quæ dici superiora diximus, proprie quædam Regia, quædam popularia seu terrestria, ideoque capiunt jurisdictionem, hæc quidem à populo, illa vero à Rege. Occurrentibus caussis difficilibus, quæque altioris sunt indaginis

9 *Comit. an.* 1615. 10 *Comit. an.* 1575. *Hagec. an.* 1250.

indaginis & intricatæ, habent ad Magnum Regni Senatum, præsides cæterorum tribunalium omnes, in definiendis dubiis recursum, ex ejusque responsis, sententiam liti decidendæ ferunt. Regia judicia, pars ex Baronibus constant, pars ex Equitibus, eorumque numerus Regis arbitrio, major esse potest, vel minor; terrestrium, ut qui legibus est definitus, non potest. Certæ quoque sunt ac definitæ caussæ, quas ab his vel illis cognosci majores voluerunt. Consulta utrorumque per consurgentes concilii collegas, Barones (ubi ex legis ordinatione ii interfunt,) duos, Equitemque unum promulgari mos est; strictissimaque est ac perquam diligens hujus moris observatio.

III. Quoniam vero caussas tam horum quam illorum cognitioni attributas, compertum est natura sua à qualitatibus, ut plurimum, alias ab aliis distare, neque Rex, neque populus, tribunalia iis disceptandis erecta, indistincta relinquere diu potuit. Discrevit igitur ea quoque, post maturam disquisitionem, cum Rex, tum populus opportune. Vnde Regium judicium duplex in hoc Regno habemus, prætorium nempe, sive, ut vulgus loquitur, Camerale, *Saud Komornj*, & Curiale seu clientelare,

Sand Dvvorfky. Neutrum alibi, præter quam in Conclavi quod Viride vocatur, poteſt legitime peragi. [11] Onus functionis in utroque obeundæ, ab Rege demandatum defugere, nemini eſt integrum, nec niſi poſt exantlatos hujus loci labores annuos, renuntiare honeſte muneri per leges collega quiſquam poteſt. Etſi vero Regi cooptare pro arbitrio in hoc concilium licet judices ex nobilitate nunc plures, nunc pauciores; attamen pauciores quam Barones octo, plures quam Equeſtres quatuor eſſe, & de lite, quæcunque ea ſit, niſi concilio frequenti & decem, ad minimum, collegarum præſentium ſuffragiis, pronunciare vetantur. prætorio ſeu Camerali judicio ſingulis annis definitum legibus eſt tempus certum, quater nempe anno unoquoque per continuos dies quatuordecim, primum ad ſextum Calend. Februar. ſecundum poſtridie Miſericordias, ſic vocati, diei Dominici, tertium ad ſeptimum Calend. Septemb. & quartum ad Eidus Novembr. Moderatur illi in omnibus, magnus prætorii ſive palatii Magiſter. Diſceptantur in illo actiones, de calumnia ſive injuria verbali non contumelioſa, ex ſtipulatu pro dote repetenda, pro mutuo, de mal-cta;

[11] *Comit. ann.* 1575.

cta, ei qui testimonium perhibere recusavit, aut ei per quem factum est quo minus quis judicio sistatur, irroganda, de revocandis impetratis in aliorum fraudem privilegiis vel vacantium bonorum ecclesiasticorum largitionibus, vi bonorum raptorum, vi quavis privata, & si qua sunt similia. Consumptis porro in hujus generis litium cognitione quatuordecim diebus illis, octiduum aliud superadditur, quo permotus supplicum precibus Rex, in caussis moram non ferentibus, jus iis extra ordinem reddi jussit. Rex similiter ipse non raro litigantes, ex conjunctis regno provinciis, huic se judicio jubet sistere caussamque dicere. [12] Ubi de disputatis ultro citroque in genus controversiis, nomine & anthoritate regia pronuntiari tandem consuevit, ac decerni. Haud absimiliter Curiale seu clientelare Regis judicium certa itidem, quibus peragatur, habet constituta tempora, quæ unoquoque anno duntaxat sunt utiles dies quatuor, utilis nempe quisque ante quatuordecim illos, qui habendo judicio Camerali sunt solennes, proximus. Caussas in eo nullas mos est agitari alias, præterquam de quibus, alias in locis coram Paribus cu-

[12] *Comit. ann.* 1575.

riæ experiri mos est, & quæ clientes regios, bonaque vacantia, ac controversias feudales attingunt. Præsidet huic tribunali, resque ejus moderatur Iudex curiæ Regiæ supremus, in cujus custodia sunt tabulæ, quas aulicas seu Curiales vocant, feudorum intra regni fines sitorum descriptiones, investituræ monumentaque, & acta publica id genus omnia. Nostra adhuc memoria similibus in causis locus simili judicio fuit in Tachovo arce, sed antiquavit id de Ordd. assensu Rudolphus Rex. [13]

IV. Regiis hisce judiciis æquipollent, vel in nonnullis fortasse quodammodo antecellunt terrestria, quæ vocant, sive Regni dicasteria (plerique non propria voce provincialia appellant,) à quibus nobilitas veterum Bojemorum omnis, non tantum ipsa sibi, nemine excepto, sed & principi, supremo magistratui suo, in maximis æque ac minutioribus negotiis quibusque, quæ absque fori strepitu compositionem respuerent, jus dici voluit, quæque potestate tanta atque authoritate armavit, ut nemo è regni incolis ei se per contumaciam eximere queat. Exemplo sunt Comites Slicchii, qui cum forum hoc declinare obstinatius olim (ann.

[13] *Comit. ann.* 1608.

(*ann.* 1505.) pergerent, bello se difficili, incommodisque gravibus involverunt. Primum inter illa est tribunal judiciorum Burggraviatus *Saud Purkrabsky*, quod & ipsum est geminum; prius Burggraviatus Pragensis supremi, posterius Burggraviatus in provincia Hradecensi. Sedent in hoc perinde ac in illo secundum concilii omnis moderatorem Burggravium, συμβουλεύται ex Equestri ordine ut minimum sex, cognoscuntque de quibusvis propositis in judicio, & ad formulam jure præscriptam conceptis literarum contractibus, deque revocandis ex eorum contractuum genere natis satisfactionibus, de factis sub pœna voluntaria tabulisque hujus judicii insertis obligationibus, de confusis ac illegitimis arrestationibus, de compellendo post rem judicatam creditore ad rationes de nominibus cum debitore conferendas, deque cautionibus post solutionem factam dispungendis. In provincia Hradecensi, vel potius urbis dotalis primariæ arce ipsa regia, exexerunt jam olim majores, in reginarum (ni fallor,) maritis Regibus superstitum, dotalitiisque hisce pro aula utentium, nec in Reges successores semper bene animatarum, sive gratiam, sive honorem, provincialibus incolis forum peculiare, in quo per-

sequi jus suum actor adversus reum jubebatur. Temporis tandem progressu, factum est tribunal hoc ex tumultuario temporarioque ordinarium & perpetuum. Cognoscitur autem in eo, ex jure necdum plane descripto, [14] sed partim terrestri, partim consuetudinario, cum de caussis paulo ante memoratis, tum etiam de factis provincialium contractibus, ex obligatione sive verbali sive chirographaria, ex stipulatu pro dote vel mutuo repetendo, de refundendis in litem expensis, tum de condictione ex delicto vis privatæ cujusvis, itemque non redditi post denuntiationem fugitivi, [15] aliisque nonnullis.

Optantur porro Iudices in hujus loci collegia, Pragæ quidé à Burggravio Pragensi supremo, (à quo similiter&ipse cōsilii præses arcis Pragensis Burggravius, qui minor cognominatur, legi solet) Hradecii vero ex Reginæ usufructuariæ calculo per Regem ipsum. Iudicio huic neutri, contra quam in aliis observatur, tempus certum legibus est præfixum. Burggravii, utpote Præsidis, arbitratu id, quoties & quamdiu est opus frequentatur. Affine huic judicio Burggraviatus Pragensis,

[14] *Comit. an.* 1600. [15] *Registr. Burggraviatus Hradec.*

Pragensis, est judicium finium regundorum, *Saud mezny*, quod vetus equidem sed ambulatorium est, & ordinarium ex extraordinario demum ab Imp. Cæs. Rudolpho Rege (*ann.* 1600.) factum, pauloque post (*ann.* 1601.) ab Ordd. universis in publicis regni comitiis comprobatum, Regitur illud repetitis ex vetustissimo usu, similiterque nuper demum in ordinem à Iacobo Menssico redactis legibus singularibus, rigidiusculis sane illis & severioribus. Ei exercendo quoties opus est, & per anni tempus licet, [16] Magnus Regni Senatus ab eo cujus fines per vicinum turbantur interpellatus, Burggravium arcis Pragensis delegat, qui junctis sibi duobus ejusdem subsellii consiliariis, excitisque præterea ad diem, ex vicina Ordinis utriusque nobilitate viris idoneis duodecim, de finibus controversis præsens pro more cognoscat, terminosque vel veteres restituat, vel si illi non appareant, novos statuat. Cognitio in tentorio, quod in actoris agro finibus controversis proximo tendi lex jubet, haberi de lite solet.

V. Tribunal Iudiciorum terrestrium alterum est quod Minus, *Saud Zemsky menssj*, vocatur. Vocatur autem minus,

Ii 5 cum

[16] *Com. an.* 1585.

cum quod de minoris momenti caussis cognoscit, tum quia Senatui Magno præsto, & inprimis Optimatum Regni jussis audiens esse tenetur. Sedent in illo *Vrzednicy Desk Zemskych* omnes ex vetustæ nobilitatis Equestribus, loco primo arcis Pragensis Burggravius, secundo Vice-Camerarius, tertio Pro-Prætor, seu Vice-Iudex, qui consiliis tribunalis hujus & actionibus omnibus moderatur, quarto Vice-Scriba, quinto Reginæ-Mandatarius, sexto Succamerarii-legatus. Adhibetur etiam consiliis, tabularum Regni minorum Scriba, qui propterea Scriba judicii minoris solet audire, verum is locum habet in cathedra, non in subselliis: notat conscribitque quæ aguntur pro tribunali, sententiam non dicit. Inauctorantur autem ii, & ad munus hoc admoventur, itemque exauctorantur, ex Senatus magni sententia abRegni Optimatibus singulis singuli, Burggravius nempe, sicut diximus, à Burggravio Pragensi supremo, Vice-Camerarius ab ArchiCamerario seu Admissionali magno, Proprætor ab ArchiDicaste, Vice-Scriba à Proto notario, eodemque modo à cæteris cæteri. Frequentes quidem illi in regni tabulario officii caussa utilibus quibusque diebus esse, & occurrentia quotidie fere varia inter-

interventorum negotia promovere expedireque pro more tenentur; quia tamen multiplices quoque caussæ veniunt hoc judicio disceptandæ, anniversariis illorum sessionibus locum in Regnidicasterio, à parte Regii solii sinistra, non à dextra, lex designavit, diesque juri dicundo solennes, temporibus certis distinxit. Cognitioni actionum quibus ageretur de debito ex alio quam literarum contractu, quodque centum sexagenas Pragenses non excedit, vel de exhibendis tabulis, fidei commissis, servis mercenariisve fugitivis, de familia herciscunda, tutelæ administratione, emancipationibus usurpatis, venationibus vetitis, cæterisque rei vel pœnæ persequutoriis, lex, inquam, his omnibus dedit post Invocavit vulgo vocatum diem Dominicum, Martis, Mercurii, Iovisque; item post Pentecosten, Mercurii, & Iovis dies proximos, ut & pridie Calend. Octobr. Quoniam vero in jus quoque vocatur plerumque reus, ut actori, alius sane intra trimestre, alius intra mensem, alius intra diem quartum decimum se sistat, prætereaque multorum actiones exceptionibus exclusæ, quin & probationes permultas ad caussas producendæ, à tribunali majore huc remittuntur, vacare horum omnium cogni-
tioni

tioni jubentur. [17] hujus subsellii judices ex cujusque anni die septimo Ianuar. ad vigesimum, & ex die Iunii trigesimo ad Iulii tertium decimum. Examinandis porro post sententiam, quacunque in caussa, & quocunque sive regio, sive terrestri judicio latam, factis in litem expensis, statuendoque de iis parti victrici à parte victa refundendis modo, tabularum regni procurationi, [18] & aliis cum primis multis, quæ consuetudine magis quam legibus nituntur, perficiendis, descripti sunt dies Mercurii post octavas Paschatis proximus, Iulii quartus decimus, Novemb. septimus, & Ianuarii primus & vicesimus.

VI. Tertium terrestrium judiciorum Tribunal, & quidem amplitudine ac dignitate omnium princeps, est Iudicium quod Majus vocatur. Vulgo *Saud Zemsky vvietsij*. Sedent in illo, Rex in solio Regio tiabeatus, vel, (si quis est) regni gubernator, & ad alterutrius pedes, aut quoties neque Rex, neque gubernator interest, in ipso solio, gerens majestatis insigne virgam, Burggravius regni supremus, cincti ab latere utroque Optimatibus & magno Regoi Senatu. Constabat autem

[17] *Comit. ann.* 1596. [18] *Hagecus in ann.* 1321.

autem magnus hic Senatus olim ex Baronibus tantum, ut qui soli in Regno essent patriæ patres & primores. Sed cum post Alberti Regis fata, simultates propterea ex invidia inter Barones Equitesque accensæ, flagrare non desinerent, quarum acerbitate rempub. jam tum plures quam quindecim annos concuti doluerunt boni cives, iis sopiendis primus Georgius Rex Equites aliquot, quorum Ordo antehac pro patria arma ferre jubebatur, in ordinem hunc allegisse, & Wladislaus postea, ut perpetuo octo allegerentur, lege nova [19] diplomateque (*ann.* 1487.) cavisse legitur. Pro tribunali igitur in magno hoc ArchiDicasterii Senatu, ab eo tempore solent sedere ad latus Regis sinistrum ex Regni Optimatibus, Admissionalis Magnus, seu ArchiCamerarius, & ArchiDicastes, qui Ordinis hujus loci est princeps, & actionum omnium arbiter. Assident illis, pars solio Regio dextri, pars sinistri, per Regem ex amplissimi concilii sententia in locum hunc cooptati, & idiotismo nostrate à senectute dicti *Kmeté* seu *Kmetowé*, h. e. regni Senatores & συμβουλευταί; præter Palatii Magnum Magistrum, ArchiCancellarium, Curiæ Iudicem supremum

[19] *Ius provinc. A.* 35.

premum & Burggravium Carolosteinensem, qui ex Optimatibus regni sunt, & locum, more ob dignitatem muneris quisque sui jam fere consueto, habere à Rege jubentur in hoc Senatu, Barones octo; itemque præter regni SubCamerarium, Carolosteinensemque alterum & Hradecensem Burggravios, Equestres viri quinque, ætate omnes & gravitate spectatissimi. Regni Mareschallus, Rege præsente, cum ense districto stat propter solium, absente proximus à magno palatii Magistro locum ad latus dextrum capit. Archigrammateus cum tabulis sedet in cathedra. Sessionibus in hoc judicio habendis, caussisque via juris disceptandis, dies stati, iique ter unoquoque anno, sunt constituti, primum à die Veneris post Invocavit, sic vocatum diem Dominicum, proximo, per dies quatuordecim continuos, secundum à proximo post Pentecosten similiter Veneris die, per dies totidem, tertium à Calendis ipsis usque ad pridie Eidus Octobr. Post dies illos dari lex jussit semper pupillis viduisque dies quatuor proximos in quibus solæ illorum caussæ, ut quas nefas esset protelare, disceptentur ac cognoscantur. Vendicant autem leges tribunali huic soli cognitionem, de nobilis cujusque capite, fama, & fortu-
nis

nis hæreditatibusque; de injuriis contumeliæ atrocis, termino moto, violentia quovis modo exorbitante, obligationibus hypothecatiis, purgationibus à crimine, per supplicio ultimo affectos objecto; &, quod palmarium est, absolutam cognitionem de quodvis genus litibus à cæterorum judicum tribunalibus, sive ob Regis iter longinquum & à Regno absentiam, sive propter nodos difficulter solubiles, huc remissis & indecisis. Senatus hujus ἀμεταστρεπτοῦ consultum, de caussa quavis publica privatave semel factum, resque judicatæ omnes, neque sub incudem revocari, neque in concilio Regis privato vel alio, ullo modo tettactari per leges possunt.[1]

VII. Restar adhuc ut post usitata hæc atque ordinaria regni judicia superiora, de extraordinario, quod unum est, & à cujus fere usu jam in plerisque est recessum, verba breviter faciamus. Vocatur id, quia à provinciarum præfectis est peragendum, *Saud kragskych Heytmanůvv.* Veterum nostrorum vulgo *Saud Cžudnj*, h. e. judicium territoriale vocabatur. Sessitabant enim in eo olim cum præfecto, præcipui aliquot ex cujusque Czudæ, i. e. territorii nobilitate Sapientes. Nunc

[1] *Comit. an.* 1575.

Nunc jam Duumvirale saltem est, & authoritate multo, quam olim tenuius. Neque locum illi ordinarium nec tempus certum, placuit designari. Convenitur eo vocatus in jus, in alterutrius provincialis præfecti domo, patsque, quæ in caussa cecidit, quoties gravatam se ejus sententia arbitratur, [2] habet querelæ in Regio Cameræ judicio instituendæ potestatem, quod re plenius examinata, prout æquum videbitur, statuet. Subjiciuntur huic judicio, controversiæ non adeo multæ, quales sunt ob conjectum inique in vincula, neque petenti domino relaxatum, itemque ob quovis modo receptum fugitivum hominem, legibus irrogatæ mulctæ persequutio; [3] ob non exhibitum convictum de vetitis in agro Regio agitatis venationibus, colonum rusticanum edita adversus dominum actio; ob negatum opificibus urbanis operæpretium, vel mercenariis hostimentum condictio; exortæ propter mineralium fodinas ob denegata post oblatum pretium justum apta ædificando ligna, inter fundi dominum fossoresque offensæ; &c, si qua sunt similia, quæ coram provinciæ cujusque præfecti disce-

[2] *Ius provinc. R.* 16. [3] *Ius provinc. R.* 14. *T.* 2. *X.* 13. *W.* 4.

disceptari, diserta legum verba jubent.

VIII. Loquuti ergo hactenus de judicum tribunalibus superioribus, loquamur sub hujus loci finem, oratione breviter repetita, de inferioribus, seu (utamur hoc patrum verbo) de civitatensibus. Erigi illa cœperunt Mnatæ principis ævo, [4] posteaque sensim cum civitatibus creverunt, & sicut olim dicebant, ita nunc quoque ordinis sui hominibus, ac plebi promiscuæ, quin & nobilitati quandoque, in casibus certis, jus dicunt. Vocantur autem in hoc judicium, descriptoque legibus, & recepto ordine disceptantur ac deciduntur caussæ sine discrimine quævis, cum civiles tum criminales, editur ab actore actio, decernuntur ab judice processus necessarii, citatur ad tribunal adversarius, libellus producitur, litis fit contestatio; probationes à litigantibus caussæque merita allegantur, disputantur, concluduntur, ultimoque tandem judicium lata ab judice sententia finitur. Tractantur autem hæc judicia; Ordinaria quidem, passim in singulis Regni Urbibus, opidis, municipiis. Consul videlicet cum Senatu suo, itemque cæteri (qui Consulari collegio alicubi subordinantur,) subsellio-

Kk tum

[4] *Hagec. ad. an. 791. 836.*

rum minorum judices, in senaculo, consecrato nempe habendo senatui loco, tenentur frequentes, prout populosa est civitas, & loci fert consuetudo, vel semel in unaquaque hebdomade, vel alternis diebus, & quotidie adesse, & justitiæ petentibus administrandæ vacare. Ea vero quæ sunt extraordinaria in actoris, ut plurimum, peraguntur domicilio vel agro. De ordinariis, (præterquam de montensi, & mangonario, quod aliis scientioribus explicandum relinquo) egimus jam ante loco alio; [f] extraordinaria quædam etiam in usu quamvis rariore, in usu tamen esse observamus, qualia sunt *Saud hraniczny*, seu judicium corrogatum; & *Saud Mlynarzsky*, judicium ripense. Iudicium corrogatum, ex eo vocamus, quod actor, cum adversario quem in potestate habet ob caussam delicti jure experturus, judices ex diversis tribunalibus ad cognitionem privatim in domo sua instituendam corrogare consuevit. Qui de caussa cognituri, non capiunt in sessionibus loca concivis post concivem, sed pro cujusque tribunalis, a quo mittuntur, dignitate, singuli alternatim alius post alium, & vicissim singuli, cum notario jurato, considere, senten-

[f] *Supra cap. 13. §. 6.*

sententiamque rogati, dicere ex more solent. Et quamvis juri magis est consentaneum, ut coram ordinario tribunalis proximi judice, jus suum actor ille persequatur, si tamen caussas, quamobrem secus fieri oporteat, idoneas judicibus rogatis demonstraverit, judicesque juris reddendi caussa ad ejus domum convenerint, accurate est danda opera, ut & in disceptando cognoscendoque processus legitimi serventur, [6] & quæ ab utraque parte pro caussa fuerint vel dicta vel producta, ordine describantur, legantur, expendantur, definiantur, custodiantur.

Ius ripensе cognomentum ex eo sortitur, quod in eo de fluminum eluvionibus, alluvionibus, molendinis, pontibus, aquæductibus, derivationibus, sepimentis, immissuris, operibusque aquaticis cæteris, in finitimorum injuriam factis, cognosci statuique consuetudo est. Adhibentur huic judicio adstricti sacramento speciali, molitores Pragenses, & de caussis id genus, ex opificii, quod tractant, disciplina, experientia, consuetudinario jure suo, & majorum judicatis, in loco ubi innovatum quod est, quod æquum videtur, pronuntiant. Sententia

 nihilo-

[6] *Ius civit. A. 43.*

nihilominus judiciorum cujusvis generis inferiorum lata de caussa non criminali, non transit in rem judicatam nisi litigantes ei vel verbis expressis, vel duorum & quadraginta dierum silentio acquiescant.

IX. Quoniam vero experientia docuit judices horum locorum in definiendo nonnunquam per imprudentiam labi, ac propterea partem controvertentium, vel utramque vel alterutram eorum sententia gravari, ideo jam olim introducta consuetudine est, à judicio uno ad aliud provocatio. Fuit itaque apud majores nos, ut ex civitatibus regni plerisque omnibus, à domesticorum judicum sententia ad tribunal Senatus Pragæ Majoris appelletur, paucæ tantummodo civitates, ut Litomierzicex, Launa, Slana, Nymburgum, Ostia cis-Albina, cum opidis vicinis, ad tribunal Scabinorum Magdeburgensium appellabant. Post clademdemum, quam belli Smalcaldici occasione Bojemia accepit, Ferdinandus Rex, ut Pragensium sive authoritati obrogaret, sive quemadmodum ajebat, fastum nimium retunderet, Appellationum tribunal *(ann.* 1548.) in Regia arce sua Pragensi, primus excitavit, ad quod non modo, ut antehac ad Senatum Pragensem, ex civitatibus illis plerisque, sed excun-

ex cunctis etiam unitis coronę Bojemicæ provinciis provocationes fierent. Collocavit in eo judices tres ex Baronum, tres ex Equestrium ordine, quatuor ex juris doctoribus, & quatuor ex Veteris Novæque Pragæ civibus. Est hactenus in usu Ferdinandea isthæc sanctio, & sedent pro tribunali id genus provocationibus cognoscendis constituti judices, qui impugnatas à provocantibus sententias ad juris normam examinant, ac vel confirmant judicio suo, vel reformant. Provocare prohibenti, vel provocando judicibus convitium facienti, quinquaginta aureorum mulcta est constituta. Valet autem Ferdinandei hujus tribunalis judicium & ratum est ubique, prætérquam in iis caussis, quibus de capite, fama, vel hæreditate agitur, in quibus ab hoc quoque tribunali permissa cuique est supplicationis provocatoriæ Regi offerendæ, deque judicii vel iniquitate vel nullitate modeste querendi licentia. Cui supplicationi cum delatum ab Rege est, remittitur ea cum caussæ actis omnibus, ad tribunal Regii judicii Camerale, ibique tandem post examen accuratum, decisione ultima finitur, exsequutioni à primo litis cognitore quam primum mandanda. Sola ripensium judicum sententia cum iniqua parti

damnatæ est visa, ad Minoris judicii terrestris subsellia rejicitur. Evidentius igitur est quam ut possit negari, Bojemiæ Regnum, sicut optimis legibus est institutum, ita esse judiciorum cum æquitate, tum ordine accurato inprimis commendabile.

CAP. XVII.

De Opulentia & Potentia Regni Bojemiæ.

Bojemiæ Regnum, si Regnis cæteris in regionum, provinciarum, ideoque terrarum amplitudine conferatur, modicum sane & terminis angustis conclusum est. Negare id neque possumus, neque volumus. Attamen propter regionis præstantiam, agri fertilitatem, rerumque omnium abundantiam mirificam, in angustia loci haec tanta, tanta est cum incolarum multitudo, tum opum vitiumque vis, ut longe lateque regnantibus populis, quorum potentia modum supergressa, mole plerumque ruit sua, admiratione multo quam contemptu fuerit semper visa dignior. Eapropter ante hominum memoriam omnem, maluerunt vicinæ gentes, amicos semper quam hostes habere Reges nostros, cum Bojemisque officiis potius quam armis certare. Rei huic argumento sunt percussa olim
complu-

compluriesque innovata nobiscum præter Gallos (*an.* 1355. 1356. 1380. 1395. 1464.) ab Vngaris, (*an.* 1251. 1335. 1353. 1620.) Polonis (*an.* 1335. 1458. 1589.) Bavaris, (1509.) Saxonibus, (*an.* 1459. 1482. 1505. 1587.) Austriacis, (1459. 1620.) fœdera æterna, & pacta hæreditaria, quæ quamvis nonnunquam vel parum integre ab alia parte custodiebantur, vel calamitatis caussam regno dabant, quia tamen verbo regio, & bona populi omnis fide erant sancita, violari illa vel rescindi, nomini gentis indecorum judicaverunt homines nostri hactenus. De cætero tempus ipsum rerumque magistra experientia, documenta dabit. Nunc cum de opibus patriæ viribusque, verba facere cogitamus, confitendum nobis esse videmus, avorum, patrumque & nostra memoria opibus comparandis, quam viribus exercendis augendæve potentiæ multo illam fuisse deditiorem. Nam quia Iagellonicæ Austriacæque stirpis Regum temporibus, bella intra Regni fines vel nulla gerebantur, vel brevissima erant, homines aliàs bellicosi abducti à militaribus laboribus ad otium, pace multa illa & profunda ad commoda privata abuti didicerunt. Belli interea & armorum cura elanguit omnis, & otium illud diuturnum par-

rem maximam augendo patrimonio & rei familiari impendebatur à plerisque omnibus. Reperti nihilominus interea quidam sunt, qui, quod rarum in nostra gente antehac fuit, excolendo literis mansuetioribus ingenio, condiscendisque artibus liberalibus, studio non vulgari incubuerunt, & magno inter doctos viro Hassensteinio nostro, scribendi caussam dederunt, *Bojemos videlicet veteres à Graecis Romanisque, (ut quibus facile fuerit vincere non repugnantes,) studiis literarum hactenus vinci esse solitos, suo tamen tempore nonnullorum doctrina factum esse victoriam nutantem.* [7]

II. Opes igitur regni omnes, consistunt hîc propemodum in solis privatis incolarum fortunis. Thesaurarium Regni publicum, sicut ignotum majoribus nostris fuit, ita quasi Lacones essemus, & quasi Lycurgus aliquis instituto id suo [8] vetaret, nec dum ullum hactenus est comparatum. Modica duntaxat, eaque ex viritim collatis Bernis, quas vocamus, corrasa quandoque pecunia à Triumviris pecuniae publicae curatoribus, ad inopinatos reipub. usus comparcitur.

Etenim

[7] *Bohusl. Baro de Hassen. epist. ad Fredericum Dubravium.* [8] *Plutarch. in Lycurg.*

Etenim quia apud majores nemo reperiebatur, qui non, quoties casus ferret, ut vitam, ita facultates suas omnes pro patria atque Rege impendere esset paratus, supervacaneum fuit visum, gazophylacii alicujus peculiaris habere curam. Nunc cum privata publicis anteferre, & in auro cautatibus domesticis, non reipub. congerendo, industrii esse pleique omnes ament, nemo tamen est, qui patriæ hac parte penitus neglectæ necessitatibus, ob oculosque versanti inopiæ medicinam circumspiciat, nemo qui de rerum gerendarum nervo pecunia, quæ seculis illis aureis in expedito semper erat, unde deinceps quoque ævo hoc degeneri sit sumenda in medium consulat, ut nihil mirum esse debeat, bello extremis Matthiæ regis temporibus adversus religionis hostes excitato, tam subito nostros (*ann.* 1618.) ad conflandum æs alienum confugere militibusque licentiæ habenas haud paulo laxiores permittere, fuisse coactos. Utut tamen est, dum modo Regem habeamus ex voto, vigilantemque, & Ordinibus Regni bene inter se conveniat, qui uno omnes animo, atque studiis concordibus reipub. tuendæ manum admoveant, nec pecunia res nostras destituet, nec cætera hosti, si quis irruerit, ab aris & focis arcendo necessaria,
 deesse

deesse comperiemus. Tempus hoc luctuosis nostris calamitatibus infame, ducit nos in rem præsentem. Sextus decimus hic jam est annus, ex quo cara patria nostra bello portas aperuit invita, militusque maleferiati & harpyjarum ex variis orbis regionibus convolantium libidini, prædæ, rapinis, expilationibus continuis atque acerbis patuit, cui tamen nunquam fames, nunquam annona gravis magnopere, nunquam reconditior nobilitatis arca ære prorsus omni vacua reperta fuit. Si sapere scissemus, & vim istam auri argentique, quæ tempore hoc toto in peregrinas oras per sceleratos prædones est exportata, ad bellum semel pro religione libertateque avita sumptum, ultro ac per vices, majorum exemplo, 9 contulissemus, remque omnem prudentia accuratiore administrassemus, næ hostis nullus, nedum Episcopi Romani complices ulli essent, qui de nobis nunc triumpharent, & patriam dulcem servitio tam pudendo premerent. Res namque est, quæ vocari in dubium vix à quoquam debeat, permultos in nobilitate nostra ante viginti annos proximos fuisse qui immobilia bona sua (pretio rebus patrio more nostro, longe videlicet quam

9 *Hagec. ad ann.* 1336.

quam in Germania fieret, viliore statuto,) plus quam ducentis, quosdam qui plusquam quingentis, imo & nongentis sexagenarum monetæ nostratis millibus, supellectilem vero cæteram, cum pecunia signata & nominibus, tantidem æstimare poterant, quosdam similiter qui homines suos glebæ adscriptitios, canonemque annuum pendere solitos, plures quam bis, ter, quater, mille numerabant. Vnde facilis est conjectura, incolarumRegni omnium opes tempore illo fuisse sane ingentes: quæ tametsi rapinis tam immanibus & diuturnis, vehementer nunc sunt attritæ, quia tamen ubertimum hic est, rerumque omnium incredibiliter ferax terræ matris solum, jactura hæc, si bellum domi nullum, & Regem sapientem dederit DEVS, intra hominum ætatem unam creditur esse reparabilis, etiamsi in publicos Regiosque usus pecuniam quæ ex comitiorum decretis Maximiliano Regi quondam contribuebatur, conferri ab omnibus posthac quoque oporteat.

III. Vires gentis domesticæ, non videntur sane viribus, quæ ante annum quintum decimum erant, posse æquiparari. Populi namque multitudinem permagnam, partim flamma belli lachrymabilis, quæ accensa in hoc orbis angulo

Germa-

Germaniam jam totam pervasit, hodieque adhuc depascitur, misere absumpsit, partim religionis transformatio acerba exturbavit. Spes tamen bona est, & illas similiter posse recuperari. Nam quia juventus generis Bojemici, quæ sive intra, sive extra patriam ubivis sub sole potuit inveniri, abducta nuper à studiis cæteris, ad arma est convocata, & pleraque omnis toto gliscentis hujus belli tempore militaris scientiæ exercitiis dedita, in castris vixit, alienum à ratione est existimare, eam, si animos posthac ad patriæ defensionem opera concordi conjunxerit, futuram vel bello inutilem, vel sustinendæ hostis externi potentiæ ob paucitatem forte impatem. Illa nec castra aliud quam patriam, nec pugnam aliud quam victoriam ducet. Veteranos quam tyrones in bello certius ac fortius in hostem ire, virosque sæpius quam turbam hominum magnam vincere, usu longo est exploratum. Alexander Magnus[10] exercitum adversus hostes nunquam majorem duxit, quam adversus Persas. Constabat is peditum triginta duobus, equitum vero quatuor millibus & quingentis, navibusque centum octuaginta duabus. Darium tamen Regem bis adversum

[10] *Justin. hist. lib.* 11.

versum se cum quadringentis millibus peditum, & centum millibus equitum, ut & alios, quantumvis magnis cum exercitibus in aciem progressos, non modo aggredi ausus fuit, sed etiam fugavit feliciter ac debellavit. Bojemi veteres ante Wratislaum I. Regem externo milite nullo sunt usi. Ante Boleslai cognomento Sævi ætatem, adversus hostes & in primis Misnios, Noricosque grassatores, nunquam mille viris plures ad arma concurrisse, & tamen prohibendis illorum latrociniis semper pares fuisse leguntur. Armare viros pugnandi gnaros mille, genti tum infirmæ, radicesque in hac terra primum agere incipienti, & studium rastris quam castris multo diligentius impendendi, operosus labor fuit.

IV. Temporibus posterioribus, cum jam & populus esset multiplicatus, & principes haberet hostium vicinorum irruptionibus in provinciam crebris ac repentinis, facti eruditiores, sicut ab exercitiis militaribus armorumque cura & potentia domi firmanda, ita nec à cæteris colligendarum, augendarumque virium rationibus, unquam fuit cessatum. Comparabantur arma, principio defensioni, aliquanto vero post etiam offensioni servitura, juventus corpore robusta manuque prompta legebatur,

descri-

describebatur, bello præparabatur, immunitatum concessionibus variis animabatur, & ad omnes casus subitos expedita esse jubebatur, atces munitæ in limite excitabantur, & stationarii disponebantur, atque ita in ipsa etiam pace bellum populus noster meditabarur. Enituit prudentia hæc & vigilantia cum primis in Wogeno, Boleslao I. & II. inque Brzetislao pugnace ducibus, in Przemyslo utroque, Iohanne & Georgio, Regibus. Factum igitur hac via est, ut pro regionis modo, temporisque circumstantia, & vites reipub. magis magisque cfescerent, & principes gentis, domestici militis virtute, victorias ex hostibus memorabiles permultas sempiterna sua cum laude reportarent. Sic, ut neque priscorum principum partas ex Impp. victorias (qualis Brzetislai I. (*ann.* 1040.) adversus Henricum ad Domazliceam, itemque Sobieslai senioris (*ann.* 1127.) adversus Lotharium ad Chlumecium fuit) neque bella civilia, quibus non raro vires populi communes inter se collidebantur, interim commemoremus, scimus Wratislaum Regem[11] adversus Vngaros armasse Bojemorum supra sex decies mille, scimus Wladislai I. Przemysli

[11] *Hagec. ad ann.* 1091.

Przemysli utriusque,& Iohannis Regum nostrorum vires bellicas, ob rerum gestarum magnitudinem Italis, Germanis Vngaris, fuisse perquam formidabiles, Hussitarum similiter potentiam, & in bello felicitatem, vicinis regionibus terribilem, remotioribus admirabilem. Wladislaus *(ann. 1158.)* Friderico I. Przemyslus I. *(ann. 1204.)* Philippo, Iohannes *(ann. 1316.)* Ludovico IV. Impp. cum quinque vel sex suorum millibus ad victorias in Insubria, agro Aquileiensi Saxoniaque & Suevia, vel invidorum ipsorum confessione, plurimum attulerunt momenti. Przemyslus Ottacarus mediocri cum manu Prussiam totam victor *(ann. 1254.)* perambulavit, militum Belæ Regis Vngari, ex gentibus barbaris collectorum, ducenta fere millia *(ann. 1260.)* partim cecidit, partim dissipavit, à Rudolpho vero Imp. non nisi per astutiam, & proditus à suis atque desertus *(ann. 1278.)* vinci potuit. Iohanni Regi in subsidium adversus Austrios decies mille viri sunt à Pragensibus solis intra triduum armati. [12]

V. Hussitæ *ἀμυνόμενοι* illi nunquam majores copias quam ad Budesinam Gorliciumque coëgerant. [13] Fuisse enim eorum

[12] *Chron. aulæ Regiæ c. 20.* [13] *Annal. Budesinens. M. S.*

eorum ferunt ad Vſtam vicieſquinquies, ad Tachovum tricies, ad Gorlicium non multo pauciores quam quadragies mille. Sigiſmundus Imp. centum quinquaginta millibus bellatorum ſtipatus adverſus illos (*ann.* 1420.) ad Pragam venit.[14] Rejectus eſt gravi cum damno. Electores principeſque & Ordd. Imperii, cum ducentis armatorum millibus Zatecium obſederunt. Profligati ſunt (*ann.* 1421.)[15] Wilelmus Landgravius Thuringiæ, Catharinaque Friderici Marchionis Miſniæ uxor, ad Vſtam obſidione liberandam virorum in armis ſupra ſeptuagies mille adduxerunt. *ann* 1426. Horum propter Przedlicen pagum, edita ſtrage iogenti ad quinquagies, vel, ſicut alii volunt, ad duodecies mille in prælio occubuit.[16] Martini deceſſoris premens veſtigia Eugenius Papa, cum legato Iuliano Cardinale, ſub Imperio Friderici Marchionis Brandeburgici, centum triginta militum millia in Bojemiæ fines ex Bavaria immiſit. Omnes illi ſunt ad Tachovum (*ann.* 1431.)[17] in ſilvis ſalutem quæ-
rere,

[14] *Ioh. Dubrav. hiſt. lib.* 24. [15] *Chron. Mansfeld. c.* 310. [16] (*Chron. Lantgr. Thuring c.* 162. *M. Daniel. Calend. ad* 16. *Iun.*) [17] *Silvius hiſt. Bojem. c.* 48, *M. Daniel Calend. ad* 14. *Aug.*

rere, & amissa copiarum parte non exigua, impedimentisque cum instrumento omni bellico, multaque & pretiosa supellectili, victori in prædam relictis, palantes diffugere coacti. Georgius Rex, quamvis distractum factionibus regnum & potentiores quosque ex proceribus adversarios habuit, subnixus tamen nobilitatis tenuioris & oppidanorum viribus ad mendam dignitatem domi utcunque collectis, expedivit se ex difficultatibus omnibus, conatibusque maximis concatenatas hostium molitiones quasque, magno animo contempsit, & prorsus fecit irritas. Etenim Paulus II. P.P. *(ann. 1465. 1466.)* præter quam quod evibrarat in illum fulmina ditantum sua, regnum etiam, quod nec dedit, nec date potuit, ei abrogabat, & sollicitatis ad defectionem, regni provinciarumque incolis, pervalidas cruce signatorum copias Zedeneco Sternbergio incentore ac duce, in Bojemiam immittebat. Vana fuit omnis hæc Pauli ira, & signati isti prædones, posteaquam crudelitate plus quam Scythica plebi miseræ, inermi, ac innoxiæ, tempore aliquanto graves fuissent, ad Negirzscum à regiis *(an. 1468.)* sunt fusi ac profligati. Elatus Turcicis victoriis complutibus, & militari scientia clarissimus dux, Matthias Vngariæ

Rex, tametsi gener, de Regno illum armis dejicere conabatur: præliis tamen aliquot levioribus (*ann.* 1467. 1468. 1469.) socer illum terruit ac fregit; ad Lavam vero, pugnam defugere, posteaque conclusum omni cum exercitu in Bojemia intra ferreorum montium fauces, vitam partim auro, partim indigna tanto bellatore impostura redimere: Slesos denique & Lusatos, quin & proceres in Bojemia Moraviaque contra datam fidem rebelles, ad officium redire, ac imperata facere, coëgit. Vnde colligi non absurde potest, siquidem oppugnari à parte suorum potentiore desertique Regis, tantæ nihilominus erant vires, quantæ futuræ fuissent, si concors populus Bojemorum omnis, fideliter uni illi adhæsisset.

VI. Ab Georgii Regis obitu, Wladislai Ludovicique & cæterorum Regum temporibus, quia pax alta usque ad ætatem hanc nostram in regno semper fuit, nec, nisi bis vel ter, motus potius quidam bellici, quam bellum oriebatur, neglecta jacuerunt militiæ & armorum exercitia, ideoque quanto divitiarum opumque multitudine abundantior, & literarum studiis excultior evadebat respub., tanto reddebatur potentia infirmior, [1] & ad

[1] *Comit. ann.* 1593.

& ad fortiter audendum remissior, adeo ut, nec populus Bojemus militiæ jam magnopere aptus, nec regni potentia vicinis metuenda videatur. Reviviscebat nihilo secius redibatque aliquando in præcordia Czechicæ juventuti virtus avita, &, quod in submissis multoties in Vngariam copiis auxiliaribus, rerum periti animadverterunt, faciem hosti, non terga miles noster ostendebat, manumque cum eo, dum pugnandi fuit facta copia animo intrepido conserebat. Vires non prorsus nullas in Bojemia esse, reperirique in ea viros belli gerendo non ineptos docuerunt superioris seculi milites nostri persæpe, cum alii, tum inprimis Bojemi illi qui Wladislao Regi adversus Matthiam Vngariæ Regem *(ann. 1477.)* in Slesia & Austria, [2] itemque adversus Imp. Cæs. Maximilianum I. Albertumque Poloniæ Regem, *(ann. 1491. 1492.)* [3] itemque illi quos ob eximias virtutes ac animi integritatem Imp. Cæs. Maximilian. I. in pretio, præsidiariosque & stipatores habuit, quorumque in bello, cum alias, tum in primis in Morani obsidione, permagnam est exper-

[2] *Salomon Neugebaur lib. hist. Pol. 6.*
[3] *Bonfin. decad. 5. lib. 1.*

tus fidem.[4] Nec majoribus indigni erant illi qui, Baltholomæo Munsterbergensi & Boczeco Cunstatæo ducibus, adversus crucesignatos Leonis X. Papæ, (*ann.* 1514.) militabant. Viri similiter fuerunt illi qui, tametsi numero pauci, ac plurium tantummodo prodomi in prælio Mohacensi infelici ac luctuoso illo, Ludovico Regi corporis custodes adstiterunt, cum eoque mortem (*ann.* 1526.) oppetiverunt. Viriles animos promptasque manus approbarunt Ferdinando Regi, conscripti ex Bojemis partim equites, partim pedites illi militares viri, qui in Viennæ obsidione (1529.) sub signis Ioh. Comitis Hardeccii, & Ernesti Brandesteinii cum Wilelmo Zuvirzeticio, Petro Proseczæo, Petro Perzinâ, cæteraque nobilitate pro portis Vrbis Insulana, & Salinariâ, proque Turri rubra, hostiles Soleimanis impressiones fortiter sustinuerunt, quique pro eo, sub aliquot signis, prælio Toccajiensi adversus Iohannem de Zapolia (*ann.* 1537.) dimicarunt, [5] itemque illi qui ad Exechium sub Petro Rassino duce

[4] *Ricard. Bartholin. Orat. in Convent. Vienn. ann.* 1515. & *Ioh. Faber theol. Oratione in funere Maximil.* 1.
[5] *Paulus Iovius hist. lib.* 36.

duce ſtrenuo, Turcorum telis obruti occubuerunt. Nec ingloria eorum virtus fuit, qui ejuſdem auſpiciis, ſuſo profligatoque Alberto Marchione, Blaſſenburgum munitiſſimum ejus propugnaculum, ſub Bohuſlao Haſſiſteinio Lobcoviceno *(ann. 1554.)* expugnarunt. Maximiliano regi operam ſimiliter non inutilem navarunt Bojemi milites adverſus Turcos, *(ann. 1566.)* cum in Palotæ obſeſſæ liberatione, & Veſprinii expugnatione, tum in illa adverſus Solymannum arcem Zigethanam obſidione arcta prementem, inſtructiſſima, ſed ſerius quam oportuit promota, expeditione. Sub Rudolphi Regis ſignis ex rebus præclare geſtis nomen egregium invenerunt longe plurimi ad Hatvanum, Agriam, Albam regalem, Strigonium, Comarnum, Iaurinum, Budam, quales erant qui cum Wilelmo Trczka, *(ann. 1596.)* Iohanne Wchynicio, Alberto Pietipeſcio, Iohanne Pernſteinio, *(an. 1597.)*[6] Petro Woco Roſenſi, *(an. 1594. 1601.)* cumque aliis in caſtris erant.

VII. Conſcribebatur autem de Ordd. aſſenſu ſubſidiarius hic miles à Regibus noſtris, & in Vngariam aut quo uſus

Ll 3 fuit,

6 *Iac. Auguſt. Thuan. hiſt. libb. 110. 115. & 119.*

fuit, mittebatur, numero prout periculi poscebat magnitudo, nunc major, nunc minor. Stipendium illi Ordines quoque dabant semper, quod tamen non nisi de populi omnis voluntate, & in comitiis decernebatur. Nam, præterquam quod sic est mos majorum priscus, nemo scire melius potest, quæ reipub. sint vires, quæ facultates, quod denique vicinis sive ex fœdere, sive ex necessitate debitum officium, quam Senatus Regni, & populus universus. Ex quibus Ordinum decretis comitialibus, de potentia regni universi deque censu veteri, & ordinariis, populo non multum onerosis, ad bellum collationibus, judicium ratiocinatione non inani ferre cuivis est facile. Vsitatissimum nostris fuit,[7] mittere in Vngariam auxilia peditum sexies, equitum vero bis mille, quibus cogendis dati jubebatur, in singulas bonorum soli quinquies mille sexagenas nostrates, eques unus, & trigesimus quisque glebæ adscriptitius, armis necessariis accurate instructus. Si periculum domi sit, bellumque pro aris & focis geri oporteat, duplicatur ex more tam miles stipendiatius, quam pecuniarum collatio publica. Si Rex ipse in hostem profi-

[7] *Comit. ann.* 1553. 1565. 1567. 1571. 1596. 1598.

proficiscitur, viritim nobilitas omnis, ex instituto gentis veteri, ad arma cum famultio omni vocatur, Regemque sequitur, ita tamen ut ad expeditionem ultra regni limitem cogi non possit. Ad necessitatem vero ultimam casusque extremos, quintus quisque ex colonis adscriptitiis, & quartus ex Vibibus arma vel ipse corripere, vel mercenarium pro se idoneum adducere, jubetur, qui quatuor cæterorum stipendio Regi militet. Quo si quando descendere casus cogat, omnisque majorum more ferant ex æquo universi, verisimile est Bojemiam peditum supra tricies mille sub signis habituram. Equitum extrema in necessitate millia decem colligi posse creduntur. Optandum equidem est ut belli portæ claudantur, & sagum togæ cedat, neque delectus istos haberi oporteat, quia tamen homines nunc sunt, quam olim, turbarum multo amantiores, vicini fortunæ & libertati invidentiores, alienique appetentiores, vigilantia sedenti ad clavum reipubl. magistratui attentissima virisque fortibus, qui ad occasiones omnes sint præsto, semper est opus. Ea propter optandus inprimis est regno nostro Rex, qui virtute armata æque ac togata præstet, quique priscorum illorum Bojemiæ Regum revocato in memoriam

exemplo, etiam in pace media bellum meditetur, gnaros rerum gerendarum duces atque magistros habeat descriptos, residesque jam dudum populi sui animos resuscitare, ac certaminum militarium simulacris, disciplinaque cætera hostibus cunctis terribiles facere sciat. Optanda denique est militibus nostris (qui quam olim fuerunt æque nunc esse possunt pugnaces ac numerosi,) eadem quæ in majoribus quondam fuit, non sane consueta & damnata à bonis ad rapinam proclivitas, sed collaudata illa prudens tractandorum armorum scientia, eadem in præliis virtus & felicitas, cum primis vero eadem in patriam Regemque fides, obsequium, & amor. Instructo his opportunitatibus regno, nec potentia, nec cæteræ conservandæ reipub. paci ac dignitati servientes rationes, mediaque deesse unquam poterunt.

CAP. XVIII.

De Re numaria, & computandi ratione.

I. POlitici prudentiores, majestatis jura, reipub. seu populi universitatis esse judicant usque adeo propria necessariaque, ut spiritum ejus vitalem, cor, & animam, in iis collocent, illis salvis remp. vivere, sublatis interire, censeant.

Referunt autem inter hoc genus jura, etiam jus numismatis, in materia publice electa, valore ab aliis diverso percutiendi. Et merito. Vt enim linguæ idioma populum à populo, sic legum ac monetæ usus dispar, universitatem ab universitate, regnumque à regno discriminat, & vicissim, quemadmodum illius, ita & hujus sive confusio, sive perturbatio, populum cum populo, remp. cum repub. confundit, & conversiones perniciosas secum trahit. Providere igitur cura pervigili debet populus omnis, cui cara est sua salus, & inprimis jurium majestatis dispensationi præfectus à populo princeps vel magistratus summus, ut linguam pariter & monetam, à majoribus in remp. introductam, olimque publice usitatam, à depravatione, & cum peregrinis confusione omni, constanter tueatur, & sartam ac tectam conservet. Attenti in eam curam præcipue quoque erant principes Bojemiæ veteres, populusque noster omnis, qui quamvis commercia cum Germanis, Moravis, Pannoniisque vicinis habere communia non abnuebat, numos tamen, suos & illorum, nec pretio, nec computandi ratione eosdem esse unquam voluit. Privato autem cuique domi percussæ monetæ adulterationem, conflationem, παλιμπωλίαν-

que omnem, quin & quamvis defraudatorie quæstuosam extra regni fines exportationem, interdicto diserto vetuit, idque tanta severitate, ut, in eos qui contra deliquissent, flammis ultricibus vindicandum statuerit.[8]

II. Variavit sane cum tempore non semel numus noster, signabaturque cum principis & regionis inscriptione in auro vel argento, bonitate, pondere, valore, alius ab alio diversus. Vetustior recentiore fere fuit melior. Homines gentis nostræ repererunt quidem in hac provincia aurum statim Croci junioris temporibus, & prius sane quam argentum, sed id tamen non statim ac inventum fuit, numo cudendo adhibuerunt. Ex quo vero jus numi cudendi usurparunt, ex puro vel auro vel argento fiebat pecunia principum Regumque nostrorum omnis, nec ante Iohannis Regis ætatem fere cupri quicquam auro vel argento miscere consuetudo fuit. Signavit autem apud nos argentum primus Przemyslus, aurum Libussa princeps. Argentei numi fundebantur alii majores, alii minores, referebantque, illi quidem utrinque Przemysli solius, hi vero, una ex parte Przemysli, ex altera Libussæ in sella sedentis imagi-

[8] *Ius provinc. W. 13. 15.*

imaginem.[9] Majores illi, æquabant pondere singuli didrachmum, minores quinque & viginti numero unciam unam. Aureus porro Libussæ numus, signabatur utrinque Libussæ ipsius in sella sedentis, columque ad manum habentis imagine. Valor ejus & pretium est in incerto, magni tamen unumquemque fuisse pretii, ex eo potest colligi, quod Libussæ, cum mortua humabatur, quinque tantum, ignoto DEO munus, à Przemyslo sunt in manus dati. Servata autem est constanter fundendi cudendique hoc Przemyslæo pondere numi ratio, atque lex, à posteriorum temporum principibus cunctis, usque ad ætatem Boleslai Sævi, cujus numus ex parte antica Wenceslai fratris, ex postica ipsius Boleslai vultus repræsentabat, & Vallensis hodierni unam quasi partem sextam $\frac{1}{6}$ valebat. Ex eo porro tempore eâdem bonitate pondereque is fundebatur usque ad tempora Wenceslai hoc nomine Regis Bojemiæ secundi, nisi quod numi cudebantur, ut diximus, suorum quique

----*inscripti nomina Regum.*

III. Wenceslaus II, Rex, pondus numi in argento à patribus frequentatum, primus immutavit, & accitis Florentia moneta-

[9] *Hagec. in ann.* 725. *&* 1040.

monetariis, [10] grossos, obolosque similiter absque omni æris cum argento temperatura cudi, ut pondere, ita & forma nova præcepit. Grossus erat drachmalis, ex antica parte circulis parallelis tribus insignis, quorum in intimo, erat corona Regia, in medio literæ, WENCESLAUS SECUNDUS, in extimo, DEI GRATIA REX BOIEMIAE. in parte vero postica stabat Leo Regni insigne, & propterea quod veteri instituto Pragæ officina monetaria fuit, scriptum in orbem erat, GROSSI PRAGENSES. Vulgus *Zmrzljky* à congelascendo, ut videtur, ob albicantem argenti puritatem vocabat. Obolus porro erat grossi istius pars duodecima, similiter Leonis insigni & Regis nomine expresso notatus. Pendebat itaque pondo sive libra numularia quæ Germanis *Marck*, nobis *Hrziwna* dicitur, Pragenses Grossos hosce sexaginta, obolos septingentos & viginti. Gener hujus Wencesslai Iohannes Rex, *(ann. 1311.)* æris paululum quiddam argento primus admiscuit, & grossos obolosque fecit soceri grossis & obolis τῷ χάραγματι atque figura similes, sed cum bonitate, tum pondere, aliquanto inferiores. Quatuor & sexa-

[10] *Hagec. ad ann. 1300. Sifrid. presbyt. Epitomes lib. 2. ad ann. 1296.*

& sexaginta ejus grossi, septingenti sexaginta octo oboli, pondo dabant. Cudebat etiam numos grandiores, qui singuli habebant pondus unciæ duas partes tertias, ideoque libræ pars duodecima erant. Cudebat [11] præterea numos minusculos, alios ex auro qui libræ argenti paulo plus quam sextantem leguntur valuisse, alios ex ære, expilandæ plebis multitudini excogitatos. Iohanne Rege Carolus filius paululo, Wenceslaus nepos, perquam multo deteriorem fecit numum. Argenti namque libris centum Carolus miscebat *(ann. 1377.)* æris duodecim libras: libramque pendebant grossi ejus septuaginta, oboli octingenti quadraginta. Wenceslaus vero IV. *(ann. 1407.)* miscuit grossis suis æris $\frac{16}{41}$, hoc est partes unas & quadragesimas sexdecim, obolis $\frac{3}{5}$. hoc est partes tres quintas, prout promulgata eam in rem utriusque diplomata plenius docent.

IV. Sequuta postea sunt bella in nostra gente civilia, horrida illa, & quam rerum gestarum, tam calamitatum magnitudine memorabilia, quibus sævientibus numi publici arbitrium in Pragensium fuit potestate, & monetariorum fraudulentia, dietim fere longius recedebatur

[11] *Chron. Aulæ Regiæ cap.* 14. 19.

batur à veteri illa numi bonitate donec post Alberti Regis excessum in interregno, signati Frider. Imp. charactere numi prorsus adulterini, (vulgus nostrum nigros vocabat) ex Austria in provinciam vi magna infusi, depravandæ confidentius monetæ domesticæ exemplum hominibus avaris dederunt. Regno tandem inauguratus Rex Georgius, motus coorta inde annonæ, cæterarumque rerum omnium caritate inaudita, manifestisque, nec minoribus quam quanta sub Iohanne olim fuerunt, populi ac regni totius damnis, & permotus Austriacorum procerum magnis hac in caussa de Cæsare querelis, malo prævertendum duxit. Capto igitur à Misniis vicinis exemplo, (apud quos cudi nuper (*ann.* 1457.) cœptus numus argenteus, æstimabatur pro pervulgati in Germania floreni aurei parte duodetrigesima,) numum Bojemicum (*ann.* 1460.) fecit paulo meliorem. Sed quia & hic quoque multum à veteri bonitate abesse fuit deprehensus, proceresque Bojemi qui Regem illum aversabantur, inter alias rebellionis suæ caussas (*ann.* 1465.) ex conventu Virldemontano de imminutis ab se Regum priscorum legibus monetariis erant questi, coactus ultimo fuit hac in re Wenceslai II. vestigia sequi, & numum ex argento drachma-

drachmalem, obolosque quotum quatuordecim numum illum valerent, (*ann. 1469.*) cudere. *Podvvogni*, vulgo vocabantur illi tum grossi tum oboli. At quoniam nec diu postea vixit Geoigius, nec amplius tanta ut sub Wenceslao argenti erat copia, Wladislaus Rex (*ann. 1473.*) numi legem ad Georgii decessoris rationem illam priorem revocavit. *Plechacze* illos hodieque appellamus. Nec is tamen perpetuo in hoc sibi potuit constare, quemadmodum clamores publici, & nata ex hac caussa (*ann. 1491. 1514.*) caritas annonæ anno Regni ejus vigesimo deincepsque docuit. Ludovici porro Ferdinandique numismata, viciſſim ſunt, quam Wladiſlai, deteriora, quemadmodum ex eorum (paſſim enim in uſu ſunt hactenus) inter ſe comparatione peritis eſt obvium. Vnciales numi quos à Ioachimi Valle oppido, in quo primum cœperunt ſignari, Ioachimicos, ſeu Thalenſes, vel Thaleros vocamus, in regno noſtro ante Ludovici Regis ævum non ſunt ſignati. Sub Wladiſlao percuſſi, Vngarici ſunt, non noſtri: Æſtimati autem apud nos fuerunt chalcis ducentis decem. Tametſi vero pondus bonitaſque & pretium numi apud nos ſic, ut diximus, non ſemel variavit, in forma tamen ſeu figura

Wence-

Wenceslao II. Regi usitata, ante bellum in Germania Smalcaldicum vocatum, nihil unquam fuit mutatum. Semper illa in parte numi antica coronam regiam, in postica Leonem, cum inscripto Regis Pragæque nomine referebat. Iohannes Baro Pernsteinius *(ante & post ann. 1540.)* & ejus similiter hypothecæ titulo successor, Arnestus ex Bavariæ Ducibus ArchiEpiscopus Salisburgensis, *(post ann. 1550.)* in Comitatu Gladscano, numos unciales, Vallensibus conformes, grossosque regiis æquivalentes, charactere peculiari suo signarunt. Ferdinandus Rex (id quod in unciali statim ab inito regno faciebat,) post bellum illud, *(ann. 1548.)* imaginem suam ex una, & aquilam Romanam ex altera parte, numo nostro impressit. Caussa oculatos non fugit. Percussit autem illum multiplicem, & cuique prout magnus vel parvus fuit, ex collatione cum Philippico, Hispanorum plusquam unciali numo, pretium vel auxit vel diminuit. Erant alii qui valebant Philippici tres partes quartas, alii qui octavas tres, alii qui unam. Minuta ejus moneta similiter fuit diversa, & non unius generis. Vna chalcus chalco Wladislai accommodatus, qui sub Regis inscriptione constanter priscam Leonis imaginem retinuit,

tituit, & apud Germanos nunc nostra & Austriacorū imitatione, promiscue usitati numi uncialis erat pars ducentesima, decima *Czesky* vel *Welky* & *bjly Peniz*; altera chalci semis, *Sfarr*, vel *kaczenka, maly Peniz*; tertia, grossus diobolaris cognomento albus, valens chalcos septem, & quarta Caroli fratris Imp. monitu [12] cusa, grossus sesterrius *Hubaczek* dictus, valens chalcos novem. Legibus istis accurate servandis, providendoque ne qua iis fraus posthac à monetariis, vel quibuscunque hominibus fraudulentis per imposturam fiat, instituti sunt, & sacramento solenni alligati, duo numi publici Exploratores seu Δοκιμασταὶ, alter à Rege, alter ab Ordinibus; *Prubyrz Kralovvsky*, & *Prubyrz Zemsky*.[13] Iubentur ii quotiescunque reipub. interesse senserint, adeoque, ut minimum, intra unum quodque trimestre tempus, numum cujus usus fuerit publicus, argenteum videlicet & aureum, peregre importatum æque ac domesticum, tum in bonitate, tum in pondere exacte explorare, & si quem in alterutro à præscripta legibus regula recedere, vel alioquin adulterinum esse compererint, de eo, Regius

[12] *Goldast. tomo Constitt.* 1. *pag.* 346.
[13] *Ius provinc. W.* 13. & 15.

Regius ad supremum Metallicorum-magistrum absque mora; Terrestris vero ad Magnum regni Senatum, primo quoque tempore frequentem futurum, diligenter referre. Senatus magnus, qua via malum emendari, neve respub. hac in parte detrimentum porro capiat, caveri oporteat consilio cum Metallicorum magistro supremo quam primum capto, providebit. [14]

V. Ferdinandi filius Bojemiæ Rex, Imp. Cæs. Maximilianus, ut cæteris quibusque in rebus; sic & in numi cudendi rationibus, gentis Bojemæ honorem utilitatemque quæsivit vigilanter. Ille igitur, quanquam in generibus monetæ figuraque quam pater usurpavit, solum genus quartum oboli (vulgus *Sedmaky* vocat) permutavit, meliorem tamen aliquanto quam pater nobis pecuniam dedit; deque numi valore & signando tum auro, tum argento, leges exactiores, Ordd. universis assentientibus, paulo ante quam de vita decederet, & prius quoque, in comitiis tulit. Ex auri pondo Pragensi, caratas viginti tres & creinos octo pendente, signari jussit, vetusto Imp. Alexandri Severi, decessorumque Bojemiæ

[14] *Comit. ann.* 1543. 1575. 1576. 1610.

Bojemiæ Principum more, ducatos, quos vocant, sive solidos $72\frac{3}{6}\frac{1}{4}$ Argento similiter definitam æris temperaturam constituit; partes nimium sexagesimas quartas, thalero septem grosso diobolari triginta septem, obolo triginta novem, chalco dimidiato quinquaginta tres, chalco denique partes sedecimas undecim. Vnde temperati hac proportione argenti libra Pragensis, *die Marck*, producebat illi thaleros $8\frac{3}{4}$ grossos diobolares $126\frac{2}{7}$. Obolos 240. Chalcos 659. Chalci-semisses 733. Leges ad istas signatis nummis pretium quoque est ab hoc Rege decretum, [25] thaleris oboli sexaginta, grossis ante bellum Smalcaldicum Pragæ signatis veteribusq; Austriacis chalci novem, diobolariis recentioribus chalci septem, obolis chalci tres cum dimidio. Philippico $\frac{3}{4}\frac{3}{8}\frac{1}{8}$ proportione respondentes, & ante hoc tempus signati nummi, etsi non removebantur ab usu, quia tamen computandi rationibus Germanicis, non nostris, erant apti, cautum lege est, ne posthac apud nos signentur. Tam moris prisci observans, peregrini & novi fugiens fuit patrum ætas.

VI. Has Maximiliani patris leges monetarias, quam studiose servavit Rudolphus,

[25] *Comit. ann.* 1573. 1576.

phus, tam negligenter habuit Matthias, cum alius post alium ei in Regno successerunt. Matthia videlicet Imp. & Rege, primum in Germania vicina, & mox apud nos quoque, tam licenter argenteum numisma publicum, est depravatum, ut solo unciali numo excepto, signata per id tempus pecunia omnis, duplo quam Rudolphina evaserit deterior. Sublato è vivis Matthia Rege, quia bello Regnum ardebat, Ordines ipsi, reipub. cura delectis ex omni numero quibusdam quasi Ephoris commendata, numum publicum (*ann.* 1619.) (admixtis argento æris septem fere partibus sedecimis) veterum exemplo, corona Regia Leoneque coronato, insigniverunt. In hoc tamen sui sunt quasi obliti, quod peregrinum illi & à patribus sub Maximiliano, consensu publico vetitum, valorem attribuerunt. Accomodatunt enim illum, non, ut veteres, ad chalcos, vel diobolares Bojemicos, sed & cruciatos Germanicos. Neque excusabilis in neglecto hoc majestatis jure majorumque exemplo, videtur ista inconsiderantia, quod quidam ajunt, propter stipendia militi danda, Germanis conformem numum domi tum habere fuisse necesse. Et Gallorum & Belgarum stipendia Germani solent merere, in eorum tamen

gratiam,

gratiam, neque in Gallia neque in Belgio à veteri numi usu unquam est discessum. Vtut tamen est, secabant Ordines pondo sic ut dixi commixti cum ære argenti, vel in partes fere duas & triginta, vel in quatuor & sexaginta, statueruntque pretium partibus illis primis cruciatos Germanicos quatuor & viginti, secundis duodecim. Retinuit in numo signando probatam populi silentio rationem novam istam similiter Fridericus Rex, nisi quod de ejus bonitate argenti fere semiunciam detraxit, & imaginem numo suam impressit; pondoque præterea etiam in partes sedecim secare jussit. Valor cujusque id genus particulæ fuit, cruciati octo & quadraginta. Cudit similiter certa constituta æri & argento proportione, Bojemicos chalcos, obolos, itemque grossos diobolares sive albos, ita ut si pacare regnum turbatum potuisset, veteres Maximiliani leges monetarias restituturus crederetur. Quem cum armis de Regno dejecisset, & ferro sibi viam ad sceptra Bojemica aperuisset Imp. Ferdinandus, tam procul est sub eo à majorum exemplo discessum, ut numi apud nos facti plerique omnes argenti plus quam parum haberent. Chalcus Wladislai Georgiique, Ferdinandi eo ejus temporis sestertio, bonitate anteibat. Sestertii siquidem

siquidem quales olim plus quam altera parte sua erant argentei, tum vix argenti: $\frac{3}{10}$ habere videbantur, ideoque ducenti, Vallensi seu thalero uni necdum plene æquivalebant. Vulgus imperitum, fraudem istam an fucum dicam, non ante potuit deprehendere, quam argento fere omni fuit emunctum. At cum multo tempore post, magna rei familiaris jactura, cuncti essent facti eruditiores, admirabilem subito vidimus in commerciis confusionem. Etenim, annis (1621. 1622. 1623.) non sterilibus, decuplo quam antehac, pluris væniebant res omnes. Effluxit nobis in his vexati numi flagellis triennium totum, & experti tum demum credidimus, vere juxta & sapienter ab gentis nostræ principe Boleslao Leni, cum morti esset propinquus, dictum olim fuisse, [16] *neque pestem, neque bellum, neque hostiles in provinciam irruptiones, direptiones & incendia quantumvis atrocia, bonis tantum posse nocere, quantum crebra numi variatio & attenuatio. Simplices videlicet ad paupertatem extremam redigi id genus impostura.* Nomen mehercle & imago eorum qui improbum percusserant numum, coguntur non modo in præsentis ævi,

[16] *Hagec. in ann.* 999. 1300.

ævi, verum & in posteritatis manu erubescere.

VIII. Hæc igitur & domi percussit, & in usu olim nuperque adhuc habuit numorum genera gens Bojema. Propter necessaria tamen semperque frequentata cum exteris commercia, permisit quoque illa suis usum importari ex vicina Germania, Vngaria, Polonia, nnmi peregrini, cum aurei, tum argentei: valorem tamen ejus ad leges monetarias domesticas attemperavit. Hinc notum apud nos est monetæ non nostrum genus, floreni, decusses, baci, sestertii, crucigeri, *Dudcy*, *Sſeſtacy*, *Kralowsſti*, *Sſarapatky*, *trogniey*, *babky*, *halcy*. Et quemadmodum Hebræi siclis, Græci drachmis, Romani denariis, Germani florenis, cæteræque gentes sui quæque numismatis genere, pecuniam supputabant, sic & homines nostri aurum argentumque, elaboratum nec tamen signatum, libris numulariis, (non Romanis vel tabernariis) *na Hržiwny*, librarumque quadrantibus, *na Fertony*: signatum vero, aurum quidem solidis sive ducatis, argentum grossis Pragensibus, grossos denique, si summa crescebat, sexagenis, *na kopy*, si decrescebat, chalcis, *na Penize vwelke*, supputabant, hactenusque, quicunque non sunt à patribus degeneres,

generes, supputare amant. Grossi igitur nostri sexaginta, vocantur *Kopa*, qui prout tempora erant, Regique & populo placebat, constabant ab Regis Wenceslai II. ævo chalcis duodecim, vel quatuordecim, obolo Maximiliani non plus quam una parte tertia deterioribus, nunc constant Maximiliani chalcis septem. Vnde inconcinni sunt, qui cum in Annalibus nostris scribunt ante Wenceslai II. tempora[17] potuisse uno numo emptis panibus famem sedare ventres virorum sex, avenæque modium vænisse aliquando numis quinque, aliquando grosso uno; cæteraque omnia pretio consimili, pretium se vile putant dicere, habentque id instar miraculi, cum ipsi testentur, numum temporũ illorum minutum fuisse argenteum, & unciæ partem vigesimam quintam: sicut protervi vicissim sunt, qui contra, cum legunt ante ejusdem Wenceslai Regnum[18] frumenti modium pluris quam centum viginti numis, par ovorum numo uno emptum, annonam difficilem fuisse non credunt. Supputatio numi per florenos cruciatosque, quæ jam priscæ illi à nostratibus præfertur, est juri majestatis vetusto adversa, genti nostræ

[17] *Hagec. in ann.* 1027. 1172. 1215.
[18] *Hagec. in ann.* 1263. 1281.

nostræ probrosa, & jam pridem partum judicio repudiata, in qua cohibenda neque magistratus summus neque populus deberet tam esse securus. At quia fieri non potest, ut vel nullo hîc modo offendamus, vel ἐπέχειν in quibusdam ipsi quoque desinamus, ideo manum de tabula.

CAP. XIX.

De Regiis Reditibus.

VIvere cum dignitate princeps nemo potest, qui non sit fortunatus, hoc est qui non nervo rerum gerendarum pecunia opibusque luculentis abundet. Etenim ut virtute ad conservandam in statu felice rempub. ita ad tuendam in splendore majestatem, opibus illi est opus. His autem honeste ac citra tyrannidem comparandis, reditus partim ordinarii, partim extraordinarii magistratui summo in repub. quavis, jure communiter recepto, populique omnis consensu tacito solent permitti. Reges Bojemi similiter neque mediis id genus sunt destituti, neque à populo suo unquam usque adeo deserti, ut dummodo ne sint prodigi vel decoctores, de inopia aut ærarii tenuitate jure possint queri. Non alia fortasse de caussa ab ærario peculiari reipub. constituendo, populus noster,

hactenus abstinuit, quam ut Reges, magistratum summum, haberet opulentiores. Opum ergo quærendarum vias omnes non iniquas, reditusque qui in Regno provenirent, illis reliquit solis. Qui tametsi magnitudine reditibus Regum regnis cæteris dominantium pares fortasse esse nequeunt, quia tamen in Regno nostro, non tam prodigiosas ut alibi, impensas facere est necesse, ob mediocritatem ii neque contemni debent, neque ad ditandum Reges nostros pro invalidis censeri. Wenceslaus II. & ejus nepos Carolus, Bojemiæ Reges, Regnum acceperunt valde perturbatum, exhaustum, atque prorsus exsuccum, recuperatis tamen postea reditibus à Regum usu alio jam pridem aversis, administrataque prudenter re familiari, opibus tantopere sunt aucti, ut hujus reditus ordinarii, cum aliquando legatis Imperii Electoralibus ob oculos ab illo essent propositi, ipsorum judicio ac confessione, majores fuerint visi, quam essent quos Imperator ex toto Imperio Germanico caperet; [1] illius vero fortunæ opesque, Alberto Lusco Imp. invidia tantum non ilia ruperint. [2] Wenceslaus IV. cui Germani

[1] *Hagec. in ann.* 1370. [2] *Idem in ann.* 1302. 1304.

Germani ignavo, nos ebrioso cognomentum damus, auri argentique vim permagnam ex teditibus suis corrasit, quam in arcibus, S. Wencellai, Carolosteiniana, & Crzivocladena conditam, Sigismundus frater postea (*ann.* 1420.) intervertit & militibus divisit. De exorbitantibus Iohannis Regis extorsionibus, [3] quibus Regnum emungebat, & ut intra menses duos à populo Bojemico pecuniæ ad nonagies quinquies mille libras, exigere aliquando nihil pensi habebat, dicere hîc nec placet, nec expedit.

II. Sunt autem Ordinarii in Bojemia Regum reditus alii ex cœnobiorum Civitatumque liberatum canone annuo, alii ex auri argentique fodinis, alii ex vectigalibus, alii ex ditionibus cum fiscalibus, tum iis quæ de tabula vulgo, & quatetnatæ à quibusdam dicuntur: quos ad aureorum Germanicorum millia quadringenta, hoc est grossorum nostratium sexagenas centies septuagies semel mille, quadringentas & triginta, ascendere curiosi quidam prodiderunt. [4] Canon annuus qui ex Cœnobiis penditur, nō assurgit supra sexagenas quinquies mille trecentas, qui ex Civitatibus ad quater mille

Mm 2 trecen-

[3] *Chron. Aulæ Reg. c* 14. [4] *Nicol. Belluo rerum politic. tomo I. discur.* 3 1.

trecentas. Wladislai II. regis ævo, quia Praga urbs æs alienum grande conflavit, ei dissolvendo fuit de plebis assensu imposita Zythopœis in urbe omnibus, temporaria collatio, in singula videlicet cerevisiæ dolia, grossus septem chalcorum unus. Hunc Ferdinandus Rex à bello Smalcaldico, ex arbitrario uniusque Pragæ urbis usibus ad tempus, voluntaria largitione, à civibus decreto, ordinarium fecit, &c, sub cognomento grossi hæreditarii, civitatibus omnibus extorsit. Vnde reditus Regii quotannis plus minus quindecies mille sexagenis (Thuanus [5] summam multo majorem computat,) sunt aucti. Auri argentique fodinæ, quamvis non semper æque feliciter, & multo quam olim tenuiore copia proveniant, [6] pars tamen illa emolumentorum vicesima, quæ vi transactionis ab Rege Ferdinando cum Ordd. olim (*an.* 1534.) factæ, Regi ex auro argentoque in nobilitatis ditionibus eruto [7] debetur, ut & lucrum omne ex fodinis omnis generis mineratum regiis conquisitum, fisco regio haudquaquam est infructuosum. Vectigalia portoriaque, & in his institutum

[5] *Iac. Aug. Thuan. hist. lib.* 3. [6] *Hagec. ad an.* 1315. *Comit. an.* 1586. [7] *Ius Provinc. W.* 2.

tum ab Iohanne Rege vectigal Pragæ & passim in Vrbibus, quod *Vngelt* dicitur, luculentam conficiunt pecuniæ summam. Reditus ex Domanio, (ut quidam vocant,) regio, seu ditionibus cum quaternatis tum fiscalibus, prӕter quam quod mensam regi aulicoque ejus ministerio omni pro dignitate instruunt, & aulam Regio splendore nitidam præstant, [8] grande ærario adjiciunt incrementum. Nam ut demus, quod tamen nequaquam damus, ex piscinis, molendinis, Zythopœiis, prædiis, silvis, quæ omnia permulta sunt & proventibus ubertima, post expensas quotidianas, raro aliquid superesse, canon annuus, quem coloni glebæ adscriptitii (universi illi in his ditionibus fere circiter decies mille censentur) prout agri quisque plus minusve colit, vere & autumno Regi pendunt, solus sexagenas grossorum circiter novies mille dabit. Regni onera, quemadmodum diximus, non tam sunt, ut alibi, impendiosa nec sumptus publice necessarii modum excedunt. Illis faciendis ferendisque redituum istorum ordinariorum partes quintas, quatuor, hoc est $\frac{4}{5}$ abunde esse judicant homines non imperiti, & annis singulis, ut minimum,

[8] *Comit. ann.* 1608.

sexagenarum tricies quinquies mille in thesauros Regis recondi posse credunt.

III. Iam quod ad indictiones, contributionesque extraordinarias, quæ *Bernie* & *Zbirky* à nobis vocantur, porro attinet, eæ & luculentæ & frequentes à populo omni Regibus solent conferri. Quoties enim cunque caussa prægnans urget, Ordines Rex convocat ad diem, & in Comitiis frequentibus, propositis reipub. periculis, occurrentibusque per tempus rebus aliis necessariis, opem illos ac subsidia poscit. Esse regni sui cauponi, tributumque imperare pro arbitrio Regi nunquam licuit. Ἐπίτροπον videlicet, quod Aristoteles [9] jubet, quam Σφετεριστὴν gerere rempub. gens hæc maluit. Vnde exactionibus injuriosis ac fœdis, Financiarumque, quos Galli vocant, magistris, nullus hîc est locus. Ordines ipsi post accuratam maturamque deliberationem, subsidium sententia communi, prout opus esse vident, aliàs majus, aliàs minus decernunt, tempusque anni intra quod conferri debeat certum præfiniunt. Ejus colligendi ratio hominibus nostris non est ignota. Ferunt hoc onus, ut plurimum agricolæ, & Cives. Nobilitas non nisi rarius, & ultima fere tantum

[9] *Aristot. politic. lib. 5.*

tantum reipub. necessitate pariter id suis cum colonis sustinet. Subeunt etiam parte aliquantula onus hoc Sculteti in Regno liberi, hoc est *Svvobodnicy*, *Dieditticy*, *Napravvnicy*, & parocharum pinguiorum sacerdotes, itemque opiliones & eorum magistri. Agricolæ glebæ adscriptitii, censentur in hoc Regno supra centies quinquagies; cives vero plus minus duodecies mille. Sculteti c c c x x x v i i i. Parochæ c I ɔ c c c x l. Opilionum magistri c I ɔ l x v i i i. Opiliones c I ɔ I ɔ c c c l x x v. Vsitatissima contributionum extraordinariarum est, quæ casis rusticanis, & ædibus civium Vrbanis imponitur. Rusticis illis glebæ adscriptitiis in casas singulas indicuntur, nunc deni, nunc quideni, nunc viceni nostrates grossi annui; Civibus non sane nova, sed non video quam æquabili proportione, nunc triceni, nunc quini & quadrageni, nunc sexageni. Vocatur id genus Indictio *Bernie Domovvnj*. Ex cujus inveterata atque hactenus observata proportione, quia omnis fere de conferendo inter nobilitatem & cives proportio sumitur, dicere non inepte possumus, illam in hoc Regno conferendarum Regi pecuniarum esse quasi normam quandam & cynosuram. Conficit illa, quoties vicenum grosso-
 lum

rum est,[10] sexagenas Bojemicas plus minus quinquies & septuagies mille. Accedunt ad indictionem istam contributiones aliæ genere multiplices, pro numero agrestium, partim ex nobilitatis, partim ex colonorum, adeoque civium similiter ipsorum loculis corradendæ, itemque ex usurarum decimis, rotis molaribus, fumariis, aurea suppellectile, unionibus, vino, frumento, pecoribus, piscibus, lana, mercibusque quibusdam aliis, Judæorum denique capitibus cogendæ. Peculiaris præterea est contributio, quæ ab Ordd. universis in salaria ministrorum Regiæ aulæ, & dissolvendum creditoribus in Bojemia Regiis fœnus usitatum, ex cerevisia præstatur. Vocatur vulgo *Posudne*, grossi nempe nostrates in singula dolia, quatuor, quinque vel sex. Ejus pars tertia in usuras, creditoribus debitas, duæ reliquæ, salariorum titulo, in Regis usus privatos distribuuntur. Existimatur illa, quoties quaternûm grossorum est, excedere sexagenas nostrates centies mille. Quod si jus istud cerevisiæ coquendæ, sicut ante Vuladislai II. ævum fuit, & sicut in regionibus vicinis hodieque est, civibus solis restituatur, ac conservetur, nec à nobilitate tam

[10] *Comit. ann.* 1569.

tam licenter usurpetur, hariolantur permulti, obventionem hujus contributionis, Regi pecuniæ vim multo-multo majorem producturam.

IV. Non legimus autem unquam majora Regi ab Ordd. subsidia fuisse decreta, quam (*ann.* 1610.) comitiis sub Rudolpho II. penultimis, & (*ann.* 1614.) sub Matthia primis. Supputant videlicet nonnulli, tam ad reddendum ab Rege conflatum æs alienum, quam ad usus privatos, obvenisse ex his Matthiæ Regi præter propter sexcenties sexagies, Rudolpho vero ex illis circiter septingenties octuagies bis mille Bojemicorum grossorum sexagenas. Excitato & magis magisque effervescente in Vngaria bello Turcico, decretum fuit ab Ordd. [11] Rudolpho Regi mediocre subsidium; sunt tamen nihilominus qui id plusquam trecenties duodecies mille sexagenas grossorum nostratium produxisse testantur. Quisquis igitur omnia hæc attentus leget, cum reditibusque regnorum vel rerumpub. cæterarum ex adverso conferet, videbit usque adeo studiosam esse Regum suorum gentem Bojemam, ut non facile, hoc in genere, ab alia quavis possit superari. Nec libertas perampla,

 nec

[11] *Comit. ann.* 1593.

nec locotum quibus constringitur angustia facit, quominus magistratum suum summum ex fortunis suis, manu liberali juvare, eique quantum ad administrandum rempub. opus est, sumere consentiat. Amici in vicinia illi tantummodo sunt optandi qui non *αὐλ-παθεῖς*, ut hactenus, esse potro velint, quique ut libertate, sic bonis quoque eam suis absque molestia permittant frui, nec vel sedes ei à partibus acceptas, atque fortunam prosperiorem invideant, vel servitutem miserabilem excidiumve lentum machinentur. Boni omnis largitor, regnorumque & rerumpub. conservator DEUS, quem Bojema gens, patriæ dulcis Statorem semper invocavit, nos vero ejus progenies, ingratitudine scelerata ex Statore vindicem iratum fecimus, offensarum tandem cladiumque tot & tam acerbarum finem propitius faciat, & dispersis immaniter nobis, fortunam statumque quem secundum sub Imp. Rege nostro Rudolpho II. expetiebamur, læto quodam postliminio restituat.

CAP. XX.

De Regum apud Bojemos funebralibus.

QVoniam mors rerum linea ultima, (quæ
—æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres,)
jure suo non secus etiam usa est in Bojemorum, ac in gentium aliarum Reges, eosque ex vita hac mortali splendoreque evanido evocatos, ad generum Cereris abripiebat; ea propter, semper populus noster, quos certatim, nec fide, quam obsequio, minore colere, venerari, amare, vivos didicerat, etiam mortuis funeris honorem extremum, exquisita cura habere, desideriumque quo ob eos fato sibi ereptos afficiebatur, luctu publico testatum facere, officii sui esse sentiebat. Sequutus autem non minus in eo, quam in aliis, est, familiarem majoribus morem & instituta. Mos porro ille patrius, (eo excepto, quod constanter, & jam inde ab initio, mortui principes terra condebantur, non igni cremabantur,) in ritu cætero non mansit perpetuo idem. Cum emendato sacrorum atque religionis cultu is emendabatur, & à profanitate superstitiosa ad sobrietatem rationi sanæ

sanæ conguentiorem revocabatur mutabaturque. Abhorrens fere à mediocritate & enormis hic sub gentilismo, subductior ac humanitate temperatior sub Christianismo fuit. Libet igitur paucis, de solenni funerandorum principum more, primum qui inter gentiles, tandem vero qui inter Christianos in Bojemia, ex suis utrorumque institutis olim frequentabatur, libro hoc extremo dissetere.

Gentiles quondam Bojemi, quoties principem ipsorum mori contingebat, habebant in more, sicut apes ad alveum, ad corpus ejus exanimum concurrere, globatim circa loculum glomerati, unguibus ora laniare, humi projecti fremere, ejulare, lamentari, & ad manuum mortui osculum certatim ruere, vociferantes; *Ecquibus te lacrymis deplorabimus princeps bone? quas tibi inferias faciemus? quid tecum sepeliemus?* In concursu isto, & inter hæc lamenta, condicebatur, ab iis qui inter cæteros eminebant, certus exsequiis solennibus dies, & parari ad eum frequentesque adesse jubebantur omnes. Delibuebatur interea à pollinctoribus unguento corpus, & veste splendida indutum loculo imponebatur piceque oblinebatur. Dabantur illi in manus numi, quinque in sinistram aurei, ignoto DEO munus; duo

duo in dextram argentei, alter viæ præmonstratori, alter portitori præmium.

Cum igitur populus undique confluens adesset, loculumque feretro excipi conspiceret, vociferatio omnium ingens ac ejulatus inconditi oboriebantur. A meridie demum efferebatur tandem succollantium primi nominis procerum humeris funus, prosequente id lamentis, fremitu, planctu, longeque & late resonante ululatu multitudine omni. Lamentantium clamores erant, nunc ob exstinctum patriæ populique rectorem bonum complorationes, & gestarum ab ipso rerum gratæ deprædicationes, nunc ad vana terriculorum fictitiorum nomina, Merotum, Radamassum, cæterosque (*Czernj Bohovve,*) Deos nigros seu inferos, pro defuncto à Tasanum carnificina defendendo, & in viam lucis camposque amœnitatis traducendo, directæ supplicationes. Hos inter ejulatus, hæc inter lamenta, occumbente interim Sole, sub crepusculum vespertinum, demittebatur in sepulcrum cum loculo funus, & terra ingesta contumulabatur, grandi saxo advoluto. Neque tamen adhuc claudebat actus hic fabulam, sed producebantur vociferationes in triduum ut minimum, plerumque in octiduum: ligna quotidie tumulo à plangentibus injecta accendebantur,

bantur, & excitata flamma late collucente, primum cæsæ ex volatilibus victimæ multæ, non modo inferis illis Diis pro defuncto, verum etiam Pronio, Iasonio, Ladonique (*Bjlj Bohovve*,) Diis albis seu superis & tutelaribus, pro successore principe immolabantur, post eas vero circum ignem obambulationes gesticulationesque ad numerum aliæ atque aliæ sequebantur, & precibus cum clamore late resonabili ad DEOS illos conceptis, princeps novus, sapiens, justus, vigilans, ac victoriosus, exposcebatur; tum denique demum post tot dierum insaniam, derasis, & una cum abscissis vestium extremarum fimbriis, in ignes conjectis barbarum pilis, lapidibusque post terga cum fremitu retro-jactis, in diversa abibatur. Conditi, ac in terram matrem hoc ritu profano superstitioneque illati sunt, ex priscis nostris illis Ethnarchis, Czechus pater, ut & Crocus junior (senior enim in Polonia decessit & sepultus cubat,) ad Zrziti montis radices, in planicie corti à Czecho habitatæ proxima; (*Ltinovves* loco à veneratione nomen est,) Libussa pro porta Libiciani castelli sui, inque aditu ejus primo; Przemyslus vero, & qui post eum fatis cedebant, Zpitihnievi, ducis ex Christianis à Borzivogio patre proximi,

decessores principes cæteri, sub Vuysse-hrado, in destinato isti fini Conditorio inferiori. Hinc *Knjžiecy Grobka*, h. e. sepulcretum principum, loco cognomentum datum.

II. Exploso post longum tempus gentilismo, & receptis tandem Christianæ pietatis cultibus sacris, antiquata in plerisque est, & exolevit penitus, immodica ista, ac spe meliore destituta funebris rituum vanitas, principibusque mortuis, more Christiano, à populo Bojemo parentari cœptum. Sed utinam cura etiam illa intra modum quem à Cyro rege de sepultura sua statutum fuisse legimus, [12] quique Christianis in primis ad imitandum facem præferre debeiet, substitisset! Operosior namque, nec modo longe quam inter privatos splendidior, verum etiam luxuriantior pompa duci hîc quoque consuevit. Descriptum ejus ad veterum instituta exemplum conservavit nobis in monumentis quoque, ac ad memoriam similiter tradidit, avorum diligentia. Statim à principis excessu, Consistorii sacri inter Optimates princeps, (Burggravium Pragensem jam olim vocarunt,) ut pote ad quem recidit vacantis regni vicaria procuratio, advocatis in

[12] *Xenophon. Cyropæd. lib. 8.*

in consilium collegis, cum de exsequiarum funeris regii die solenni, tum de comitiis creando principi novo agendis, capita cum iis confert. Re igitur pressius deliberata, programma, quo populo omni mortem principis propalat, nihil cunctatus edit, luctum publicum indicit, & certum ad diem, justis honoribusque supremis mortuo solvendis constitutum, universos Pragam invitat: Vota præterea pro repub. consiliisque illi salutaribus, ad DEVM concipi, & ab eo principem successorem pium sapientemque postulari jubet. Lugetur ergo ubique, & campani æris pulsu multo, obitus regii signa toto regno dantur. Interea solerte Magni palatii regii Magistri industria, sed sumptu publico, regia omnis, ipsa etiam ædes metropolitana, principum conditoriis celebris, magna sui parte atrescit, corpus regium, more magnatibus usitato, exenteratur, odoramentis pretiosioribus conditur, veste pulla dignitati respondente induitur, & impositum sarcophago, ultro citroque in regium conclave commeanti ac lugenti multitudini conspiciendum, palam proponitur.

III. Adventante condicta funerationi die, adest ex omnibus regni provinciis populus omnium Ordd. perquam frequens,

quens, & Clerus similiter convenit omnis. Omnigenæ publici doloris testificationes apparent ubique. Iamque, cum post elapsas constituto die horas meliores, populus, consuetis in Ecclesia sacris ante operatus, confluxit ad locum, incipit funeris pompa procedere.

Omnium prima eunt præ, cum cereis nigrefactis, opificum collegia, sequitur scholastica Academicaque juventus, Baccalaurei, Magistri, & succinentium turba, Monachi sacerdotesque rum minoris rum majoris notæ, in habitu quisque suo. Horum per vestigia ducuntur ornati ad scenam equi generosiores complures, panopliaque regia. Post hæc manibus gestans cereos nigros, incedit, atratus, ex civitatibus Consularis, & mox equester procerumque Ordo, subsequentibus labari regii resupinatim-gerulo, mox gestantibus inaurata regalium simulacra, sceptrum quidem medio inter SubCamerarium & Carolosteinensem Burggravium, ArchiNotario; pomum inter ArchiCancellarium, & Parium-Curiæ-præsidem ArchiDicaste; Corona denique inter Magnos, palatii Magistrum Adminissionalemque, ProRege sui Burggravio. Succedunt his caduceatores cum sigillis regiis, &, gestans gladium ad terram mucrone pronum, regni

regni Marescallus, & tum, coopertam nigro ex serico textili, radiantique auro pictura ta cruce insigni stragulo, sandapilam succollantibus ex Vrbium Pragensium Senatu viris valentioribus, itemque pullam vestem laxam inductis ex nobilitate aulica adolescentibus ab utroque ejus latere quinis vel senis, syrma surrigentibus, & cereos ardentes ferentibus, mole se demum sua, inter longe lateque reboantes campanarum sonos, sensim movet funus ipsum. It à tergo hæredum necessariorumque defuncti, legatorum quotquot à principibus externis mittuntur, ut & hospitum illustriorum turba omnis. Agmen denique hoc lamentabile, claudit promiscuæ plebis atque vulgi numerus effusus quam confertissimus. Cæterum illato in templum metropolitanum, atque in ejus medio primum deposito funere, regni quæ præferebantur insignia, ab Optimatibus quorum id munus, ut diximus, est, in præparata huic rei, stante ante funus, mensa collocantur, & pervulgatum in Ecclesia Romana sacrum, Missa pro defunctis Incoatur. Quæ dum celebratur, ærarii Quæstor quibusvis ex turba, offerendam super altare magnum pro more, pecuniam distribuit. Oblationibus peractis, concio ex suggestu ad populum, nonnunquam

etiam ab aliquo ex disertioribus&docto, Oratio funebris, defuncti encomiastica, habetur. Ab hac, dum Canon, quem vocant, & Conductus canitur, consurgunt qui apud sandapilam cernui in sedilibus procumbebant, & sublata de mensa insignia regalia, vexillario caducearoribusque præeuntibus, obambulatione circum tumbam sepulcralem facta, ad altare deferunt, ac ArchiEpiscopo ordine tradunt Optimates. Is, vel Burggravius supremus, coronam in constrato pannis solio regio coram hostia, ut vocant, collocat, pomum vero comminuit, sceptrum gladiumque confringit, & Sigilla (*Magestaty* vocamus,) regia contundit. Labarum ipsum, regni conjunctarumque provinciarum insignibus fulgens, humi abjicitur, & tandem, si defuncto liberi mares supersunt, in sublimi pariete appenditur, sin minus, concerpitur. Peractis ceremoniis illis sacris, funus cum sarcophago plumbeaque, nomen defuncti exprimente lamna, sepulcro infertur ac contumulatur. Iustis igitur hoc modo persolutis, Burggravius vel ArchiCancellarius, multitudini omni pro præstito isto, principi defuncto, beneque de repub. merito, honore ac officio extremo, agit gratias, atque ita, Ordinibus, dum in diversa abituriunt, ad quietem, & ut se comitiis,

comitiis, quæ de sufficiendo principe novo habebuntur, diligenter parent, amice commonefactis, pompæ catastrophen facit.

IV. Parentatum ceremoniis istis, aut persimilibus, à populo in nostra gente Christiano existimamus plerisque omnibus, cum veteribus, tum recentioribus Bojemiæ principibus: in Ladislai vero (*ann.* 1457.) & Georgii (*ann.* 1471.) funerationibus regiis, omnia hæc exacte fuisse observata legimus. Omnium porro primus hac religione cultuque est elatus Zpitihnievus ejus nominis princeps primus. Etsi autem iis non omnibus in Bojemia occumbere, honoresque hos supremos à populo suo obtinere contigit; qui tamen in ea tumulabantur, non possunt dici apud inobsequiosos ossa deposuisse.

Diversis sane in locis nonnulli, sed ut quisque de se statuit, sepeliebantur. Dormiunt enim conditi, Zpitihnievus I. in Pragæ Majoris æde ante Lætam Curiam, Borzivogius ejus pater ad D. Michaelis Tetini, Vuratislaus frater ad D. Georgii in arce Pragensi; Boleslaus sævus Vetero-Boleslaviæ: Vuratislaus Rex primus Cunradusque frater, Sobieslaus uterque, & advectus ex Apulia Cunradus II. ad D. Petri Vuyssehradi: Suatoplucus Vuladislaus-

dislausque I. ad D. Virginis Cladrubis; Brzetislaus-Henricus Doxonis; Vuladislaus prior Rex, ex Lusatia advectus, Strahovi; Vuenceslaus Luscus ad D. Franciscí in Majore Praga, Vuenceslaus II. ad D. Virginis in cœnobio Aulæ regiæ; Vuenceslaus III. ad D. Vuenceslai Holomucii apud Moravos; Iohannes ad D. Francisci Lucemburgi; Sigismundus Vuaradini; Albertus, Vuladislaus II. & Ludovicus in Alba regali apud Vngaros; Matthias Vuiennæ in Austria. Reliqui omnes in metropolitana D. Vito sacra, arcis S. Vuenceslai æde, sepulcrum post fata sunt sortiti. Ex quibus ipse S. Vuenceslaus, Vetere-Boleslavia, percussoris fratris mandato translatus, Boleslai Lenis & Cœcus, Iaromirus, Vldricus, itemque Fridericus, loco quisque pristino hodieque cubant; Brzetislaus I. & Zpitihnievus II. Brzetislaus II. itemque advectus ex Vngaria Borzivogius II. Przemyslus-Ottacarus I. & Przemyslus-Ottacarus II. &, qui obtruncato Vuenceslao III. successit, Rudolphus Austrius, septem, inquam, isti Imp. Regis Caroli mandato, translati (*ann.* 1373.) ex monumentis veteribus, jacent jam conditi sub saxis grandibus, alter ex alterius parte adversa; primi duo, pater & filius, in sacello quod Cæsareum cognominatur; duo secundi, frater

frater cum fratre, in sacello Antoniniano; duo tertii, avus & nepos, (quamvis hic ab Hageco scribatur ad D. Francisci Palæo-Pragæ etiamnum quiescere,) in sacello quod Ducum Saxoniæ audit, ultimus denique, una cum Rudolpho patruo Sueviæ Duce, in sacello Simoniano.

V. Hos omnes post Iohannem patrem in regno sequutus Carolus Lucemburgius, á Septemviris mox quoque creatus Imp. ejus nominis quartus, ut & ex tumultuariè excitato in Aula regia monumento translatus, Vuenceslaus ejus filius, Ladislausque pronepos, adeoque etiam Georgius Podiebradius, & ex Austria domo Ferdinandus I. Maximilianusque Regg. cum plerisque suis, sepulchri honores in eadem D. Vito sacra æde similiter sunt consequuti. Horum nihilo secius monumenta tandem aperiri ætate nostra, (*ann. 1590.*) corporaque ipsa cum sarcophagis in Mausolæo arte magnificentiaque exquisita, ex lapide alabastrite, media in æde constructo, condi jussit Imp. Cæsar Rudolphus, ad quos & ipse quoque post obitum est (*ann. 1612.*) pompa, quam majores, quamque meruit, aliquanto tenuiore appositus. Apponentur ad has copias, si regnum hoc & respubl. diutius stabit, nec me conjectura forte fallet, Regum regio-

rumque funerum exsuviæ plures. Quod ut succesuris via legitima Vnctis Domini, patriæ & populi patribus omnibus, nunquam nisi sero, & post pacatam, restitutam, ac cum laude gestam rempub. post adoreas multas, post hostes triumphatos, & denique post ætatem non modo fortunato exactam, verum etiam in senecta viridi quam longissime productam, semper sicca morte contingat, faxit patriæ hujus meæ unicus Sospitator, æqui atque iniqui futurus judex justus, atque in secula benedictus!

CONFIRMA DEVS BENE COGITATA!

Benevolo Lectori
ἀπράττειν !

HIS ita de regno gentis meæ compendio & minerva pinguiore dictis, (quoniam, quæ me fugerunt, non pauca esse est necesse,) etiam in altera hac cum à typographicis editionis prioris mendis perquam multis, tum à meis ipsius hallucinationibus nonnullis expurgata editione, monendus mihi es, Lector amice, & orandus. Monendus, ut ne sis nescius, me ob improbatos ritus in religione Romanos patria injuriose profligatum, lare certo oportunisque adminiculis compluribus destitutum, inter armorum strepitus & horrores bellicos, hæc qualiacunque sunt, tumultuariò esse meditatum. Orandus vero, ut quod tenuius quam oportuit, nec satis exacte, hic est descriptum, vel quod imprudentius forte excidit, ingenii imbecillitati potius, cujus probe mihi sum conscius, quam voluntati, temporum injuriæ, quam desidia, imputare, excusatum habere, imo vero vel eorum in quibus hallucinor amice me commonefacere, vel quod reipub. gentisque Bojemæ illustrationi plenius atque accuratius inserviat, describere, cumque hominibus rerum id genus cupidis & amantibus, communicare ipse velis. VALE.

IN.

INDEX RERVM,

In hoc Libro præcipuarum.

A.

Brati-

Brzeti-

C.

Bojemos

D.

E.

F.

G.

H.

I.

Iudicia

L.

M.

N.

O.

Q.

R.

S.

Scholarum

T.

V.

Vsta



Bohemia

STRANSKY
RESPUBLICA
BOJEMA